
3 1761 07839052 3

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/theologiamoralis00scav

THEOLOGIÆ MORALIS UNIVERSÆ

COMPENDIUM

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA

Ad mentem S. Alphonsi M. De Ligorio Episcopi et Doctoris

PIO IX PONTIFICI M. DICATA

AUCTORE PETRO SCAVINI

IN COMPENDIUM REDACTA

Angelici Præceptoris D. Thomæ Aquinatis auctoritate confirmata
Ac pluribus Conscientiæ Casibus explanata

ADDITIS

LEONIS XIII PONTIFICIS M.

Literis Encyclicis cæterisque ab Eo hucusque peractis
Constitutione, quæ Censuras limitat, Commentariis illustrata
Juris Civilis, ubi opus fuerit, allegatione
Aliisque plurimis ad temporum circumstantias

Cura et studio **J. A. DEL VECCHIO**
Ecclesiæ Cathedralis Novariensis Canonici

EDITIO NOVA LOCUPLETISSIMA

TOMUS PRIMUS

De Actibus humanis, de Conscientia, de Legibus, de Obligationibus
de Peccatis et Censuris, de Virtute Religionis, et Virtutibus Theologicis.

MEDIOLANI
Apud Hæredes **ERNESTI OLIVA** Edit. Propriet.
1880

Proprietas Literaria

BX
1758
S33
1880
t.1



Mediolani, Typis Wilmant.

PRÆFATIO AD LECTOREM

Novum hoc prodit Opus, quod benigne accepturos confido Ethices Christianæ cultores, cum planam eis ac tutam Moralis Theologiæ studio pandat viam.

Planam dico; quæ enim fusius cl. Scavini Editione XII tradit, brevi et facile hujus ope Compendii Sacrorum præsertim Alumni ediscere valent. Neque in eo quidquam prætermissum puto, quod ad necessariam Moralis Theologiæ instructionem conducere possit. Tuta quoque est, quam hic aggredior, via; in hoc enim Opere conscribendo eo præsertim specto, præclarissimi Scavini vestigia premens, ut auream s. Alphonsi De Ligorio doctrinam fideliter et jugiter proponam. Quod quidem lubentius hodie præstandum duco, quum s. Episcopus *Doctoris Ecclesiæ* titulo honoribusque cumulatus sit.

Verum quæret fortasse aliquis: Ut quid novum de re morali Opus, cum unum egregium acceptissimumque habeamus a cl. Gury compendiose confectum, et quidem ad mentem s. Alphonsi M. De Ligorio? — Equidem inter plura quæ edita sunt, et ordine et perspicuitate maxime commendatur Guryanum Compendiolum; ideo ejus vestigia ac normam quoad mihi licuit, secutus sum.

Attamen non diffitendum in eo plura desiderari ad pravas opiniones refellendas, quæ post Gury ætatem christianam sapientiam pervertere conatæ sunt. Item recentiora RR. Pontificum Decreta et Constitutiones, ac bene multa SS. Congregationum Responsa quæ ad hanc usque diem evulgata fuerunt. Adde civilium nostræ Ditionis legum, ubicunque opus fuerit, allegationem; et alia nova perplura pro hodierna praxi, ad tute recteque se gerendum in hac temporum acerbitate. Sed quod caput est, etsi P. Gury fateatur in sui Operis procemio, se ducem sequi s. Alphonsum; revera tamen (ut legentibus videre est) frequentius quam vulgo existimatur, discipulus a magistro recedit, præcipue in nonnullis posterioribus Editionibus (aliæ enim ab aliis discrepant), et quidem non raro quoad ipsas quæstiones sane momentosas. Neque vero præclaro Auctori id crimini verto; cum unicuique liberum sit in re disputabili diversimode sentire. Sed susceptum a me consilium totum in eo est, ut scrupulose doctrinam s. Alphonsi Mariæ De Ligorio planiori qua fieri potest ratione concinnatam, studiosis exhibeam. Utinam in id convenirent viribus unitis

omnes dispensatores mysteriorum Dei, iisdem principiis jugiter insistentes; unitas enim doctrinæ mire confert ad bonum regimen animarum. De ea autem doctrina hic agitur, in qua, ipso Pontificio Oraculo probante, *nil censura dignum* repertum fuit; adeo ut *opiniones quas in sua Theologia Morali profitetur b. Alphonsus sequi tuto possimus ac profiteri....; non perpendendo momenta rationesve, quibus variæ nituntur opiniones.*

Nil igitur mirum si conficere visum est mihi, et tyronibus ob oculos ponere Epitomen Moralis Theologiæ omnibus notissimæ et unanimi plausu exceptæ et commendatæ Petri Scavini: cui Immortalis Pontifex Pius Pp. IX vehementer gratulatus est, quod in suis *Theologicis Institutionibus conficiendis nihil antiquius habuerit, quam salutares Sanctissimi ac Doctissimi Viri Alphonsi Mariæ De Ligorio doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere.*

Hisce tandem novum et maximum pondus accedit. Laudatus enim Pontifex Maximus Apostolicis Literis 7 julii 1871, quibus s. Alphonsum Universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit, addit: *Præterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.*

Hæc autem altera Editio pluribus aucta, a mendis expurgata, exemplis explanata, clariori methodo elaborata atque inconcussa ac tutissima Angelici Præceptoris doctrina illustrata in textu exhibet tractationes, quodammodo divisas in duas partes juxta peritissimi Archiepiscopi consilium: quarum prima pars grandiori charactere continet, quæ omnes et singuli, sine ulla exceptione, sacrarum disciplinarum alumni memoriter atque ad literam ediscere debent; pars secunda parviori charactere quæstiones refert, quarum aliæ utpote *de sexto* nonnisi ætate maturiori addiscendæ sunt, aliæ vero ab iis qui nimis felici memoria non pollent, satis est si Professores opportunum putaverint, ut perattente legantur ac perpendantur, adeo ut adveniente necessitate, ad illas recurrere illico sciant.

Faxit Deus, ut hoc Opus, quod in studiosæ juventutis commodum suscepi, ad majorem vertat Sui gloriam et animarum salutem. Omnia autem et singula in eo contenta Supremo et Infallibili S. Sedis judicio filiali obsequio ultro libenterque submitto.



Moralis Theologiæ Prolegomena

1. **Theologiæ moralis notio.** Theologia Moralis definitur: *Illa disciplinæ Theologicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem mediis tutissimis dirigit in ordine ad vitam æternam.* Hæc autem tutissima media sunt:

I. *Sacra Scriptura;* in ea siquidem Dei Verbum continetur falli ac fallere nescium; et *omnis Scriptura* (dicente Apostolo, II Tim. III) *divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Regulas enim morum tradit et exempla vitæ refert.

II. *Sancti Ecclesiæ Patres,* nempe clarissimi illi viri qui per duodecim prima sæcula sanctitate, ingenio, susceptisque pro Ecclesia laboribus floruere. Qui si talem insuper præseferant doctrinam, ut per eam errorum tenebræ fuerint penitus profligatæ, obscura mire dilucidata, dubia aperte declarata, *Doctoris Ecclesiæ* nomine ab ipsa Ecclesia donantur (inter Doctores autem hodie etiam s. Alphonsum M. De Ligorio lætanter reveremur). Horum porro unanimis consensus indubium est veritatis argumentum; atque ideo quisque tanta auctoritate fretus dicere potest cum d. Hieronymo: *Doceo quod didici non a me ipso, idest a præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris* (epist. ad Eustoch.).

III. *Romanorum Pontificum resolutiones:* hi sunt enim *totius Ecclesiæ caput et omnium christianorum Patres atque Doctores,* ut ait Florentinum Generale Concilium. Qui insuper infallibilitate gaudent quoties loquuntur tanquam Doctores universales definientes ex cathedra, nempe ex potestate suprema tradita Petro docendi Ecclesiam, in controversiis fidei et morum, prout nuper de fide definitum habemus in Concilio Generali Vaticano. Proinde hujusmodi eorum judicia sunt ex sese irreformabilia.

IV. *Concilia Generalia;* exhibent enim totam Ecclesiam quoad res fidei et morum infallibiliter docentem. His adde Concilia particularia, quæ etsi infallibilitate careant, sunt tamen aptissima ad errores profligandos, sacramque doctrinam explanandam atque tuendam; cum sint sapientissimorum virorum conventus. Concilia autem particularia obligant tantum loca pro quibus data sunt; excipe nisi decreta in codicibus Decretalium relata sint; tunc a Pontifice qui ea sua fecit, vim consequuntur pro tota Ecclesia.

V. *Romanarum Congregationum* responsa, quibus Summi Pontifices utuntur in rebus controversis dirimendis. Huc facit quod Pius IX scripsit anno 1863 ad Archiep. Monachiensem: *Sapientibus*

catholicis haud satis esse ut dogmata recipiant ac venerentur; verum etiam opus esse ut se subjiciant tum decisionibus quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ quanquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.

VI. *Traditio constans ac firma*, cum error stabilitatem nesciat. Huc revocantur tum antiquæ liturgiæ, festa, vigiliæ ac jejunia ab immemorabili celebrata quæ quidem fidelium mores testantur; tum historia ecclesiastica, in ea siquidem religio sese exhibet quodammodo viventem sub omnium oculis in serie suorum factorum.

VII. *Jus Canonicum*, imo et Jus Civile si Canonico non contradicat; cum in his habeantur totidem morum ac judiciorum regulæ a peritissimis congestæ.

VIII. *Auctoritas Theologorum;* nam in quacunque arte peritis credendum esse, ipsa res loquitur. Atque ad illorum auctoritatem S. Sedes non raro mittit eos qui ab ipsa responsa petunt per verba: *Consulat probatos auctores.*

IX. Demum *ratio* tam prout a natura nobis indita est et dicitur *naturalis;* quam prout est principiis theologicis imbuta et dicitur *theologica.* Utraque est maxime utilitatis cum veritates morales in se ipsis illustret ac vindicet; et ea mirabili prorsus modo utitur d. Thomas ad doctrinas catholicas explanandas. Sane, ut ipse Angelicus docet: *Cum gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati, unde Apostolus dicit* II *Cor.* X: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (1, *q.* I, 1. *c.* 8). At ratio humana sicut et philosophia haberi debet tanquam ancilla quæ inserviat, non tanquam domina quæ imperet, quemadmodum apud Ss. Patres et Doctores videri potest, præsertim quando agitur de mysteriis quæ nequaquam ad alicujus philosophiæ placita sunt redigenda; sed in iis Ecclesiæ et Ss. Patrum doctrinæ indeclinabiliter est inhærendum. Insuper præ oculis habendum hoc s. Thomæ monitum: « Rationes quæ inducuntur a Sanctis ad probandum ea quæ sunt fidei (mysteria), non sunt demonstrativæ sed persuasiones quædam manifestantes non esse impossibile quod in fide proponitur (2, 2, *q.* 1, *a.* 5). » V. cl. Archiep. Magnasco, *Instit. theol.* sub initio.

2. **Theologiæ Moralis methodus.** Methodus seu forma res morales tractandi triplex distingui potest: 1) *Positiva;* in hac theologus potissimum studet veritates morales ex fontibus theologiæ propriis erudite exponere ac probare. 2) *Scholastica* seu speculativa, et ea est quæ morales veritates ex principiis etiam philosophicis illustrat; intimos eorum nexus internasque rationes declarat ac dialectice defendit, suadet, tuetur. 3) *Casuistica*, quæ generalia morum principia ad casus particulares in vita occurrentes applicat, atque resolvit.

Ut moralis theologia completa sit, methodus positiva, casuistica et scholastica sunt simul adhibendæ; ut veritates morales non solum explicari, sed etiam ut contra tot morum systhemata hæreticalia ac rationalistica solide defendi valeant. Attamen *positiva* aptior est ad populum erudiendum; *casuistica* ad studiosos instruendos; *scholastica* ad refellendos adversarios, qui cum in dies audaciores

fiant, hæc methodus opportunior ne dicam necessaria evadit. Hinc in Syllabo damnatur hæc n. 13 propositio: *Methodus et principia, quibus antiqui Doctores et Scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus, scientiarumque progressui minimo congruunt.* Item vid. propositio 76 synodi Pistoriensis damnata. Scavini, *De Casuistis*, l. I, n. 136; *de disputandi methodo*, l. II, n. 927; item Riccardi, *Alla gioventù sullo studio della filosofia; Civ. Catt.* Ser. v, t. x, pag. 576).

3. **Theologiæ Moralis historia.** Quatuor hic epochas distinguere possumus. *Prima* ab initio producitur usque ad Scholasticæ introductionem: in hac veritates morales non habentur scientifice in corpus aliquod doctrinæ redactæ, sed separatim data occasione explicantur in apologiis contra gentiles, in instructionibus ad populum christianum, in admonitionibus ad clerum, in epistolis doctrinalibus, in Scripturæ expositionibus, etc.

Secunda epocha a Scholasticæ introductione protrahitur usque ad jansenianismum: in illa veritates ordinatim ac singillatim tractari cœperunt; de singulis materiis a bene multis multi editi sunt tractatus, id unum in animo habentibus, ut res morales unitis viribus sub quocunque respectu speculative et practice resolvantur. Huc spectant Albertus Magnus, divus Bonaventura, Scotus, Sanchez, Suarez, Molina, Lugo, Lessius, etc. Sed principem locum obtinet d. Thomas, cujus doctrina ab ipsa Incarnata Sapientia laude et approbatione fuit donata; merito habendus uti omnium scholarum Patronus. Optandum sane ut omnes Scholæ, Instituta, Academiæ non theologicæ solum sed et philosophicæ, talem ac tantum ducem atque Magistrum sequantur. Ejus siquidem « philosophia (ut ex *Civilitate catholica* docet cl. Tarino) est *divina* in sua origine, quatenus sua principia ac conclusiones depromit ex penu ac lumine rationis a Deo hominibus indito; est *una* atque *unica* in sua forma, quatenus omnes veritates ordinat sub nonnullis principiis supremis quæ reducit ad primum principium contradictionis et ultimo ad ideam entis; est *progressiva* in sua explicatione, quatenus sua principia ac conclusiones applicat ad nova semper objecta ab experientia exhibita, ut novas ulterius veritates detegat; est *christiana* in sua essentia, quatenus a priori atque a posteriori demonstrat omnes veritates rationales atque revelatas amice inter se conspirare, atque ab unico fonte derivari qui est Deus. Hanc demum philosophiam maxime semper commendarunt et commendant Summi Pontifices atque Episcopi: Pius IX summis eam laudibus effert atque vehementer docentibus suadet (1). » *(Institutiones logicæ, metaphysicæ, ethicæ atque juris naturæ;* it. ejusdem Opus, *Problema fondamentale della scienza).* Hodie plurimi philosophiæ cultores tanti Doctoris vestigia premunt, uti Roselli, Sanseverino, Zigliara, Imperatori, Battaglini, Prisco, Palanco, De Giorgi, Egger, Signorellio, Liberatore, Cornoldi, Kleutgen, etc.

Hic etiam præstat notare quod S. Concilii Congregatio ad Ordinarium Pederbonen die 4 junii 1870 scripsit: « Libentissime etiam audirent E^mi Patres in philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis s. Thomæ vestigiis isthic insisti. Doctrina enim hujus sanctissimi ac præstantissimi Magistri non solum sana, aptissima in primis est

(1) *Quanto è bene ritornare alle inconcusse e salutari dottrine, ed unirsi a s. Tommaso come a centro di scienza sincera, di unità e di ammaestramento!* Pius IX ad deputationem Academiæ philosophico-medicæ s. Thomæ Aquinatis (Bononiæ erectæ) 9 martii 1874.

ingeniis acuendis atque erroribus detegendis et convellendis. Nec timendum quousque clerus ei adhæreat, ne *catholicorum liberalium*, uti vocant placita (quibus nulla deterior pestis) sectetur; populus vero a tali clero excultus avitam fidem et morum integritatem perpetuo servet. » Hinc S. eadem Concilii C. (ut notant *Acta S. Sedis*, t. VIII, pag. 615) quoties in suis responsionibus ad relationes episcoporum super statu diœcesium *de studiis seminariorum* agere contingat, hoc jam a non paucis annis solemne habet, ut *in philosophicis disciplinis tradendis* s. Thomæ placita, ex quibus sacrarum et humanarum scientiarum *instauratio* pendet, *sequenda* episcopis proponat, gravissimisque verbis inculcet (1). Hisce optatis plures episcopi respondentes in dies in seminariis erigere curant Academiam sub d. Thomæ auspiciis, ut Bononiæ, Neapoli et alibi. Quibus jam præierat illam solemniter instituendo, protegendo, sustinendo et sua præsentia honorando Eminent. Cardinalis Perusiæ episcopus Joachim Pecci, qui toto plaudente catholico orbe miro assensu et festinatione, Deo afflante, Pontifex Maximus, cui nomen Leo XIII, die 20 februarii 1878, renuntiatus est (v. *L'Accademia di s. Tomaso d'Acquino eretta in Perugia da S. Em. il Card. Gioachino Pecci vescovo di Perugia*).

Qui in sua prima Encycl. *Inscrutabili Dei consilio* ad Episcopatum catholicum die 21 apr. 1878 ad rem præsentem habet: *Quo validius contendunt religionis hostes imperitis hominibus ac juvenibus præsertim, ea discenda proponere quæ mentes obnubilent moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicæ fidei omnino conformis in literis et disciplinis vigeat, præsertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet; quæque non ad evertendam divinam revelationem spectat, sed ad ipsam potius sternere viam gaudet, ipsamque ab impugnatoribus defendere, quemadmodum nos exemplo scriptisque suis Magnus Augustinus et Angelicus Doctor cæterique christianæ sapientiæ Magistri docuerunt.*

Et nuper laudatus Pontifex (18 sept. 1878) ajebat ad episcopum et clerum Lyciens.: « Bramo che sieno introdotte ne' Seminarii le Istituzioni filosofiche del Canonico Sanseverino: la è questa una gloria del Clero Napolitano, che cercò efficacemente ridurre e richiamare le scienze filosofiche alla vera e sicura norma, alla loro forma esatta, che è appunto la *Tomistica*. Ci compiacciamo che già nel Seminario di Lecce se ne sieno introdotte le Istituzioni, come è nostro desiderio che in tutti i seminarii si segua il metodo stesso, la stessa dottrina dell'Angelico. Fu certo una sventura che il Sanseverino morisse sì presto; ma egli lasciò buoni e zelanti discepoli che proseguono l'opera sua, quali principalmente il Prisco, il Signoriello. » Idipsum urgebat 13 junii, 27 sept. 1878, et passim data occasione (v. Diar. *La scienza e la fede;* Ser. IV, t. XI).

Tertia epocha ortum habet a jansenistis usque ad s. Alphonsum. Isti sub fraudulenta purioris pietatis ac severioris disciplinæ specie fideles a Sacramentis avertendo, importabile jugum ipsis imponendo et in desperationem conjiciendo lethale morali Theologiæ vulnus inferre conati sunt. Sed non defuerunt scriptores qui illis fortiter ad-

(1) V. *Della necessità d'una filosofia propedeutica alla teologia. Lettera di Sua Emin. L. M. Card. Parocchi Arciv. di Bologna ai professori del seminario diocesano* (La Scuola catt. t. x).

versi steterunt, v. g. Gobat, Pallavicinus, Segneri, Platel, Teryllus, Viva, Francolinus, Croix, Mazzota, Reintestuel, Elbel, etc.

Quarta epocha incipit a s. Alphonso M. De Ligorio viro eruditione et sanctitate conspicuo, qui primo rejectis scholæ in quam inciderat præjudiciis, contemptis deinde præpotentis adversæ factionis clamoribus, tutam ac planam viam edocuit. Huic porro constanter favit Sedes Apostolica; unde factum est, ut scholæ moralis theologiæ fere universæ tanti Doctoris doctrinam secutæ fuerint. Vide *P. Zaccharia, Andres, Perrone, Knoll, Moroni, Martinet, D' Annibale, Bouquillon,* etc.

4. **Theologiæ Moralis præstantia et necessitas.** Ex ipsa definitione patet quanta sit hujusce disciplinæ *excellentia,* siquidem omnia officia nostra in hoc mundo rite nos docet. Hæc est quæ præcipuam hominis partem, cor videlicet scrutatur, ejus morbos medetur, eique tutam viam inter tot humanæ vitæ scopulos, fide prælucente, commonstrat, qua ad salutis portum feliciter pertingere possimus. Ad rem Angelicus: *Practicarum scientiarum illa dignior est quæ ad ulteriorem finem non ordinatur... Finis autem hujus doctrinæ in quantum est practica est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum* (1. p. q. I, a. 5).

Quæ cum ita sint, nemo est qui non videat quanta sit hujusce scientiæ non utilitas modo, sed etiam *necessitas.* Non omnes ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos; omnes tamen de Clero (in tanta maxime operariorum paucitate) Morali Theologia valde instructos esse oportet, atque huic continuo insistendum: secus quomodo poterunt Sacramenta rite administrare et salutis scientiam populos edocere? Hinc perdoctus Mabillionus ajebat: *Moralis Theologiæ studium præ aliis excollendum....; huic quandiu vivitur, omnino danda erit opera.*

Dotes in studioso. In Moralis Theologiæ studioso ne inaniter laboret requiritur præcipue: 1) *Vehemens studii amor,* hic est vehiculum scientiarum omnium, nota propria veri sapientis; huc valet illud *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* — 2) *Summa existimatio libri elementorum,* illum, etiam ad literam memoriter addiscendo; secus in decursu totum obliterabitur. — 3) *Frequens oratio ad Deum,* qui scientiarum Dominus est. — 4) *Rectus finis,* ita ut studiosus quærat quæ sunt Dei, non quæ sua sunt. Pulcre d. Bernardus: *Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est. Et qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est.... Et sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est; et item qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant* (Serm. 36 in Cantica).

En hortatoria d. Thomæ epistola circa modum studendi: « Quia quæsisti a me, in Christo mihi carissime, te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo, tale a me super hoc traditur consilium, ut per rivulos, non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea et instructio tua. Tardiloquium te esse jubeo et tarde ad locutorium accedentem; conscientiæ puritatem amplectere; orationi vacare non desinas; cellam frequenter diligas; si vis in cellam vinariam (*Cantic.* II) introduci. Omnibus te amabilem exhibe; nihil quære penitus de factis

aliorum; nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et retardationis a studio materiam subministrat; de verbis et factis sæcularium nullatenus te intromittas; discursus super omnia fugias; sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas; non respicias a quo audias, sed quidquid boni dicitur memoriæ recommenda; ea quæ agis et audis, fac ut intelligas; de dubiis te certifices, ut quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere; altiora te ne quæsieris. Ista sequens vestigia frondes et fructus in vineam Domini Sabaoth utiles dum vitam duxeris, proferes ac produces. Hæc si secutus fueris, ad id pertingere poteris quod affectas. » (Uccelli, *Di una lettera di s. Tommaso d'Aquino intorno al modo di studiare: osservazioni critiche;* Napoli, Bibl. Cattolica).

Dotes in magistro. Etiam pro magistro suæ sunt dotes: sit eloquio clarus, sententia indubius, evidentia plenus, ut quidquid ex ejus fonte prodierit, in rivulos audientium sine retardatione recurrat. Ideo pertractanda accurate definiat, principia generalia exemplis illustret, rem totam practicis casibus explicet; parcus in citationibus, alienus a subtilitatibus et argutiis. Discipulorum intelligentiæ se se accommodet; librum elementorum plurimi faciat, cujus doctrinam et ordinem sequatur, eam dilucide exponens; ejusque studio curet ut alumni diligenter incumbant, atque ideo illum ipsis commendet; secus in fastidium veniret, cum sit pondus quod singulis diebus portare debent. Duæ oppositæ doctrinæ quæ clericis traduntur in una eademque diœcesi natæ sunt diffondere inter clerum funesta dissidiorum semina, cum tamen tanta sit concordiæ necessitas, ajebat sapiens auctor. Non damno quod non est damnabile; at est de natura rerum, ut doctrinæ sententiarumque diversitas voluntatum discordias gignat, studiis nocumentum afferat, confusionem scholaribus creet, qui inde textum quem præ manibus habent, fastidiunt; cum tamen in illo insistere debeant, si quid retinere velint quando erit tempus, ad eorum munia implenda in difficili animarum directione. Caveamus ergo ab iis qui lima censoria omnia mordent quæ eorum placitis non subscribunt; scientia moralis quæ praxim respicit, non ab iis discenda est qui nonnisi subtilia, recondita ac nova prædicant; sed ab iis qui non minus docti quam sancti morum doctrinam dictarunt eaque toto eorum longo vitæ curricul jugiter ac prospere usi sunt ad animarum salutem.

Magister item pigros excutiat, debiles adjuvet, omnibus omnia factus; interroget frequenter, experimenta instituat, examina curet. Sine acceptione, sine fastidio, sine præcipitantia, cordati magistri sustineat curas, non vilis mercenarii (*Scavini,* l. I, n. 2; t. II, n. 719).



TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA

Hæc pertractatio est Theologiæ Moralis basis et fundamentum; nisi enim quæ sit actuum humanorum natura, et quo dictamine ponendi, perspectum nobis sit, non poterimus quidpiam recte constituere ac definire quoad officia quibus tenemur erga Deum, erga nos et proximos nostros.

DISPUTATIO PRIMA

DE ACTIBUS HUMANIS.

5. **Actus.** Est ille motus quem homo vi sibi propria efficit; ideo actus in genere definiri potest: *Facultas agendi in exercitio posita.*

Actus inspecto modo quo ab homine fiunt, alii dicuntur actus naturales, alii actus hominis, alii actus humani. *Actus naturales* sunt actus mere corporei et organici, qui cum necessario fiant, ad mores non pertinent, ut est respiratio, quæ etiam belluis propria est. — *Actus hominis* dicuntur ii qui procedunt ab homine quidem, sed sine deliberatione et advertentia; qui pariter nihil referunt ad mores, ut sunt motus *primo-primi,* qui utique ab homine procedunt, sed sine ulla deliberatione subito erumpunt; item actus hominis penitus distracti, somniantis, ebrii, delirantis, etc. — Tandem *actus humani* in genere sunt illi qui fiunt ab homine usu illarum facultatum quibus homo est, id est intellectus et voluntatis, quæ quidem soli homini conveniunt, non aliis naturis homini inferioribus. Quare actus humanus generatim est qui peragitur ab homine ope vel solius intellectus, ut est simplex perceptio veri; vel intellectus simul et voluntatis, ut est actus quo quis prosequitur suam beatitudinem ac felicitatem aut vero assentitur evidenter cognito.

Dixi *in genere;* cum enim actiones humanæ a Theologis non considerentur nisi prout legi directivæ subjectæ sunt et habent rationem meriti et demeriti; ideo in re morali illæ actiones habentur tantum uti *humanæ,* quæ ex voluntate deliberante procedunt, seu ex voluntatis consilio et deliberatione, seu ut aliis placet, quarum homo dominus est; hinc ex Angelico *idem sunt actus humani et morales,* nempe laude vel vituperatione digni (1, 2, *q.* 1).

6. **Actus humani divisio.** Multiplex distinguitur actus humanus:

I. *Internus* et *externus.* Actus internus ille est qui internis tantum animæ potentiis perficitur et consummatur, ut est actus cogitandi, amandi (1). Actus vero *externus* est ille quem voluntas per corporis organa etiam ad extra producit, ut actus deambulandi, loquendi.

II. *Bonus* vel *malus.* Bonus consonat cum recta ratione, ut est Dei amor; malus est rectæ rationi contrarius, ut est odium Dei. Hæc est capitalis distinctio.

III. *Naturalis* et *supernaturalis.* Actus *naturalis* ille est qui solis naturæ viribus fieri potest, et ideo est præmio temporali dignus, uti est amor parentum (2). *Supernaturalis* ille est qui auxilio divinæ gratiæ perficitur, ut sunt actus theologales fidei, spei et charitatis; quæ quidem meritum habent vitæ æternæ.

IV. *Meritorius de condigno* et *meritorius de congruo.* Prior est cui ex justitia merces debetur, accedente promissione remuneratoris; tales sunt actus justorum, quibus ipsi merentur

(1) V. s. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. v, *Tract. Præamb.*, x, n. 4. Actus internus dicitur *elicitus* seu immediatus si a voluntate oriatur absque adminiculo alterius facultatis, et in eo consistat, uti velle, consentire, etc. Dicitur vero *imperatus* seu mediatus, si incipiat a voluntate, sed perficiatur ab alia potentia, interna tamen, ut actus internus fidei qui fit a libero voluntatis impulsu movente intellectum ad assentiendum.

(2) Nulla virtus sine præmio. Deus temporaliter remunerat bona opera naturalia, æternaliter supernaturalia; ne ideo materialis nationum prosperitas nos adeo commoveat. Dicunt pagani, dicunt protestantes: *Nos bene vivimus.* Sed respondet d. Augustinus (tract. 49 in Joann.): *Quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere; nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus.*

Et de *Civitate Dei* ait, quod Deus temporalem mercedem reddidit bonis Romanorum paganorum moribus: dedit vana vanis, et ita in hoc mundo receperunt mercedem suam. Quanquam etiam catholicismus temporalis prosperitatis fons est. (V. Margotti, *Roma e Londra;* Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contra la religione;* Hauilleville, *Avvenire delle nazioni cattoliche;* Scavini, l. IV, n. 159).

augmentum gratiæ et gloriæ. Posterior vero est cui merces seu præmium non tribuitur nisi ex quadam congruentia et liberalitate: tales sunt actus quibus homo nondum justificatus se ad justificationem disponit. Quod evenit etiam in humanis: sic militi strenue bellanti stipendium debetur *de condigno;* aliquod vero præmium nonnisi *de congruo.*

V. *Validus* et *invalidus.* Validus qui habet omnia essentialia ad effectum proprium producendum; invalidus qui caret vel uno tantum ex essentialibus requisitis. Hinc erit invalidus contractus si fiat sine consensu, cum consensus sit de ejus essentia.

7. **Actuum humanorum principia.** Sunt illa elementa, ex quibus actus ipsi conflantur. Jam vero in quolibet actu humano tria se nobis exhibent, *causæ* quæ actum constituunt; *regulæ* quæ ipsum dirigunt; *motiva,* quæ ad ipsum nos movent. Patet idcirco tria esse actuum humanorum principia: 1) *Constituentia,* et sunt intellectus et voluntas, quibus conjunguntur libertas uti fundamentum, et moralitas uti effectus. 2) *Dirigentia,* et sunt conscientia et lex. 3) *Allicientia,* et sunt virtutes, vitia, quatenus proponuntur voluntati uti utilia, vel delectabilia. Quæ porro divisio totius Theologiæ Moralis divisionem suppeditat.

CAPUT PRIMUM

De Intellectu, Voluntate, Voluntario ejusque Impedimentis.

8. **Intellectus.** Est illa animæ facultas quæ nos conducit ad verum cognoscendum vel inquirendum. Ab intellectus operatione oritur cognitio sive intelligentia, sine qua nullus datur actus humanus.

Duplex distinguitur hominis intellectus, *speculativus* et *practicus.* Speculativus est qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem vel inquisitionem. Practicus vero intellectus dicitur qui quod apprehendit, ordinat ad opus aliquod peragendum (1).

(1) D. Thomas dividit intellectum in *intellectum possibilem* seu *in potentia,* et in *intellectum agentem.* « Intellectus humanus, ait, 1 p. q. 79, a. 2, qui est infimus in ordine intellectuum et maxime remotus a perfectione divini intellectus, est in potentia respectu intelligibilium et in principio est *sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum,* ut Philosophus dicit. Quod manifeste apparet ex hoc quod in principio sumus intelligentes solum in potentia, postmodum autem efficimur intelligentes in actu.... Oportet ergo ponere aliquam virtutem ex parte intellectus quæ

9. **Voluntas.** Definitur: *Activa animæ facultas, quæ propositum sibi ab intellectu objectum prosequitur vel fugit.* Cum nihil prosequi possit aut amari uti bonum, nihil abominari aut odio haberi uti malum, nisi idem prius sit cognitum, quia ex vulgari adagio *nil volitum quin præcognitum;* ideo in voluntatis definitione fit mentio intellectus tanquam illius facultatis quæ bonum vel malum voluntati proponit. Unde affirmare est cum d. Thoma, quod intellectus et voluntas sunt duæ potentiæ, *quæ suis actibus invicem se includunt; quia intellectus intelligit voluntatem velle, et voluntas vult intellectum intelligere* (1. q. 82, a. 4) (1).

10. **Voluntarium.** Voluntarium seu actus voluntatis definitur: *Id quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula circa quæ voluntas versatur.* Dicitur *a principio intrinseco,* id est ab ipsa voluntate, prævia intellectus cognitione; hæc enim sunt principia hominis libere agentis. Dicitur *cognoscente singula,* etc. id est objectum, finem et circumstantias actionis vel omissionis, vel effectus ex actione nostra vel omissione secutos; nam voluntas non fertur in incognitum. (*D. Thomas,* 1, 2, q. 6, a. 1).

Propterea si quæ circumstantia ignoretur, actio relate ad illam non erit voluntaria nec culpabilis. Ideo si quis percutiat hominem ignorans eum esse sacerdotem, reus erit injustitiæ, non sacrilegii; quia sacram illam sacerdotis qualitatem in homine percusso ignorabat. Hinc patet quod aliquando actus noster potest esse voluntarius et culpabilis sub uno respectu, non vero sub alio. Item ubi nulla est cognitio seu advertentia, ibi nullum omnino est voluntarium et peccatum, ut accidit in actionibus dormientis. Ubi vero est semiplena advertentia, ibi est semivoluntarium et dumtaxat veniale peccatum, ut contingit in semidormientibus (s. Alph. *Op. Mor.* l. v, n. VIII).

11. Differt voluntarium: 1) A *volito,* quia etsi volitum sit voluntatis objectum; non tamen necessario a voluntatis influxu pendet: sic pluvia est volita ab agricola, nec tamen dici potest eidem voluntaria; cum

faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum a conditionibus materialibus: et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem *(lumen rationis).* » — « Et secundum hoc, verum est quod scientiam a sensibilibus mens nostra accipit.... *(Q. disp. q. de mente, a. 6).* »

(1) Quanta autem sit voluntatis humanæ efficacia pluribus exemplis probat Scavini, l. I, nn. 102, 103. Hinc vulgare illud: *Voluntas est motor in toto regno animæ et omnia obediunt ei;* et Rom. VIII: *Velle adjacet mihi.* Nil sane, dicente Augustino, ita est in facultate hominis quam hominis voluntas, quæ opitulante gratia, omnia vincit, si constans sit. Hinc patet quanti facienda sit illorum excusatio qui ut ducant in malum dies suos, resipiscendi impossibilitatem adstruunt.

non sit in illius potestate eam velle — 2) A *spontaneo*, quod oritur non ex libera electione sed ex quodam instinctu seu naturæ inclinatione, quæ etiam brutis tribuitur: sic feles sponte fertur in caseum (1).

12. **Voluntarii divisio.** Voluntarium multiplex est.

I. *Perfectum* et *imperfectum*. Prius est quod fit cum plena intellectus cognitione et pleno voluntatis consensu, uti si quis perfecte sciens et volens carnes manducet die vetito. Posterius quod ex suboscura cognitione, aut semipleno consensu procedit, adeo ut non adsit perfecta deliberatio, ut sunt actiones hominis semisopiti.

II. *Voluntarium simpliciter* et *secundum quid*. Illud procedit ex plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia (et videtur confundi cum voluntario *perfecto)*. Hoc vero procedit quidem ex voluntatis consensu, sed cum repugnantia: hujusmodi est projectio mercium in mare facta metu naufragii. Actus iste ex una parte est voluntarius, quia nauta ita se gerit et eligit ad salvandam vitam; sed repugnantiam includit, quia nonnisi coacte merces projicit (2).

III. Voluntarium *in se* seu directum; et *in causa* seu indirectum. Prius est quod voluntas in seipso intendit, ut est furtum a fure intentum et patratum. Posterius dicitur quod voluntas non quidem in se directe intendit; censetur tamen velle, quia vult aliud ex quo istud secuturum prævidet, uti est ebrietas ex potione excessiva, homicidium ex temeraria lapidis projectione in viam publicam et frequentatam; sane qui vult causam, vult quoque effectum ex ea immediate sequentem.

IV. *Expressum* et *tacitum*. Dicitur voluntarium *expressum* quod distinctis verbis vel signis declaratur: sic ad matrimonium contrahendum qui loqui scit suum consensum exprimit verbis; mutus autem et surdus illum nutibus externe declarant. *Tacitum* vero quod non declaratur expresse, sed ex aliquo facto

(1) Voluntarium ex communi usu non distinguitur a *libero;* ideoque dicimus voluntariam esse aliquam actionem, ut significemus eam a libero arbitrio procedere. At proprie loquendo discrimen maximum intercedit; nam voluntarium potest esse etiam *necessarium*, scilicet cum necessaria determinatione ad unum: sic beati in cœlo Deum voluntarie sed necessario diligunt: et homines in terra voluntarie sed necessario felicitatem quærunt. Liberum vero omnem necessitatem excludit (*S. Alph.*, l. v, n. 6).

(2) Unde hic aliquid habetur voluntarii simul et involuntarii. Verum alii aliter definiunt voluntarium *simpliciter* et *secundum quid;* juxta illos voluntarium *simpliciter* seu purum habetur quando attentis omnibus circumstantiis, consensus datur, sed cum aliqua repugnantia; voluntarium *secundum quid* seu mixtum quando voluntas aliquid vult consideratis tantum quibusdam circumstantiis; sed omnibus perspectis, illud non vult. Sic mercium projectio ex istorum sententia erit mercatori voluntaria *simpliciter;* non autem voluntaria *secundum quid*.

vel ex facti omissione cognoscitur adesse. Sic peccata subditorum sunt superiori voluntaria et imputabilia, si omittat illos corrigere cum potest et debet: hinc illud *qui tacet consentire videtur*, quod maxime obtinet in favorabilibus, vel cum quis dissentire deberet *(D. Thomas*, 2, 2, q. 62, a. 7).

V. *Actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum. Voluntarium actuale* est actus voluntatis hic et nunc mihi ipsi præsentis; sic est mihi voluntaria responsio ad hunc quæsitum. *Virtuale* est actus voluntatis prius positus, qui tamen naturaliter et humano modo influere pergit, ut esset absolutio data a confessario distracto. *Habituale* est quando actus voluntatis qui præcessit, retractatus quidem non est, sed tamen humano modo non influit in opus quod postea fit, uti si somnambulus vel furiosus intersit Sacro, recitet horas Canonicas, baptizet. Nihil agit, licet se hæc facturum præviderit, imo et voluerit facere; nam neque tunc valent cum ea vult, quia non facit; neque cum ea facit, quia tunc humano modo non potest facere. Tandem *interpretativum*, quod quidem nunquam habitum fuit, sed in tali facti specie rationabiliter præsumitur adesse, et ideo ab aliquibus vocatur etiam *voluntarium præsumptum.* Sic infirmus sensibus destitutus qui christiane vixit, censetur Extremam Unctionem velle suscipere *(S. Alph.*, l. v, n. 9).

13. *Principia.* Ut effectus ex causa proveniens sit moraliter imputabilis requiritur (1):

1. Ut adsit lex, vi cujus agens teneatur eam causam auferre, vel omittere; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Nemo autem tenetur causam auferre aut omittere, cum illius ponendæ jus habet; nam *prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus.* Sic non imputatur chirurgo pollutio quam prævidet sibi secuturam ex necessario tactu mulieris infirmæ; neque illa imputatur studenti ad propriam et aliorum utilitatem materiis sexti præcepti, si isti nullimode pollutionem intendant, neque prudens adsit periculum illam approbandi et opportunis mediis ab illa se præmuniant; tunc potius habetur passio, quam actio.

2. Ut agens talem effectum impedire possit: *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Hoc vel ipsa civili lege

(1) *Imputatio moralis* est judicium, quo actio tribuitur una cum suis consectariis ei qui fuit verus et liber auctor. Duplex ideo est: alia *facti*, qua quis declaratur actionis auctor; alia *juris* qua consectaria actionis eidem assignantur; nam qui actionem edit, quacum certa consectaria connexa esse ignorare non potuit, in hæc ipsa censetur agendo consensisse. *Signorellius.*

firmatur, ex qua, licet quisque teneatur de damnis latis a sibi subjectis, quia tamen difficulter liber homo coerceri potest; ideo si valeat probare, se damnum impedire non potuisse, ab onere liberatur *(Cod. civ.* a. 1153).

3. Ut qui ponit actionem vel eam omittit, advertat saltem in confuso talem effectum ex actione vel omissione illa secuturum esse; quia *nil volitum, quin aliquo modo sit præcognitum* (1). Hinc qui summo mane diei festi se inebriavit, non prævidens secuturam Missæ omissionem, non peccat propter illam omissionem Sacri. Item non imputatur Nóémo ebrietas, quia vini vim haud sciebat, ideoque nec poterat ad illam advertere. Imputatur tamen Davidi scandalum ex ejus peccato profectum; cum sciret omnium subditorum oculos in regem esse conjectos *(S. Alph.,* l. v, n. 14).

In foro tamen externo, cum animus inspici a judice nequeat, res resolvitur ex communiter contingentibus; quæ enim communiter contingunt, prævisa censentur. Hinc ex lege civili proprietarius alicujus animalis tenetur de damnis ab illo illatis, etsi coram Deo reus non sit; cum enim animalia cæco ductu ferantur, dominus debebat illis continue invigilare (*a.* 1154).

Casus. Titius sacerdos audita Bertæ confessione: *Vade in pace,* inquit, *absolutione non indiges.* Verum interpositis salutaribus monitis, absolutionis formam recitat, nec ad errorem advertit nisi ea prolata — R. *Titius invalide absolvit, nam destitutus fuit omni absolvendi voluntate, inde non absolvit nisi materialiter; ergo nullus fuit actus humanus; ergo nulla absolutio.* Gury.

14. *An (quæres) liceat ponere causam ex qua sequitur duplex effectus, unus nempe bonus, alius vero malus?*

R. Affirmative, quando 1) Honestus sit finis causam illam ponendi; secus non, qui enim pravum finem intenderet, inordinate ageret — 2) Non adsit obligatio specialis effectum pravum præcavendi; secus malus esset utpote a lege prohibitus — 3) Bonus effectus immediate ex illa causa proveniat; nam si causa directe et immediate pravum habeat effectum, et nonnisi mediante illo bonus effectus proveniat, tunc bonum ex malo quæreretur, quod non licet: hinc non tibi licet mentiri etiam ad hominis vitam salvandam — 4) Adsit ratio proportionate gravis

(1) Dicitur *vel omissione;* nam quemadmodum actio ita et omissio imputari potest: aliquid enim ait d. Thomas, ab aliquo procedit vel in quantum est agens sicut calefactio a calore; vel ex hoc ipso quod non agit, sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore quatenus desistit a gubernando; quare a voluntate procedit etiam illud quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet (1, 2, q. 6, et 77).

ponendi causam illam; secus æquitas naturalis nos obligaret ad illam omittendam. Quæ omnia si una simul habeantur, bene possumus sine peccato causam prædictam ponere; eo in casu effectus malus non intenderetur, sed per accidens se haberet, et mera esset permissio ex justa ratione. Tunc, ut ait d. Thomas, effectus bonus esset tantum in intentione; malus vero præter intentionem (*I. p. q.* 64, *a.* 7).

Hinc belli dux non peccat qui tempore obsidionis ad vincendum hostem, incendit civitatem, etsi damnum patiantur etiam innocentes; quia hoc non intenditur, sed permittitur tantum ex legitima causa. Non peccat qui pecunia egens nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario lucrum injustum exacturo; quia petitio non est per se mala, nec causa immediata malæ voluntatis exigendi injuste; sed soli usurario animus suus pravus est imputandus.

15. **Voluntarii impedimenta.** Ea omnia, quæ voluntatis motus vel impediunt vel minuunt vel lædunt, dicuntur voluntarii impedimenta, et involuntarium constituunt: hinc involuntarium definitur: *Quod est contra inclinationem voluntatis.* Sic homini in carcere detento involuntaria est pœna illa, qua sua libertate privatur.

Hæc impedimenta quatuor numerantur, quorum duo propensioni voluntatis opponuntur; et sunt *violentia* et *metus.* Duo vero opponuntur intellectus cognitioni; et sunt *ignorantia, atque concupiscentia* (1).

Art. I. — **De Violentia et Metu.**

16. **Violentia.** Violentia (seu vis) definitur: *Coactio a causa extrinseca et libera illata, repugnante omnino eo qui eam patitur.* Ex quo patet, ad violentiam requiri: — 1) Ut ea sit ab *extrinseco,* quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre — 2) Ut sit a *causa libera,* quæ nos impellat ad faciendum id, cui voluntas nostra repugnat — 3) Ut patiens repugnet *pro viribus,* idest omni conatu. Nam si quis habeat voluntatem

(1) Involuntarium aliud est *privativum*, nempe quando voluntas aliquid hic et nunc non intendit, non tamen voluntati adversatur, ut evenit quoad ignorantiam concomitantem; et suo nomine appellatur *non voluntarium.* Aliud dicitur involuntarium *positivum* seu *contrarium*, quando scilicet aliquid non solum non est volitum, sed positive nolitum et voluntati repugnans; et proprio nomine *involuntarium* appellatur, de quo nunc. *S. Alph.*, l. v, n. 13.

patiendi vim sibi ab alio illatam, non potest dici quod veram violentiam patiatur (1).

17. Violentia proprie dicta tollit omne voluntarium in actione quæ ponitur; repugnat enim ut homo velit nolens, vel nolit volens, quod nec Deus facere potest quia est contradictorium (2). Et ideo actio illa nullimode est imputabilis. Hinc Augustinus excusat a peccato fœminas quæ, Roma a Gothis capta, vim *passæ* sunt; quia totis viribus repugnaverant *(De Civ.* c. 16).

E contra a gravi culpa non excusantur fœminæ vim patientes, si pusillanimitate aut vano timore, v. g. offendendi aggressorem, non resistunt quantum possunt, etsi non consentiant in peccatum ac malam delectationem; nam æquivalenter in sui violationem consentiunt, et gravissimo alterius crimini quiescendo cooperantur. *Gury.*

18. **Metus.** Definitur: *Trepidatio animi ab instanti vel futuro periculo sibi, aut proxime conjunctis excitata.* Dicitur *proxime conjunctis*, v. g. patri, matri, avi, uxori, filiis, fratribus, sororibus, amicis intimis. Nam quod nostris fit, nobis fieri censemus. Multiplex dividitur metus.

I. Metus *ab intrinseco* vel *ab extrinseco*, prout provenit a causa intrinseca, v. g. a corporis vel mentis infirmitate; vel a causa extrinseca sive libera nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, v. g. a terræmotu.

II. Metus *juste* vel *injuste* incussus, prout causa, quæ illum incutit, justa est, ut est metus pœnæ promeritæ; vel injusta, si nempe per injuriam incutiatur timor.

III. Metus *antecedens* ita ut actio dicatur posita propter metum; vel *concomitans* ita ut actio dicatur posita tantum cum metu. Quæ duo sunt diversa: nam metus *antecedens* habetur cum dat causam actioni: sic viator, qui in grassatione dat latroni crumenam, agit metu antecedenti; quia timet mortem, et

(1) Non tamen requiritur resistentia absoluta, continua et externa illatæ coactioni, ubi ex una parte inutilis foret, et ex alia non indicat consensum, neque est de necessitate ad scandalum vel religionis injuriam avertendam. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis propriis pedibus ambularent *(S. Alph.*, l. v, nn. 15 et 19).

(2) Unde Angelicus: *Deus qui est potentior quam voluntas humana, potest voluntatem humanam movere secundum illud:* Cor regis in manu Dei est, et quodcunque voluerit inclinabit illud. *Sed si hoc esset per violentiam, jam non esset cum actibus voluntatis, nec ipsa voluntas moveretur, sed aliquid contra voluntatem* (1, 2, q. 6, a. 4). Et d. Augustinus Tract. XXVI in Joann.: *Ramum viridum ostendis ovi, et trahis illum: nuces puero demonstrantur et trahitur; et quod currit trahitur; amando trahitur; sine læsione corporis trahitur: cordis vinculo trahitur.* En quomodo nos trahit et vincit Deus.

pro ea vitanda crumenam tradit. Metus autem *concomitans* habetur, quando non dat causam actioni, sed eam tantum comitatur: sic latro qui crumena viatorem expoliat, agit metu concomitanti; nam timet, ne deprehendatur. Non tamen ab hoc timore, sed a malo animo ad furandum ipse movetur.

IV. Metus *gravis*, vel *levis*. *Levis* (qui et vanus dicitur) est ille, quo timetur malum leve, ut amissio unius obuli; vel malum grave, sed quod facile averti possit, aut quod rationabiliter non immineat, ut si sereno cœlo timeas fulmen.

Gravis autem metus vel talis est *absolute*, ut cum malum grave in se timetur ex causa per se gravi. Qui metus dicitur cadere in virum constantem, quia illo etiam viri fortes turbari solent: ut est metus mortis, exilii, duri vel diuturni carceris, mutilationis membrorum, servitutis propriæ dictæ, verberum enormium, notabilis famæ detrimenti, ablationis instrumentorum artis propriæ, sine quibus victus comparari non possit; item magnæ bonorum jacturæ, etiam quoad divitem, etc.

Vel metus est gravis solum *respective*, quo non turbatur vir constans et fortis, turbatur tamen meticulosus, uti puer, senex, fœmina. Sic metus nonnullorum baculi ictuum quos miles spernit, gravis esse potest, si incutiatur viro formidoloso (*S. Alph.*, l. v, n. 21).

19. **Metus reverentialis**. Est timor quo quis veretur resistere ei cui subjicitur: erit gravis vel levis, habita ratione personæ reverendæ ac personæ reverentis. Sed recte observant; metus reverentialis ut gravis habeatur, debet esse conjunctus cum timore gravis alicujus mali, v. g. diuturnæ patris, domini, mariti, prælati indignationis (licet absint verbera et minæ). Secus non tam esset metus, quam simplex reverentia, quæ de se non inducit, nisi quamdam erubescentiam (*S. Alph.*, l. III, n. 717, et l. VI, n. 1036).

20. **Principia ac resolutiones**. I. Metus etiam gravis etsi sit causa movens ad agendum non tollit voluntarium, sed voluntarium minuit; nam quamvis tunc consensus detur cum repugnantia, voluntarie tamen et libere datur (1). Ideo contractus qui fiunt ex metu gravi de jure naturæ sunt validi, etsi rescindi possint si per metum injustum initi. De jure tamen po-

(1) *Dicendum quod* (ait Angelicus, 1, 2, q. 6, a. 6), *ea quæ per metum aguntur mixta sunt ex voluntario et involuntario: id enim quod per metum agitur in se consideratum non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur.*

sitivo plurimi contractus ob metum gravem injuste incussum sunt invalidi et irriti ipso facto, ut esset contractus matrimonialis etiam juramento firmatus, etc. (*S. Alph.*, l. v, n. 22, et dicenda *t.* II, *n.* 108).

II. Metus levis a peccato gravi non excusat, si præcepti materia gravis sit; nam ex jure *vani timoris justa excusatio non est.*

III. Metus gravis si sit circa ea quæ intrinsece et per se mala non sint, sed tantum mala quia lege positiva prohibita, ea patrantem a tota culpa metus gravis excusat, non quasi tollat voluntarium sufficiens ad peccatum, sed quia lex positiva non obligat cum gravi incommodo: hinc qui metu gravis damni omittit Sacrum die festo, non peccat. Excipe nisi violatio cedat in religionis contemptum, vel sit cum gravi scandalo aut publico damno: et ideo non liceret militi metu mortis fugam arripere tempore belli, nec parocho tempore pestis oves suas deserere; agitur enim de bono publico.

Si vero metus gravis sit circa ea quæ intrinsece mala sint, nempe ideo prohibita quia a lege naturali vetita, certum est metum utcumque gravem (modo usum rationis non adimat, quod raro evenit) non excusare a culpa, etsi illam extenuet (1); nam quod fit semper malum est; et voluntas adhuc gaudet facultate sese determinandi in oppositum. Hinc semper ut apostatæ habiti sunt illi, qui metu tormentorum fidem negarunt (*S. Alph.*, l. v, n. 21).

Casus. Liborius famulus domum, absente domino, custodiens, nocte invaditur a fure qui districto pugione pecuniam quærit. Cum Liborius nullam propriam habeat, 100 francos domini furi tradit. Tradita pecunia non sufficit furi qui mortem famulo minatur nisi locum, ubi arca numeraria domini reconditur, ostendat: ostendit famulus ad mortem fugiendam — R. *Liborius in primo casu excusandus ab omni peccato et onere restitutionis; herus enim præsumendus est cooperationi famuli consentire ut a periculo mortis eripiatur. Imo excusatur etiam in secundo casu, quia in summo vitæ periculo omnia bona evadunt communia, ita ut subripiens quod ad vitæ conservationem requiritur, nullam domino injuriam inferat. Ita probabilius contra Billuart et alios; neque enim agitur de re intrinsece mala.* S. Alphonsus.

(1) *Diminuitur tamen*, ait d. Thomas 2, 2, q. 125, a. 4, *secundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium est quod ex timore agitur; imponitur enim homini quædam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminentem.*

Art. II. — **De Ignorantia et Concupiscentia.**

21. **Ignorantia**. Ignorantia generatim sumpta definitur: *Carentia scientiæ.* Multiplex est.

I. Alia est *negativa*, alia *positiva.* Prima est carentia scientiæ indebitæ, quæ ad mores non pertinet. Alia vero est carentia scientiæ debitæ.

II. Alia est *juris*, alia *facti.* Ignorantia *juris*, ea est, qua lex ignoratur: v. g. si quis ignoret affinitatem lege Ecclesiæ dirimere matrimonium. Ignorantia *facti* est quando non jam lex, sed ignoratur an factum aliquod particulare sit legi contrarium: v. g. si quis sciat quidem affinitatem ex Ecclesiæ determinatione dirimere matrimonium; sed ignorat, an mulier cui vult nubere, sibi sit affinis.

III. Alia est *antecedens*, alia *concomitans*, *consequens* alia. *Antecedens* ea dicitur, quæ omnino antecedit voluntatis consensum, ita ut nullo modo sit voluntaria; tamen est causa volendi seu faciendi id quod non fieret, si scientia adesset: uti si quis interficiat hominem putans esse feram, adhibita sufficienti diligentia, non interfecturus si sciret hominem esse. Porro si involuntaria, neque imputabilis est hæc ignorantia. *Concomitans* est illa qua quis ignorat quid agat; sed adhuc ageret, si non ignoraret: uti si quis putans invincibiliter occidere feram, occidit inimicum, quem adhuc occideret, si cognovisset. Hæc ignorantia in actum moralem non influit; quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est. *Consequens* vero est illa quæ a libera voluntate procedit, ut cum quis negligit ea addiscere quæ scire tenetur; hæc culpabilis est ob discendi negligentiam.

IV. Alia est *invincibilis*, alia *vincibilis.* Prima omnino inevitabilis est, et ideo physice invincibilis vel moraliter, cum nulla veniat in mentem cogitatio, aut dubitatio ne in confuso quidem de opposito; vel si venit, depelli nequit; hæc ideo inculpabilis est. Secunda vero morali diligentia, quam scilicet viri prudentes in similibus communiter adhibere solent, vinci potest. Et ideo hæc erit culpabilis, si sit circa res quas quis scire tenetur; et negligit eas inquirere: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quia quærere negligis quod*

ignoras (S. Augustinus, *De lib. arb.*, *l.* III, c. 13). Et d. Thomas: *Manifestum est quod quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis* (1, 2, q. 76, a. 2).

V. Ignorantia vincibilis seu consequens et culpabilis quadruplex distinguitur: — 1) Alia est *simpliciter talis,* quando nempe ad eam depellendam adhibetur diligentia, non tamen sufficiens, quæ ideo peccatum minuit vel alleviat juxta illud Apostoli: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (I Tim. I) — 2) Alia est *crassa* seu *supina,* quando nulla aut exigua omnino adhibetur diligentia pro rei gravitate ad eam vincendam; unde est volita in ipsa negligentia tanquam in causa, et erit gravis vel levis pro rei ipsius gravitate vel levitate — 3) Alia est *affectata* seu directe voluntaria, uti cum quis vult ignorare et ideo expresse omittit inquirere de suis obligationibus, ut eas (absque remorsu, si fieri possit) violet juxta illud: *Noluit intelligere, ut bene ageret* (Psal. XXXV). Hæc ignorantia non minuit voluntarium; imo est indicium voluntarii valde intensi, sub quo respectu et peccatum auget — 4) Alia est *malæ electionis,* quæ nempe quis actu non considerat quod hic et nunc considerare potest et debet, et provenit vel ex passione vel ex malo habitu; et ideo est peccaminosa (*S. Alph.*, l. v, n. 26).

Hinc obligatio exurgit eam diligentiam, et veritatis inquisitionem adhibendi, quæ ad ignorantiam nostram depellendam necessaria est, ne *multiplicentur delicta* (Eccl. XXIII). Et scriptum est: *Qui ignorat, ignorabitur* (I Cor. XVI). Hinc Psalmista Deum rogabat: *Ignorantias meas ne memineris* (Ps. XXVI). Et in veteri lege sacrificia præscripta erant pro peccatis ignorantiæ (*Lev.* IV et V; *Num.* XV).

22. **Concupiscentia.** Communiter definitur: *Motus appetitus sensitivi.* Sæpe nos in nobis quasdam commotiones patimur, uti amoris, odii, abominationis, quæ nos vehementer excitant. Hæ porro *passiones* dicuntur, quæ non sunt in se malæ; sunt enim ab auctore naturæ, et esse possunt incitamenta virtutum. *Neque potest voluntas* (ait d. Thomas 1, 2, q. 77, a. 6) *intense moveri in aliquid quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo:* sic miles desiderio veræ gloriæ excitatus fortius dimicat. Quia tamen in præsenti naturæ corruptæ statu plerumque homines ultra justos limites abripiunt; ideo passiones vulgari sensu uti malæ motiones habentur, quas sub nomine *concupiscentiæ,* seu *fomitis peccati* designant.

Unde per concupiscentiam hic intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi, qui tendit in objectum delectabile contra rectam rationem. Unde illud Apostoli: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Quo sensu ab Angelico definitur concupiscentia: *Pronitas ad inordinate appetendum (De malo,* q. 4, a. 2).

23. *Divisio.* Concupiscentia duplex est: altera *antecedens,* quæ exurgit in nobis, sed non a nobis; et ideo voluntatis deliberationem præcedit: sic viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ. *Consequens* altera, quæ in nobis et a nobis ortum habet; quæ ideo voluntatis consensum sequitur: imo oritur ex consensu voluntatis jam præstito; cum enim quis ardenter desiderat aliquid, excitatur in eo passio vehementior erga illud.

24. **Principia.** I. Si concupiscentia antecedens sit omnino talis, actus ex ea procedens non est ullo modo formaliter voluntarius et liber, nec proinde culpabilis; cum desit omnis mentis advertentia: et dicitur motus *primo-primus.* Si vero sit talis ex parte tantum, tunc habetur actus imperfecte voluntarius et liber, ac proinde leviter tantum culpabilis, ratione imperfectæ advertentiæ; et appellatur actus *secundo-primus* a theologis (1).

II. Concupiscentia autem *consequens* non diminuit voluntarium et peccatum, sed magis auget; quia illa vel est libere quæsita ad ulterius peccandum, ut accidit in eo qui per turpes lectiones se ad inhonesta accendit. Vel est effectus magnæ intensitatis in peccando; *et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat* (D. Thomas, 1, 2, *q.* 79, *a.* 6).

25. **Habitus pravus.** Quod de concupiscentia consequenti dictum est, id ex Suarez valet etiam de *habitu,* seu consuetudine prava, quæ est *quædam peccandi facilitas iteratis actibus libere comparata.* Quare qui pravo habitu peccat quamdiu non fuerit sufficienter retractatus debita diligentia adhibita, periculosius et gravius peccat: *periculosius,* quia inveteratum malum difficilius depellitur; *gravius,* quia maxime voluntarii censentur motus concupiscentiæ qui ex pravo

(1) Ad rem Angelicus: « Passio quandoque est tanta quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt; et tunc si talis passio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa. Si vero causa non fuerit voluntaria sed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine vel aliqua hujusmodi causa incidit in talem passionem quæ totaliter aufert usum rationis, actus omnino redditur involuntarius et per consequens totaliter a peccato excusatur. Quandoque vero passio non est tanta quod totaliter intercipiat usum rationis, et tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum. Unde talis passio non totaliter excusat a peccato (1, 2, q. 77, a. 7). »

habitu procedunt. Ideo si peccator interrogetur, tenetur habitus circumstantiam in confessione aperire; damnata siquidem est propositio illa: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Si quis tamen habitus suos pravos emendare studeat, non ideo censetur gravius peccare, si ex infirmitate in eadem peccata relabatur: quidquid enim erat culpæ in contractis habitibus jam pœnitentia delevit. Cum eo itaque eodem modo agendum, ac cum illo qui non ex habitu sed ex infirmitate peccat; et tantum ejus actio erit prava, quantum hic et nunc est libera.

Discant juvenes (ad rem monet Bouvier), *libidines suas coercere; experientia enim constat, eas in teneris annis non ægre refrænari. Qui vero liberius eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent.* Siquidem, ut ait Augustinus, dum consuetudini non resistitur fit necessitas; seu consuetudo quodammodo vertitur in naturam, quin desinat esse peccatum. Neque quis impossibilitatem adstruat; pravis enim inclinationibus ac passionibus non obstantibus, quilibet se sentit suorum actuum dominum; ad malum enim propensio fræno rationis contineri potest; certando viriliter consuetudo consuetudine vincitur; et gratia non deest ad illam efficaciter superandam (*Scavini,* l. I, n. 112) (1).

26. **Remedia contra motus concupiscentiæ.** Opportunum remedium est, uti notat Gury, illorum removere causas. Hinc si motus pravi proveniant ex phantasia, hæc ad alia convertenda est. Si ex voluntariis occasionibus, ab iis fugiendum; si ex necessariis, illæ sunt oratione ac vigilantia superandæ. Si ex complexione, hæc curanda; si ex humorum abundantia, mortificatio adhibenda; si ex nimio timore, spernendus, etc.

27. Q. *Qui oscitanter et negative se habet, seu positive non resistit (per actus displicentiæ, vel se ex proposito convertendo ad alia) motui appetitus sensitivi circa objectum sub mortali vetitum, peccat ne graviter?*

R. Certum est esse mortale motum illum scienter permittere, si inde timeatur periculum consensus; nam eadem obligatione, qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam vitare periculum peccandi. Hoc autem periculum judicabitur adesse, tum ex qualitatibus pœnitentis, si sit tenuis virtutis, qui alias consenserit; tum ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur casu, quo superveniat delectatio venerea.

Quo tamen consentiendi periculo præcluso, vera sententia docet cum Angelico, non esse mortale motibus illicitis positive non resistere (2, 2, q. 74, a. 4). Sane peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione. Hinc si quis expertus sit ex positiva resistentia magis motus excitari, vel si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. g. ex auditione confessionum, ex tactu necessario ad medendum, satis est si negative se habeat cum firmo proposito non consentiendi (*S. Alph.*, l. v. nn. 8 et 60; *Scavini*, l. I, n. 105, etc.).

(1) Ad rem d. Bonaventura: « Narrat Aristoteles, quod discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hippocratis, qui pronuntiavit de ipso quod esset vir luxuriosus. Illis autem indignantibus et culpantibus Philemonem, qui de optimo viro, taliter judicasset, retulerunt hoc Hippocrati qui confessus est Philemonem hoc recte judicasse; sed ex amore philosophiæ et honestatis dixit se concupiscentias cordis sui vicisse et accepisse per studium quod naturæ fuerat denegatum. » *Compendium Theol. veritatis*, l. I, c. 48 et 49.

Casus. Titius mercator cum ex conditione sua cum personis cujuslibet generis agat, majorem propensionem sentit ad agendum cum fœminis quam cum viris — R. *Talis inclinatio non est moralis sed potius naturalis seu in ipsa natura fundata, ideo nec formaliter mala, modo semper honeste agat, et consensum tentationibus dare præcaveat.* Elbel.

CAPUT SECUNDUM

De Libertate.

28. **Libertas.** Generatim definitur: *Immunitas a servitute et subjectione.* Duplicem libertatem distinguunt Moralistæ, *a coactione* et *a necessitate.* Prima est immunitas ab omni violentia externa ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem. Sive est libertas qua quis voluntarie et libenter agit, etsi agat ex necessitate suæ naturæ: talis est libertas qua Deus seipsum diligit, qua beatus Deum amat, qua homo viator prosequitur bonum generatim.

Secunda seu *libertas a necessitate* est immunitas ab omni vi non solum extrinseca, sed etiam interna necessario determinante ad unum, licet ea determinatio sit juxta voluntatis inclinationem; sive est libertas, qua voluntas non solum voluntarie ac libenter agit, sed etiam cum tali suorum actuum dominio, ut possit æque non agere. Hæc porro sola proprie libertatis nomen sibi vindicat, et liberum arbitrium nuncupatur, cujus subjectum immediatum est voluntas, objectum vero sunt omnia bona particularia sive vera sive apparentia. Et ideo recte definitur libertas: *Vis electiva,* seu *facultas eligendi pro libitu.* Hinc d. Thomas: *Proprium liberi arbitrii est electio; ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere; et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet* (1, p. q. 83, a. 3).

29. Libertas a necessitate subdividitur: 1) In libertatem exercitii, (seu *contradictionis),* qua nempe quis potest agere vel non agere, v. g. studere vel non studere — 2) In libertatem *disparitatis* (seu *specificationis),* qua quis agere potest hoc vel illud, sed non oppositum, v. g. scribere vel ambulare — 3) In libertatem *contrarietatis,* qua quis eligit unum ex duobus omnino oppositis, nempe bonum vel malum. Huc refertur potentia peccandi, quæ tamen potius est libertatis imperfectio. Hinc d. Anselmus: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum* (De lib. arb., c. I).

30. Ex dictis jam patet, quod veræ libertatis essentia sita est in sola facultate eligendi; sane ea sola potentia est libera arbitrii libertate, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest adhuc agere vel non agere. Hoc porro non verificatur, si ad aliquid eligendum homo invincibili necessitate determinaretur. Hinc Pius V et Gregorius XIII damnarunt has Baji propositiones: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali (S. Alph.,* l. v, n. 30).

31. **Principia**. I. Homo post Adæ peccatum gaudet libertate electionis. De fide est a Tridentino definitum: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re... anathema sit* (Sess. VI, can. 5). Id luculentissime probatur ex S. Scriptura: sic Moyses Dei nomine Israelitas, utique in statu naturæ lapsæ constitutos, alloquitur: *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum* (Deut. XXX). Et Pontifices s. Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII, Innocentius X et alii id tuentur. Firmatur ex testimonio propriæ conscientiæ, ex consensu totius generis humani, et etiam ex absurdis, quæ sequerentur ubi ponatur hominem libertate carere: et sane semel sublato ab homine libero arbitrio seu eligendi libertate, frustra darentur leges, nemo vel laude vel vituperatione dignus esset, nec bonis deberentur præmia, nec supplicia malis *(S. Alph.*, l. v, n. 32) (1).

Utique liberum arbitrium per Adæ peccatum fuit sauciatum: 1) In *voluntate* ob debilitatem — 2) In *intellectu* propter ignorantiam — 3) In *concupiscibili* propter inclinationem ad malum. At fuit sauciatum, non extinctum; neque enim homo fuit læsus in naturalibus essentialibus (2).

(1) Plura solent contra veram libertatem opponi tum ex Patribus; tum ex Scriptura: quæ omnia facillime solvuntur, si hoc maxime advertatur. Nempe Patres a toto contextu sunt dijudicandi, qui aliquando *voluntarium* ac *spontaneum* pro *libero* sumunt; item *necessitatem* pro *vi* et *coactione*. Scriptura vero, quando videtur hominibus electionem denegare, vel loquitur de motu indeliberato, ut Rom. VII: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Vel loquitur de voluntate efficaci, ut Matth. VII: *Non potest arbor bona malos fructus facere;* nempe homo habens voluntatem efficacem, quamdiu illam habet, non potest malum agere. Vel tantum vult innuere, hominem propriis viribus nihil posse in ordine salutis æternæ, quo sensu iterum Rom. IX: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* V. Billuart, Perrone, Knoll.

(2) Nempe ut proprie loquamur cum Perrone, dum homo per peccatum excidit e statu originalis justitiæ, nihil amisit ex essentialibus naturæ suæ, sed solum dona

II. In præsenti statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum requiritur libertas electionis, et ideo non sufficit libertas a coactione. Est de fide: Innocentius X damnavit ut hæreticam hanc contrariam Jansenii propositionem: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* (1). Et s. Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII damnarunt hanc Baji propositionem: *Homo peccat in eo quod necessario fit.* Ratio evidens est, nam ut quis mereatur vel demereatur debet habere dominium suæ actionis: hinc Eccles. XXXI: *Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Hinc d. Hieronymus: *Nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec damnatio nec corona est* (l. II contra Jovin.). Vide Scavini, l. I, nn. 27, 107, 137, etc.

Casus. Calepodius acriter contendit ad probandam hominis libertatem, nihil evincere argumentum ex pœnarum sanctione desumptum; cum etiam bruta animantia licet libertate carentia, a nobis puniantur. Præterea voluntas est potentia quædam, sed potentia ut agat, ab alio moveri debet; ergo non est libera — R. *Nos bruta animantia pœnis quandoque puniri concedimus, sed improprias pœnas dici affirmamus; non enim a nobis infliguntur pœnæ quasi illæ actiones bestiis merito vel culpæ vertendæ sint, ut in homine ratione prædito; sed ut phantasmate doloris incusso ab illa actione iteranda deterreantur. Voluntatem autem dicimus potentiam, sed duplex potentiæ genus distinguimus; voluntas nempe est potentia non tantum passiva, sed etiam activa et libera. Illa porro non affert nisi determinationis suscipiendæ capacitatem (cujusmodi est potentia ligni quoad rotunditatem); hæc est vis quædam et principium actionis eliciendæ. Prima libertate non donatur et alio eget determinari; posterior vero dividitur in necessariam et liberam, prout ejus operatio a sola natura vel ab ejus electione procedit. Ad hoc autem ultimum genus pertinet humana voluntas.* Buttini.

32. **Libertatis impedimentum.** Libertati opponitur necessitas, quæ definiri potest: *Determinatio ad unum.*

eidem naturæ gratuito ex pura Dei liberalitate superaddita; seu quod idem est, si statum peccati excipias, homo nunc nascitur prout a Deo constitui poterat sine immortalitate, sine immunitate a concupiscentiæ lucta. Hinc patet ignorantiam, concupiscentiam aliaque incommoda, quibus urgemur, non alio sensu vocari posse læsiones seu vulnera naturæ, quam habito respectu ad statum primævum protoparentum; minime vero absolute et in se (Scavini, *l.* I, *n.* 111).

(1) Imo ut incautos decipiant jansenistæ versipelles semper et falsi, ultro concedunt libertatem variare quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinat; sed eorum mens est, hominem aut ad bonum aut ad malum insuperabiliter inclinari antecedenter ab omni ejus libero actu: et hanc libertatem contendunt in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere. Quæ omnia eo semper tendunt, ut liberum arbitrium omnino tollant, et vitiis latam viam aperiant.

Multiplex est: 1) Alia dicitur necessitas *coactionis*, quæ idem est ac violentia, quæ quidem tollit omne voluntarium et liberum — 2) Alia est necessitas *naturæ*, quæ consistit in quadam propensione insita voluntati ab ipsa natura ad aliquid: quæ aufert liberum, non autem voluntarium: hac necessitate beati esse volumus — 3) Alia *moralis* et est summa difficultas aliquid agendi, quæ tamen vinci potest, ut est necessitas ex veteratis habitibus comparata *(S. Alph.*, l. v, n. 31).

Casus. Titius sæpe in somno pollutiones patitur — R. *Hic ab omni culpa immunis est, ob defectum libertatis et voluntarii. Attamen animadvertendum an in die præcedenti, præsertim vespere, sub nocte causam pollutioni dederit, v. g. turpibus cogitationibus liberius vacando, et simul periculum pravi effectus modo confuso præviderit; tunc ipsi ad culpam imputantur.* Elbel.

CAPUT TERTIUM

De Moralitate actuum humanorum.

33. **Moralitas.** Actiones ab agente rationali procedentes in quantum concipiuntur esse defectuosæ, vocantur *malæ;* in quantum vero concipiuntur præditæ ea essendi perfectione quæ ipsis competit, dicuntur *bonæ:* ratio porro bonitatis vel malitiæ quæ verificatur in hisce actionibus, dicitur proprie ipsarum moralitas. Ideo recte definitur actuum humanorum moralitas in genere considerata eorum *convenientia vel discrepantia cum regulis morum;* nam moralitas suas leges habere debet. Ex quo patet duas adsignari moralitatis species, *bonitatem* et *malitiam.*

Principia. Conveniunt omnes quod morum regulæ debeant esse *rectæ,* secus non essent tenendæ. *Certæ* quoad praxim, ne quis se committat errandi periculo. *Obligatoriæ,* ut valeant homines obstringere in conscientia. Sed in quonam præcise constituendæ sint, non una est sententia: ego dico cum d. Augustino morum regulas esse constituendas *in recta ratione*, ita ut bonitas moralis actus humani sita sit in conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione; malitia autem in ejus discrepantia, seu deformitate a recta ratione *(De util. credendi,* c. 12).

Cum autem recta ratio duplex distinguatur, una increata quæ in mente divina existit (et *lex æterna* dicitur), altera creata quæ est lumen a Deo creaturæ rationali impressum (et dicitur

ratio humana); ideo nil mirum, si vulgo duæ adsignentur morum regulæ, nempe ratio humana uti regula proxima, et lex æterna uti regula remota; *remota* quidem, sed primaria. Lumen enim rationis quod est in nobis, inquit d. Thomas, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus divini, id est a vultu divino derivatum. Unde manifestum est quod multo magis dependet bonitas voluntatis a lege æterna, quam a ratione humana (1, 2, q. 19; et *S. Alph.*, l. v., n. 34).

34. Hinc collige, morum regulam: 1) Non constitui a libertate; quia liber concipitur actus antequam sit moralis; tamen libertas præexigitur ad fundamentum moralitatis, secus actus non esset humanus. Hinc Angelicus: *Ibi incipit genus moris ubi primum dominium voluntatis invenitur* — 2) Eam non esse collocandam in solo utili ac delectabili; si enim quod placet vel prodest, illud semper amplecti liceret, omnia pessumdarentur, propria cupiditas modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior. Quod rectæ rationi repugnat; et Pius IX damnavit in Syllabo sub n. 58 propositionem, quæ *omnem morum disciplinam honestatemque collocat in cumulandis divitiis et in voluptatibus explendis* — 3) Neque illam pendere ab educatione, a principum legibus, pactis socialibus aut a mera et mutabili populorum opinione; moralitas enim est aliquid immutabile, intrinsecum et universale, cum sit a lege æterna Dei. Hinc Encycl. *Quanta cura* a Pio IX damnatur propositio: *Voluntas populi publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestata, constituit supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata eo ipso quod consummata sunt, vim juris habent. V. Signorellius.*

35. **Moralitatis constitutiva.** Sunt ea principia quæ actui humano suam tribuunt bonitatem vel malitiam; et tres numerantur, *objectum*, *finis* et *circumstantiæ*. Sane ab eo actus humanus sumit moralitatem, a quo habet, ut sit bonus vel malus; sed hoc habet ab objecto, fine et circumstantiis; ergo ab iis constituitur moralitas actionis.

36. **Objectum.** Objectum est ipsamet res materialiter secundum se spectata, in qua proxime et per se terminatur voluntas agentis: sic in furto objectum est res quæ subripitur; in actu justitiæ est res aliena quæ redditur. Jam vero hoc objectum potest esse sive bonum ut venerari parentes; sive malum ut aliena surripere; sive indifferens uti ambulare, loqui, dormire. Rursus potest esse vel malum ex natura sua, et absolute, ut odium Dei; vel malum quia a lege positiva prohibitum, ut manducare carnes die veneris sine licentia, aut necessitate; vel malum tantum, quia periculosum, ut liber romaniensis.

Actus humanus ab objecto suam distinctam moralitatem su-

mit, quia ab illo habet quod sit actus talis speciei et non alterius, v. g. homicidium, quod ex objecto suo morali est injuste vitam hominis auferre, habet ut sit talis actio nempe homicidium, et non alia. Tales enim sumus qualia amamus et volumus; hinc Oseæ IX: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Objectum uno verbo est quodammodo forma actus, adeoque efficit, ut talis sit quale ipsum est. Imo actus humanus ordine et natura sumit ab objecto primam et essentialem suam moralitatem; cum moralitas quam objectum actioni tribuit, concipiatur ante omnem aliam. Et appellatur malitia, vel bonitas *objectiva (S. Alph.,* l. v, n. 36).

37. **Finis.** Finis definiri solet: *Illud cujus gratia aliquid fit.* Finis porro licet sit ultimus in assecutione, est tamen primus in intentione et cognitione: hinc finis in agente dicitur etiam ejusdem *intentio.*

Divisio. Finis præcipue dividitur: in finem operis et in finem operantis. *Finis operis,* qui dicitur etiam intrinsecus et cum ipso objecto coincidit, est ille, ad quem opus ex natura sua, et independenter a voluntate operantis dirigitur. Sic levamen pauperis est ex se finis eleemosynæ. *Finis operantis,* qui et *externus* dicitur, est ille, qui ab ipsius operantis arbitrio eligitur, quique in re morali maxime attenditur, quippe qui solus proprie finis dicitur. Sic finis medici medicinam suppeditantis potest esse vel ægroti sanitas, vel pecuniæ aut gloriæ consecutio. Hic finis alius est primarius vel secundarius, alius intermedius vel ultimus.

Primarius influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret. *Secundarius* allicit tantum ad agendum, quin sit acticnis efficiens causa: et ita sacerdotes celebrando Missam primo intendunt Dei cultum, secundarie vero stipendium.

Finis ultimus est ille, ad quem omnia referuntur et ipse ad nullum aliud refertur, secus non esset ultimus. Est autem felicitas, in quam homo necessario fertur (1). *Finis intermedius* est qui ad alium finem refertur. Sic media quibus studet avarus

(1) Felicitas vera seu beatitudo nostra in Deo collocanda est, qui est summum bonum quod appetitum rationalem adæquate satiat. Qui tamen mortaliter peccat, cum ad Deum nullomodo tendere possit, oportet ut creaturam aliquam sibi constituat tanquam finem ultimum. Hinc Apostolus de iis qui ob lucrum falsa disseminabant dicit: *Quorum Deus venter est* (Philipp. III); dicit *Deus,* animadvertit Thomas, quia proprium Dei est, ut sit principium et finis ultimus; unde qui pro fine ultimo habet aliquid, illud est Deus suus (V. *d. Thomas*, 1, 2, q. 3).

ad augendam pecuniam in qua collocat suam felicitatem, sunt totidem fines intermedii.

38. **Principia.** I. Actum humanum suam a fine desumere moralitatem certum est; cum finis possit dicere ordinem conformitatis vel deformitatis ad rectam rationem. Imo a fine maxime pendet actionis moralitas, cum ipse sit tota ratio agendi. Hinc si objectum sit bonum, finis vero operantis malus, actus humanus est totus malus ex malitia finis quæ destruit omnem bonitatem; improbat sane recta ratio ut eligatur bonum ob finem pravum. Hinc illud Matth. VI: *Si oculus tuus* (id est intentio, ut ait d. Augustinus, qua facimus quidquid facimus) *fuerit nequam, totum corpus tuum* (id est operatio) *tenebrosum erit.*

II. Si objectum est bonum et finis item bonus, tunc actus humanus habet duplicem speciem bonitatis moralis; si tamen utraque honestas sit intenta, uti esset dare eleemosynam etiam in satisfactionem peccatorum. Item idem actus potest esse malus multipliciter, si v. g. habeat diversos fines malos; ideo præstat ut confessarius pœnitentem qui se accusat de aliquo peccato, interroget etiam de fine intento, si de hoc suspicio esse possit. Ita si detraxerit proximo, quærat si opus est, an detractione intenderit ipsum impedire a lucro, ab officio consequendo, etc.

III. Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. g. si quis mentiatur ad proximo subveniendum, peccat tantum peccato mendacii. Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic, v. g. si ambulas ex obedientia, habes tantum meritum finis; si ambulas ad ostensionem luxus, habes tantum finis reatum.

IV. Si finis leviter malus comitetur actum bonum, qui ideo non sit primarius, non corrumpit totam actus boni substantiam, etsi aliquatenus ejus bonitas imminuatur, ut esset exiguus tepor in oratione, levis complacentia in eleemosyna. Aliter esset si finis leviter malus sit primarius, tunc tota actio mala est; cum eligatur ut sit instrumentum ad malum. Huc facit illud 1 Corinth. V: *Modicum fermentum totam massam corrumpit (S. Alph.,* l. V, n. 38).

Casus 1. Monica tabernaria comem se exhibet hospitibus, ut ad suam tabernam frequentius redeant et majus lucrum capiat, etsi prævideat in deplures interne peccaturos mala complacentia. — R. *Non videtur damnanda Monica ex eo quod comiter et blande agat erga hospites, modo terminos honestatis non excedat, neque scandalum*

ullum præbeat. Hic enim est modus indifferens ad finem bonum, seu ad lucrum adhibitus; sed caveat, ne liberiorem et familiarem se exhibeat. Elbel.

Casus 2. Blandina humanæ æstimationis cupida, videns alias conditiones mulieres frequenter confiteri et communicare pluribusque Missis interesse, et ipsa hæc frequentat. Quod sciens confessarius declarat sacrilegas esse confessiones et communiones illas — R. *Severior apparet confessarius; vana gloria non fuit motivum primarium in muliere; saltem id facile supponi potest; porro si hæc admittatur, nonnisi in singulis venialiter peccavit, si hæc debito modo egerit. Sed ex peccato veniali admisso in Sacramentis illis, non evadit sacrilega eorum susceptio, nisi tanta esset hypocrisis ut finis primarius agentis haberetur.* Gury.

39. **Circumstantia.** Circumstantia, sic dicta quasi actum circumstans definiri potest: *Accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tam physico quam morali* (1). Ideo requiritur, ut circumstantia addat aliquam moralitatem, et quidem distinctam ab ea quam actus ille jam participat de objecto et fine. Sic v. g. ad furtum nihil refert quoad mores quod manu dextra vel læva sit commissum; refert tamen, si illud in loco sacro patratum fuerit.

Principia. In actuum humanorum moralitate circumstantias influere indubitatum est. Sicut in naturalibus (ait d. Thomas 1, 2, 9. 18, a. 3) non tota perfectio ex substantiali forma exurgit quæ dat ei speciem, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus, ut in homine ex figura, colore, etc.; ita et in humanis actibus fit, quorum bonitatis plenitudo non tota in eorum specie posita est, sed aliquid additur ex his quæ adveniunt accidentia, quæ *circumstantiæ* dicuntur. Sic in Scriptura reprobantur sacrificia Saulis et Oziæ, eo quod licet in se bona, in circumstantiis indebitis oblata fuerint.

Septem autem vulgo numerantur circumstantiæ ex notissimo Tullii versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis indicat conditionem personæ operantis: v. g. ecclesiasticine an laici. *Quid* designat qualitatem objecti: v. g. utrum res ablata sit sacra necne. *Ubi* denotat qualitatem loci in quo peccatum commissum est: an in templo Dei, an extra. *Quibus auxiliis* notat media operandi: v. g. an ope maleficii proximo damnum quis intulerit. *Cur* exprimit finem extrinsecum ac specialem operantis: an quis v. g. furetur ad se inebriandum.

(1) Et ideo moralitas quæ desumitur ex circumstantiis, dicitur *accidentalis*, quia accedit actui jam constituto in sua specie in ordine morali. *Essentialis* contra est quæ depromitur ex objecto et fine; quia constituit essentiam actus in ordine moris.

Quomodo, modum specialem, quo fit actus, v. g. an ex contemptu. *Quando,* tam qualitatem temporis: an quis frequentaverit popinas die festo; quam temporis durationem: an odium longo tempore duraverit.

40. *Divisio circumstantiarum.* 1) Circumstantiæ aliæ dicuntur *mutantes speciem,* et sunt illæ quæ humanum actum vel ex una specie in aliam trahunt, v. g. ex indifferenti reddunt bonum, ut deambulatio quæ si in bonum finem exerceatur, in actum virtutis transit; vel primam moralitatem destruunt aut impediunt, v. g. si eleemosynam quis non tribuat nisi ob inanem gloriam; propter pravum finem, illa tunc mala evadit, licet sit ex objecto bona.

2) Aliæ dicuntur *addentes speciem,* sunt quibus bonitati, vel malitiæ quam habet actio ex objecto, nova additur bonitas vel malitia specie distincta; v. g. si quis furetur in loco sacro; tunc malitiæ furti quam actio habet ex objecto, additur sacrilegium, quod inducit malitiam specie diversam.

3) Aliæ sunt *aggravantes,* vel *minuentes speciem:* quæ augent vel minuunt malitiam actus intra eandem speciem. Sic major vel minor pecuniæ quantitas furto sublata, facit majorem, vel minorem furti malitiam. Quod contingere potest: *notabiliter* et *non notabiliter.*

4) Aliæ transferunt peccatum de veniali in mortale; et dicuntur mutare speciem, non moralem, quam tantummodo augent, sed *theologicam* seu *demeritoriam* (vocantur etiam circumstantiæ *in infinitum aggravantes).* Sic furtum unius libellæ non differt, quoad virtutem cui opponitur, a furto libellarum centum; differt tamen quoad culpam, quia furtum unius libellæ per se leve peccatum est, sed furtum libellarum centum, mortale. Cæterum circumstantiæ debent aliquo modo cognosci, ut ad peccatum imputentur; secus actus non esset voluntarius quoad illas.

Casus. Gustavus puer decennis tactus turpes habuit cum sorore sua; de his quidem confessus est, omissa tamen sororis circumstantia, quia ignorabat peccatum inde gravius seu diversum evasisse — R. *Non tenetur iterare declarationem hujus peccati, ut circumstantiam omissam adjiciat, si tempore quo peccatum commisit nullam habuit suspicionem de ejus speciali malitia; quia peccatum fuit tantum materialiter diversum; ignorantia enim invincibilis seu absoluta a peccato formali incestus illum excusavit.* Gury.

41. Præstat notare quoad praxim: ut actio bona sit in tota sua extensione, opus est ut sit talis quoad objectum, finem et circumstantias; dum vero ut sit mala, sufficit ut talis sit sub aliquo ex

hisce capitibus juxta illud effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Sane cum bonitas consistat in perfectione convenienti, et malum consistat in privatione convenientis perfectionis, facile cognoscere est quomodo ad bonitatem actus habendam requiratur ejus convenientia ad ordinem legis ex parte tam objecti, quam finis et circumstantiarum; et quomodo ex defectu hujus vel alterius ex tribus hisce indicatis capitibus inducatur privatio perfectionis convenientis, quæ importat ut actus sit malus *(D. Thomas,* 1, 2, *q.* 19, *a.* 6) (1).

42. **Actus externus.** Actus externus per se et formaliter non addit malitiam, vel bonitatem actui interno, si voluntas est plena et perfecta, et sola deest occasio externe agendi. Commune est contra Scotistas; nam voluntas efficax bene vel male agendi pro facto apud Deum reputatur: *Quia non pepercisti filio tuo* (ait Deus Abrahamo) *benedicam tibi,* etc. (Gen. XXII); et tamen pepercit. Et ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (Matth. V). Sola revera voluntas libera est moralis per se; at actus externus est tantum moralis per participationem, quatenus movetur a voluntate ad bene vel male operandum; ergo ipse per se actus externus non potest addere peculiarem bonitatem vel malitiam actui interno.

Dixi *per se et formaliter,* quia per accidens actus exterior adauget moralitatem actus interni, id est materialiter, ratione nempe materiæ et circumstantiarum. Nam actum internum reddit intensiorem ac diuturniorem. Insuper ex actu externo scandala interdum nascuntur, contrahuntur censuræ, oritur obligatio restitutionis, etc. Semper autem est in confessione explicandus; nam actus externus cum interiori constituit unum actum moralem, seu ex utroque una actio habetur *(S. Alph.,* l. V, n. 40) (2).

43. **Actus indifferens.** I. Certum est dari actus indifferentes seu moralitate carentes, si in se spectentur, nempe secundum suum objectum, abstrahendo a fine et circumstantiis individua-

(1) Sic ad obtinendam moralem bonitatem in actu eleemosynæ convenientia requiritur tum ex parte *objecti,* v. g. ut res non sit furtiva; tum ex parte *finis,* ut non fiat ad seducendum; tum ex parte *circumstantiarum,* v. g. ut non fiat tempore indebito. Si aliquid istorum deest, habetur inconveniens, et ideo actus malus. Vid. cl. *Battaglinius.*

(2) Item ex bono actu exteriori provenire potest aliquod præmium, non quidem essentiale, sed accidentale. Sic Martyres qui facto pro Christo passi sunt, habent præmium accidentale, seu quandam veluti *aureolam* super illos, qui martyrium quidem exoptarunt, sed non potuerunt eodem coronari, licet æquali amoris fervore in Christo mortui sint; nam aureola debetur difficultati quæ est in ipsa pugna martyrii, ut notat d. Thomas *in* 4 *dis.* 49, *q.* 5, *a.* 2, *q.* 2; et 1, 2, *q.* 20.

libus; nam sicuti varia sunt objecta de se bona vel mala; ita etiam varia dantur objecta, quæ de se omnino sunt indifferentia ad bonitatem vel malitiam. Hinc d. Hieronymus: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.*

II. Commune est contra Scotistas non dari actus indifferentes si spectentur in individuo humano modo agente, ac in ordine naturali (1). Hinc d. Thomas: *Cum rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum* (1, 2, q. 18, a. 9).

Dices: *Ambulare, in horto flores colligere vel olfacere, sputa ejicere, fricare barbam vel manus ad frigus pellendum, etc., non sunt actus mali in se; tamen non referuntur ad bonum; ergo sunt indifferentes.*

R. Actus isti plerumque indeliberate et ex sola imaginatione fiunt, ideo non sunt actus morales. Quod si fiant deliberate, tunc vel ponuntur juxta dictamen rationis, et proprio pondere ad Deum referuntur, et boni sunt; vel ex aliqua vitiata circumstantia ponuntur, et mali sunt. Ut ergo actiones nostræ honestæ sint, non requiritur status gratiæ: hinc proscripta fuit hæc Baji propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Non requiritur ut referantur ad Deum ex motivo charitatis, secus attritio ex gehennæ metu concepta esset peccaminosa: quod asserere damnatum fuit ab Alexandro VIII. Neque ut omnes explicite referantur ad Dei gloriam, quod esset onus importabile. Sed sufficit ut operando velimus bonum honestum qua tale cognitum, nempe ut velimus honeste et bene agere: hoc enim implicite est revereri Deum et actiones nostras ad illum uti principium omnis recti ordinis virtualiter referre.

Optimum tamen consilium est sæpius, saltem mane, opera nostra actu in Deum referre; tum quia sunt totidem actus amoris, tum quia fervor spiritus hoc pacto mirum in modum fo-

(1) Nam quoad meritum et demeritum in ordine supernaturali, utique dantur actus indifferentes; sic opera peccatorum et infidelium non totidem sunt peccata, nec tamen vitam æternam merentur. *Scavini*, l. 1, n. 48.

vetur; et perfectius adimpletur illud Apostoli, I Corinth. X: *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (S. Alph.,* l. v, n. 49).

44. *Casus.* Terentius cum audierit in parochi concione omnia esse referenda ad Dei gloriam et cibum et potum et solatium, vehementer angitur; quia de hoc nunquam cogitavit.

Peccat utique Terentius, si hæc ob *solam* delectationem agat; quia pervertit rerum ordinem; delectatio enim non est nisi medium ad actionem facilius efficiendam, non ergo finis est actionis. Hœc tamen inordinatio per se non est gravis (nisi in eo ponatur finis ultimus); nam qui ita se gerit, non rem malam, sed rem bonam appetit, indebito tantum ordine. Cæterum in praxi non peccat qui delectationem cibi vel ludorum expresse quærit, etsi actu non cogitet de ulteriori fine, modo illum positive non excludat; sed velit in illis honeste se habere et apprehendat actionem suam uti rectæ rationi consonam. Tunc ille propter delectationem forte; at non propter *solam* delectationem agere dicendus est. Hinc consolandus et instruendus Terentius.

45. Ut vero actus noster sit non solum honestus, sed meritorius, hæc requiruntur:

I. Ut sit meritorius *de condigno* requiritur: 1) Ut sit liber, secus non esset actus humanus. 2) Ut sit honestus; secus non esset præmio dignus. 3) Ut procedat ex motivo supernaturali et referatur in Deum saltem virtualiter dum impletur; secus non haberet proportionem ad mercedem supernaturalem. 4) Ut fiat in gratia, quia peccator non est Dei filius cui promissa debeantur. 5) Ut ex parte Dei adsit promissio; nam homini nihil debet Deus, nisi ex promissione *(D. Thomas,* 1, 2, q. 114).

II. Ut actus vero sit meritorius *de congruo* tantum, necesse est ut sit honestus et liber. Non tamen requiritur status gratiæ in operante, neque promissio ex parte Dei; nam ipsa opera utpote honesta ad gratiam consequendam conducunt ex se. Constat ex variis Scripturæ locis, in quibus exempla referuntur peccatorum, quibus intuitu ipsorum bonorum operum gratiam largitus est Deus, ut sunt Ninivitæ, Magdalena, etc. (S. Alph., *Opera dogmat.*, sess. VI, n. 87).

Casus. Sophia interrogata quonam fine operetur, respondet se labori incumbere ut vitam sustineat, viro obedire ut vitet verbera, filiis providere ex irresistibili naturæ amore erga illos, et orare, quia multis indiget a Deo — R. *De actionibus Sophiæ aliquæ bonæ apparent, aliquæ non totaliter, nisi bona fide excuset. Labor ad vitam sustentandam filiisque providendum, censetur bonus nisi aliter pateat; item præcari Deum ut temporalia concedat, cum hoc oratione dominica petamus. Quæ omnia cum bona sint, si honeste patienterque fiant, saltem implicite ad Deum referuntur, ut luminis rationis, ac boni honesti auctorem. At viro obedire ut verbera vitentur, si id non sit causa impulsiva tantum, sed finalis, non est juxta præceptum Apostoli:* Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Episc. Bersani.*

DISPUTATIO SECUNDA

DE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM

De Conscientiæ natura, obligatione et divisione.

46. **Conscientia.** Definitur: *Judicium seu dictamen rationis practicum de liceitate vel illiceitate actionis hic et nunc ponendæ* (1).

Dicitur *judicium seu dictamen rationis*, actus scilicet quo mens aliquid affirmat vel negat. *Practicum*, ad differentiam synderesis quæ est judicium speculativum principiorum generalium; conscientia vero versatur circa actiones humanas easque dirigit in particulari: unde ejus judicium vocatur etiam practice-practicum (2). *De liceitate vel illiceitate actionis*, seu de ejus relatione ad legem, ac proinde de ejus bonitate vel malitia; est enim conscientia legis ad singulos casus applicatio. *Hic et nunc ponendæ*; unde patet conscientiam, prout est regula actuum humanorum, proprie versari circa actus futuros.

Attamen aliquando respicit etiam præteritos, judicando an illi fuerint boni vel mali. *Et secundum hoc* (ait d. Thomas, 1, p. q. 79) *conscientia dicitur excusare vel accusare vel remordere* (S. Alphonsus, l. I, n. 2).

Principium. Conscientiæ obligatio et vis magna est; *hoc tribunal* (ait de conscientiæ dictamine d. Chrysostomus) *non pe-*

(1) Conscientia, si nominis etymologia spectetur, idem sonat ac *cordis scientia*, quasi nempe sit scientia earum rerum, quæ in animo nostro sitæ sunt: ita d. Bernardus. Vel ex s. Antonino sic dicitur a *conclusione* et *scientia*, quasi idem sit ac *concludens scientia*. Vel demum sic dicitur, quia importat ordinem scientiæ ad aliquid, ita ut idem sit ac *cum alio scientia*, ut juxta magis propriam significationem docet Angelicus, qui proinde conscientiam definit *applicationem scientiæ ad opus aliquod particulare* (1, 6, q. 79, a. 3; *de verit.* q. 17, c. 2).

(2) Synderesis dicit: *Non est retinendum quod est alterius.* Conscientia vero concludit: *Atqui hæc pecunia quam mihi ostendis, est aliena; ergo eam retinere non debes.* v. *Sanseverinius, Signorellius.*

cunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est et a Deo cervicibus nostris impositum. Atque ideo qui scienter agit contra conscientiam semper peccat; id enim non est aliud quam operari contra dictamen rationis (1).

47. *Divisio.* Conscientia ad rem nostram potest considerari: 1) Ratione *temporis* quo judicium practicum exercetur. 2) Ratione *objecti* circa quod judicium illud versatur. 3) Ratione *assensus* in ipso agente — Ratione temporis conscientia alia *est antecedens*, alia *consequens*. Ratione objecti alia est *vera*, alia *erronea* (seu *falsa)*, alia *perplexa*. Ratione assensus alia est *scrupulosa* et *laxa*, alia *certa* et *dubia*, alia *probabilis* et *improbabilis*.

CAPUT SECUNDUM

De Conscientia antecedenti, consequenti, vera, falsa et perplexa.

48. **Conscientia antecedens et consequens.** *Conscientia antecedens* illa est quæ dictat quid sit agendum priusquam actio ponatur. Antecedens dicitur quia judicium de actus honestate antecedit actum ipsum nondum positum: hæc autem est quæ hominem ligat.

Consequens illa est, quæ actionem subsequitur et judicat quod jam factum est: quod quidem si factum fuit sine ulla suspicione peccati, non ideo peccatum est, quia nunc cognoscimus illud non congruere cum morum regulis. Qua de re, recte monet Ballerini, docenda est plebs christiana, nempe formalem actuum bonitatem vel malitiam non a *consequenti* conscientia desumi, sed ab *antecedenti*. Decipiuntur enim sæpius rudes qui dum audiunt conciones judicant se in quibusdam peccasse, quando de malitia illorum actuum inter agendum nunquam suspicati fuerunt, neque culpabilem inadvertentiam habuerint.

(1) Hinc patet quam deploranda sit illa *conscientiæ libertas* quam ætate nostra adeo extollunt; turpis licentia est, seu libertas perditionis, non vera libertas. Hinc a Pio IX Encycl. *Quanta cura* damnata est hæc propositio: LIBERTAS *conscientiæ et cultuum est proprium cujuscunque hominis jus, et quod lege proclamari et asseri debet in omni recta constituta societate; et jus civibus inest ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscunque sive voce sive typis sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeat* (V. Scavini, l. I, n. 123).

Neque ea libertas reputanda (ait Leo XIII sua prima Encycl.) *quæ effreni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere explendis, impunitate flagitiorum et scelerum, oppressione optimorum civium cujusque ordinis turpiter et misere grassatur.*

49. **Conscientia recta et erronea.** Conscientia *recta* (seu vera) ea est *quæ dictat aliquod esse licitum vel illicitum quod revera tale est.* Hanc autem sequi tenemur, cum sit juxta dictamen rationis. Hinc Innocentius III: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.*

Conscientia autem vera, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia recta, quamvis promiscue usurpentur; nam *verum* dicitur juxta quod est in se; *rectum* juxta quod a nobis apprehenditur. Unde conscientia recta prædicari potest etiam de eo, qui laborat conscientia falsa invincibiliter; nam iste prudenter operatur, cum operetur ex intima persuasione insuperabili. Ut liquet exemplo Jacob accedentis ad Liam, qui tunc sibi hunc discursum vel formaliter vel virtualiter efformavit: *licitum est accedere ad propriam uxorem; sed hæc est mea uxor, ut prudenter judicare debeo; ergo mihi licitum est nunc ad eam accedere* (Salmanticenses).

50. **Conscientia erronea.** Conscientia *erronea* (seu falsa) ea est, *quæ dictat aliquid esse verum et licitum, quod tamen in se falsum est et illicitum;* error enim est *falsum de aliqua re judicium.* Conscientia autem vel errat vincibiliter vel invincibiliter, prout ignorantia seu error potest et debet vinci vel non; et ideo prout est culpabilis vel inculpabilis.

Principia. I. Conscientia erronea *invincibiliter*, si præcipiat, semper sequenda est; nam licet actio quam ipsa dictat recta non sit in se, recta tamen est subjective, id est juxta perceptionem agentis: porro *actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, et non secundum materiale objectum,* ut ait d. Thomas (Quodl. 3, a. 27). Hinc illud Apostoli: *Omne quod non est ex fide* (seu juxta dictamen conscientiæ) *peccatum est.* Quare si quis mentiatur ad proximo succurrendum putans inculpabiliter ad id teneri ex charitate, actum bonum facit; si non mentiatur, peccat contra charitatem. Item qui invincibiliter putat hodie esse jejunandum ex præcepto, cum tamen præceptum non adsit, si non jejunat, peccat contra præceptum jejunii *(S. Alph.*, l. I, n. 5; *Scavini*, l. I, n. 125).

II. Si vero conscientia est erronea *vincibiliter*, qui agit semper peccat sive juxta sive contra talem conscientiam operetur; nam si agit *juxta*, cum eam deponere possit et debeat, temere operatur eam non deponendo. Si vero agit *contra*, eligit quod judicat esse malum et hoc peccatum est, saltem indirecte seu in negligentia inquirendi veritatem. Hinc si quis ex errore

vincibili putat necessario esse furandum ad succurrendum proximo, talem conscientiam sequi non potest, nec contra eam facere; sed debet inquirere veritatem et postea operari *(S. Alph.,* l. I, n. 4).

III. Est monendus pœnitens qui laborat conscientia erronea vincibiliter, etsi monitio ista tali pœnitenti nullimode sit profutura; quia est semper in peccato. Si vero laboret conscientia invincibiliter erronea, monendus est si speretur fructus, si error vergat in publicum damnum, aut sit de rebus necessariis ad animæ salutem *(S. Alph.,* l. VI, n. 610) — Conscientia autem pœnitentis judicatur errans inculpabiliter:

1) Si res ignorata non sit circa prima principia moralia, vel conclusiones iis proxime connexas; hæc enim a natura in omnium cordibus insculpta sunt. Hinc si quis fateatur, se in adulta ætate inhonesta perpetrasse, sed illa non habuisse uti peccata, ne facile credas (1).

2) Si non sit circa obligationes proprii status; hæc enim ignorantia ordinarie est culpabilis in causa. Qui enim cuipiam statui se mancipat uti ecclesiastico aut religioso; vel aliquod munus suscipit obeundum, uti judicis, notarii, advocati, magistri, confessarii, etc. eo ipso illius status et officii obligationes ediscere tenetur. Et hæc ignorantia erit gravis vel levis pro gravitate vel levitate rei et damnorum. Verum excipe: si agatur de aliqua quæstione recondita et perardua; vel si quis sufficienter se curaverit instrui, et nihilominus ob inadvertentiam erraverit *(S. Alph.,* l. I, n. 120).

3) Si pœnitens satis diligens sit in iis adimplendis, quæ ab aliis ejusdem conditionis peragi solent. Vel si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, doleat atque tristetur (V. t. II, n. 732).

51. **Conscientia perplexa**. Ea est *qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contrariam partem elegerit.* Uti si quis assistens infirmo, putet se peccaturum tam si infirmum deserat, ut Missæ intersit, quam etiam si Missam omittat, ut infirmo assistat.

52. *Principium.* Qui laborat conscientia perplexa, si potest tenetur actionem suspendere, quousque peritum consuluerit; nam

(1) Loquendo v. g. de quibusdam levitatibus, idest jocis nimis familiaribus habitis ætate puerili, sine cognitione malitiæ, non est obligatio illos confitendi. Neque certo argui potest malitia, ideo quia in abscondito patrati fuerunt; etiam actus naturales, ut ventris exoneratio, a pueris in abscondito fiunt. S. Alph., *La Monaca santa,* c. XVIII, n. 14.

quisque vitare debet illud, quo putat Deum offendi. Si vero actionem suspendere nequeat, ut ordinarie evenit, tenetur minus malum eligere; alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est. Quod si nequeat discernere minus malum, tunc quamlibet partem eligat, non peccat; quia est quidem liber physice ratione actus, liber tamen non est moraliter ratione peccati. Neque peccatum esse potest *in eo quod nullo modo caveri potest (S. Alph.,* l. I, n. 10).

CAPUT TERTIUM

De Conscientia scrupulosa et laxa.

53. **Conscientia scrupulosa.** Ea est *quæ ex levi motivo sæpe formidat de peccato ubi revera peccatum non est, vel non grave.* Qui hac conscientia laborant omni studio sunt curandi, siquidem scrupuli animi pacem turbant, mentem excruciant, corpus debilitant, sanitatem labefactant, hominem ineptum reddunt, imo vel in ipsam desperationem et amentiam aliquando conjiciunt, aliaque plura mala causant.

54. *Signa conscientiæ scrupulosæ.* Hæc sunt præcipua: 1) Pertinacia judicii. 2) Inconstantia in agendo. 3) Timor peccandi in omnibus. 4) Signa ridicula ad tentationes propulsandas. 5) Reflexiones impertinentes circa actiones. 6) Anxietas continua circa præteritas confessiones. Cave tamen, ne habeatur scrupulosus qui est sollicitus, ne Deum offendat; qui post vitam pravam adhuc angitur, et magis vult confiteri et peccata iterum iterumque expiare.

55. **Remedia.** En præcipua: 1) *Humilitatem colere,* sæpe enim ex superbia scrupuli ortum habent. 2) *Cavere a consortio scrupulosi* et a lectione librorum scrupulos excitantium: huc aliquando referri potest lectio casuum conscientiæ vel moralis theologiæ facta a parum intelligente. 3) *Otium fugere,* ex quo mens sæpe inanibus apprehensionibus repletur. 4) Illorum *causas destruere* (1). Ergo rudis instruatur. Timidus Dei bonitatem me-

(1) Nomine causæ non intelligitur impellens ineluctabiliter, sed moralis et occasionalis; nemo enim ad agendum proprie adstringitur. Porro causæ istæ aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. *Intrinsecæ* sunt: *indoles* admodum dispositæ ad suspiciones et timores, uti est melancholica. *Infirma capitis valetudo,* præsertim in

ditetur. Melancholicus solatium capiat. Infirmus curetur; aliquando enim ex sanguinis incensione malum procedit. 5) Pertinax frangat suum judicium, et pareat in omnibus suo directori; nam scriptum est: *Vir obediens loquetur victoriam* (Prov. xxi). Imo hoc unicum dici potest remedium ut docent experti. Sane cum scrupulosorum ratio plane impotens sit, aliud non restat, nisi ut illi per rationem alienam gubernentur. In hoc nullum temperamentum admittatur *(S. Alph.,* l. i, n. 12) (1).

56. **Regulæ pro confessariis.** Confessarius omni patientia et caritate scrupulosos excipiat; sed in his firmus sit:

1) Scrupulosis interrogantibus sine hæsitatione, et cum imperio respondeat; nec responsis facile adjiciat rationes, sed brevi se expediat, regulas generales præscribens.

2) Instet ut scrupulosi illico despiciant, quam continue habent in omni re peccandi formidinem, neque ideo se accusent de cogitationibus, vel de operibus cum tali timore patratis; est enim timor inanis.

3) Ne de propriis scrupulis loquantur. Imo quoad possunt de iis ne cogitent quidem; scrupuli non discursu, sed contemptu pelluntur.

4) Ne opera semel facta utcumque facta renovent; ne præteritas repetant confessiones et conscientiæ examen nimis curent; examen sit breve, brevis sit accusatio, et confessarii auctoritate freti ad communicandum accedant securi; cum enim scrupulosi generatim sint timoratæ conscientiæ et frequenter confiteantur, statim peccatum aderit ad portam cordis, si plene et deliberate in aliquo graviter deliquerint *(S. Alph.*, l. i, n. 15).

mulieribus. *Nimia abstinentia* et *vigiliæ immoderatæ*, quibus capite debilitato, facile conturbatur animus. Nimia *sollicitudo evitandi omne quod habet speciem mali;* id enim terret et perturbat.

Extrinsecæ vero sunt: 1) Deus, qui scrupulos permittit in *justis*, ut purgati magis proficiant; in *tepidis*, ut christianæ pietatis officia ferventius obeant: in *pœnitentibus*, ut præteritorum pœnam luant. Porro a Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant. 2) Dæmon qui *Deo permittente, movere potest melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest vel turbari ob timorem inordinatum*, ex d. Antonino. Scrupuli a dæmone provenire existimantur, si ad malum adducant. 3) Consortium cum scrupulosis. 4) Librorum qui rigidi nimis sunt lectio, etc.

(1) Nec obstat (ait s. Alphonsus) quod pœnitens cum conscientia scrupulosa seu cum actuali timore peccandi operetur; nam ex communi et vera sententia, scrupulosus ita agens non peccat formaliter. Quia conscientia scrupulosa seu dictamen mentis ex scrupulis ortum, non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex confessarii judicio vel alio modo. Tunc scrupulosus non agit contra conscientiam, sed contra scrupulos. Vide Scavini in Opere l. iv. Append. 68 ubi longior instituitur sermo *de scrupulosorum directione*.

57. Hic non abs re erit præcipuas scrupulosorum difficultates adnotare cum Gury in suo Opere, *Casus conscientiæ;* licet enim generatim non sit disputandum cum scrupulosis, juvat tamen scire quo modo eorum pertinacia retundi possit.

Objicit 1° *scrupulosus* contra prohibitionem confessarii ne plura declaret: Pater, clamat mea conscientia me alia habere peccata declaranda; conscientiæ meæ contradicere nequeo, nec ejus obsistere clamoribus eamque suffocare; numquid enim fas est contra conscientiam operari? — *Respondeat confessarius:* frustra times, fili mi, agere contra conscientiam. Ubi est conscientia tua? ubi dictamen verum? ego in te aliud deprehendere non possum nisi densissimas tenebras; lumen tuum extinctum est, et loco luminis rectæ rationis, erronea tua phantasia vel etiam ipse Lucifer princeps tenebrarum suam tetram et fumosam lampadem accendit et præit eam deferendo. Tu vero, miser et cæcus, in hoc lumine confidis?

Objicit 2°: sed Pater, si damnationem incurram, numquid a gehenna tu me liberabis? nonne Deus præcipit Confessionem peccatorum integram? — *Sed ad hoc confessarius:* audi, fili mi; falsum est te damnationis periculum incurrere si confessario obedias. Ipse te eximere potest ab obligatione plura peccata declarandi, si forte existant, quando judicat id ad animæ tuæ bonum expedire, id est declarare potest legem integritatis Confessionis in tantis angustiis non urgere, teste s. Ligorio et aliis bene multis. Ceterum non tuum est scire quid possit vel non possit confessarius, sed tantum obedientiam illi præstare: hac via certo consequeris animi pacem, quam per Confessiones centies repetitas nunquam reperies.

Objicit 3°: hoc quidem admitterem si me cognosceres; sed me minime nosti. Quomodo ergo tibi obtemperare possum? quomodo tu pro me coram Deo respondere vales, et in recta salutis via me dirigere atque ab angustiis liberare? — *Respondebit confessarius:* siste, frater, quid est hoc quod dixisti? scito et vide quousque processerit obcæcatio tua? Tu reformidas periculum *æternæ damnationis,* si duci tuo spirituali obtemperes, qui præter propriam experientiam ac scientiam, a Deo ad te dirigendum specialiter illuminatur; minime vero de propria opinatione diffidis? non reformidas errorem ex parte tui ipsius? ubi igitur est infallibilitas tua? numquid Deus te infallibilem constituit ad directionem tui, cum ne Papa quidem hac gaudeat infallibilitate? En tua infallibilitas, obedientia.

Objicit 4°: audio, pater, sed nec confessarius est infallibilis; quid igitur de me misero si forte erravero? — *Respondebit confessarius:* revera confessarius non est infallibilis materialiter in sua dirigendi ratione: tu vero vere gaudebis infallibilitate ei obsequendo, cum Christus dixerit de Apostolis seu sacerdotibus: *qui vos audit, me audit.* Igitur si forte materialiter dux tuus erraverit, error ille tibi nequit imputari. Sed dic mihi, quæso, mi bone; quare adeo reformidas errorem ex parte confessarii, et tam parum diffidis pertinaciæ judicii tui et spiritui superbiæ et tenebrarum quo repleris? nescis quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?

Objicit 5°: pater, minime diffido sapientiæ tuæ, sed mihi ipsi, qui conscientiam meam tibi patefacere nequeo, et ideo continuis anxietatibus detineor et crucior. — *Respondebit confessarius:* contemne, frater, hos animi tui angores et cruciatus; inanes et periculosas abjice curas. Hunc statum tuum patienter sustine, et Deus olim te sublevabit, ne quidquam detrimenti ex his animæ tuæ angoribus capias. Dic ex imo cordis, *in te, Domine, speravi; non confundar in æternum* (Ps. xxx). Ad rem s. Alphonsus cuidam scrupuloso: « Sento che siete tormentato da scrupoli; voi patite questo tormento, perchè non volete fare quello che tante volte vi ho raccomandato. Di tutte queste vostre tentazioni, consensi, dilettazioni, compiacenze, ecc., che dite, non ve ne confessate affatto, affatto, affatto, in coscienza mia. Io v' assicuro da parte di Dio che son pene, ma non peccati, no, no, no. E ciò che vi dico io, ve lo direbbero non solo i probabilisti, ma tutti i probabilioristi e tuzioristi; ve lo direbbe anche Concina, Sinnichio, Vendrocchio, Fagnano. Uno che vi dicesse il contrario avrebbe perduto il cervello: orsù quietatevi.... »

58. **Conscientia laxa.** Conscientia laxa seu lata ea est, *qua quis ex levissimis motivis judicat esse licitum quod illicitum est, vel esse malum leve quod est grave.* Admodum periculosa est hæc conscientia, quæ animas injicit in *latam viam, quæ ducit ad perditionem.*

59. *Divisio.* Conscientia lata alia dicitur *simpliciter lata,* quæ nempe libertatem plus justo extendit. Alia *latior* seu pharisaica quæ magna parvi et parva magni facit. Alia vero *latissima* seu cauteriata quæ ex diuturno habitu peccandi vel reprobo sensu peccata gravissima nihil pendit bibens iniquitatem quasi aquam (1).

Causæ. Conscientiæ laxæ causæ sunt: *Vita mollis,* quæ enervat. *Neglectus orationis,* qui nos omnino dejicit. *Nimia temporalium sollicitudo,* quæ tempus piis operibus suffuratur. *Familiaritas* cum vitiosis, quibus facile assuescimus.

Effectus. Effectus laxitatis sunt: *Cæca animi tranquillitas* post peccatum. *Insensibilitas* ad pia monita. *Irrisio* piarum exercitationum. *Impœnitens cor thesaurizans sibi iram in die iræ* (Rom. III).

Remedia. Præcipua laxitatis remedia sunt: 1) Dierum aliquot secessus, dicente Domino Oseæ II: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* 2) Frequens oratio cum novissimorum meditatione juxta illud Eccli. VII: *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis.* 3) Quotidiana conscientiæ discussio secundum illud Isaiæ: *Redite prævaricatores ad cor.* 4) Optimorum librorum lectio; nam in lectione nos alloquitur Deus, sicuti nos in oratione alloquimur Deum. 5) Promptum confugium post peccatum ad Pœnitentiæ sacramentum, ne animæ vulnus incrudescat. 6) Malorum fuga et conversatio cum bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur* (Prov. XIII).

(1) Cauterium est a græco *caio, ardere.* Conscientia *cauteriata* dicitur, quia omnem peccati sensum amisit; sic caro ferro candenti inusta, insensibilis efficitur. *Alasia, Scavini.*

CAPUT QUARTUM

Conscientia certa et dubia.

60. **Conscientia certa.** Definitur: *Firmum et prudens judicium de bonitate vel malitia actus quem ponere hic et nunc, vel prætermittere meditamur.* Dicitur *firmum*, id est sine dubio rationabili falsitatis. *Prudens*, quia firmitas sine prudentia esset pertinacia, non certitudo. Hæc porro sola est regula morum, cum in praxi ipsa excludat errandi formidinem, et sequatur rationis dictamen.

Duplici autem modo conscientia prudens suum judicium emittere potest, et in praxi moraliter certa evadere: *directe* et *indirecte* seu *reflexe*. Hinc est quod duplex distinguitur certitudo moralis: directa et reflexa.

Directa oritur ex principiis propriis et intrinsecis rem ipsam afficientibus. Judex hac certitudine innititur, quando condemnat reum, si processus illi subministret certissima criminis argumenta. *Reflexa* e contrario petitur a principiis generalibus rei extrinsecis, ex quibus tamen recte arguitur licitum esse in praxi illud, quod in se et directe non potest demonstrari licitum. Sic judex si ex rationibus intrinsecis causæ non potest certo dignoscere, an Titius sit absolvendus an vero condemnandus, dubius remanet. Attamen ex illo principio reflexo et generali: *In dubio favendum est reo,* sine hæsitatione concludit Titium esse absolvendum, et absolvit *(S. Alph.,* l. I, n. 32; et *Scavini*, l. I, n. 129).

61. **Conscientia dubia.** Est status animi qui hæret suspensus circa actionis honestatem; dubium enim est *suspensio assensus inter opposita.* Et multiplex dividitur dubium.

I. In positivum et negativum. *Negativum* est, cum ex neutra parte suppetunt rationes ad illud resolvendum; vel non suppetunt nisi admodum leves (quæ non curantur, nam parum pro nihilo habetur in re morali). *Positivum* est quando pro utraque parte, vel saltem pro una adest grave motivum sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito. Ideo dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili.

II. In dubium juris et dubium facti. *Dubium juris* est quando dubitatur an existat lex : v. g. an jejunium tali die revera a lege præceptum sit ? *Dubium facti* est quando dubitatur circa aliquod factum particulare, an illud cadat necne sub tali lege, v. g. an mea infirmitas talis et tanta sit, ut me a jejunii præcepto liberet.

III. In dubium speculativum et practicum. *Speculativum* est quando dubitatur de bonitate vel malitia actionis in abstracto præscindendo a circumstantiis præsentibus et personalibus: v. g. an pingere die festo sit opus servile, necne. *Practicum* est quando dubitatur, an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis sit licita an illicita, v. g. an liceat mihi in his circumstantiis constituto facere opus servile die festo. Quare inter utrumque dubium maximum intercedit discrimen: speculativum enim quærit an hoc in se verum sit; practicum an hoc mihi sit licitum *(S. Alph.*, l. I, n. 20).

62. **Dubium speculativum.** In dubio speculativo potest haberi moralis certitudo de honestate propriæ actionis; dubium enim speculativum non excludit practicam et moralem certitudinem de actionis honestate; nam aliæ sunt rationes quibus judicamus *de rei veritate;* et aliæ quibus judicamus *de honestate actionis.*

Res clarius patebit exemplo judicis, qui ex rationibus intrinsecis et directis dubius est, num Titius sit reus, an non; attamen ex illo principio reflexo ac generali, *in dubio favendum esse reo*, Titium absolvit. Judex videlicet laborat quidem dubio speculativo, quia spectatis rationibus intrinsecis, dubius hæret, an reus sit absolvendus necne; sed tali dubio non obstante, efformat sibi conscientiam moraliter certam de honestate suæ actionis in reo absolvendo, illud amplexus principium: *In dubio favendum est reo.* Ex his patet quomodo actio, cujus honestas speculative et in se ipsa considerata dubia est, possit in praxi et relate ad ipsum operantem evadere moraliter certa et practice secura, ita ut tuto agere possimus.

63. **Dubium practicum.** Stante dubio practico de honestate actionis, nefas est agere, sed prius dubium deponi debet; nam *omne quod non est ex fide, peccatum est;* sive quod non est ex intima persuasione, quod sit licitum, peccatum est. Hinc qui dubitat actionem suam esse furtum grave, graviter peccat furto, cum voluntarie se committat discrimini graviter Deum offendendi, ac proximum lædendi.

Quod si apprehendat quidem quod agit esse peccatum, sed non advertat mortale ne sit an veniale, satis probabiliter plurimi tenent, quod si homo iste sit timoratæ conscientiæ, qui neque in confuso advertat ad periculum graviter peccandi, nec ad gravem obligationem rem examinandi, non peccat nisi venialiter; ex his enim merito infertur non apprehendi peccatum uti mortale *(S. Alph.*, l. I, n. 25).

Resolutio. Dubitans de honestate suæ actionis hæc agere debet ut conscientiam practice certam sibi valeat efformare. Nempe si dubitans sit rudis, consulat confessarium, vel alium virum prudentem; consilium enim petere est de ordinaria Dei providentia. Si literis excultus, rem examinet ad dubium vincendum: quod si perduret, illud deponat inquirendo principium aliquod reflexum de honestate actionis, et operetur. Quod si non valeat illud efformare judicium, eam debet partem eligere, quæ ab omni peccati periculo removeat, ne illius discrimini se committat; ideo in illo casu partem tutiorem sequi debet, si nolit ab opere se abstinere (1).

64. **Principia reflexa.** Principia reflexa, quorum vi conscientia dubia potest deponi et evadere moraliter certa, plura sunt, nempe:

I. Principium primum et principale cui innixa conscientia dubia evadere potest practice certa de honestate actionis est: *Lex dubia non potest inducere obligationem certam.* Re quidem vera alienum est a recta ratione ex lege incerta certam obligationem deducere; numquid enim (scite quærit *Summula* Reate nuper edita) potest effectus existere sine causa, vel illam excedere? *(S. Alph.*, l. I passim; vide infra n. 79).

II. Ex hoc enascitur secundum principium: *In dubio melior est conditio possidentis:* quod communissime valet non solum in materia justitiæ, sed in omni alia materia: quia cum essentia justitiæ sit unicuique jus suum tribuere, hoc omni virtuti competit. Possessio igitur in hac materia analoge sumitur pro quovis jure certo dubium præcedente. Sic si dubium est an lex sit condita vel promulgata, non obligat, quia possessio stat pro libertate quæ antecedenter certa est; nam est de essentia legis

(1) Hinc patet quomodo sit accipiendum illud effatum *in dubiis libertas* quod tribui solet d. Augustino. In dubiis utique libertas, sed si dubia post institutum examen ac judicium resolvi nequiverint; nam ut ipse Tacitus ajebat: *Sæpe honestas rerum causas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur* (I, Hist. 83).

ut condatur ac promulgetur. Item est si dubitetur an lex promulgata comprehendat hunc vel illum casum; quia pro illa parte de qua dubitatur, lex non possidet. E contra si lex sit certe condita a legitimo superiore et promulgata, sed oritur dubium an sit acceptata, abrogata, dispensata, est observanda; quia est in possessione et perseverat usque dum certe probetur ejus cessatio *(S. Alph.,* l. I, n. 26) (1).

III. Porro ad dignoscendum pro qua parte in dubio stet possessio, videndum erit pro qua stet præsumptio. Præsumptio autem stat semper pro ea parte, quæ non tenetur per se ipsam factum contrarium probare, sed onus illud probandi transfert in partem alteram; *factum* nempe *non præsumitur nisi probetur.* Quod est tertium principium ab omni jure traditum; ideo in dubio factum non præsumitur; sed semper probandum est, ut admitti debeat. Hinc in dubio an meum animal tibi nocuerit, ut tenear ad restitutionem, tu teneris probare damnum revera fuisse secutum *(Scavini,* l. I, n. 69) (2).

IV. Verum si factum sit certum et jam obtinuerit, v. g. si matrimonium initum sit, et solum dubitetur, utrum rite initum fuerit an non, aliud recurrit principium. Quod quarto loco adsignari potest hisce verbis: *In dubio omne factum præsumitur recte factum,* sive *præsumitur factum quod de jure faciendum erat,* videlicet *standum est pro valore actus, quousque certo probetur contrarium* (3).

V. Hæc principia generalia aliæ regulæ speciales confirmant et sunt sequentes: 1) *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus:* hinc si soleas tali tempore diligenter recitare Breviarium et dubites an aliquam partem omiseris, non

(1) Dubitatur an ad jejunium teneatur adolescens, de quo incertum est, an expleverit annum ætatis suæ 21? item dubitatur de sene, an pervenerit ad annum 60, quo incœpto in multorum sententia a jejunii lege liberatur? Ex allatis principiis patet responsio, nempe adolescentem non teneri ad jejunium, quia adhuc possidet ejusdem libertas; ex adverso teneri senem, quia possidet præceptum jejunii. Idem dicendum de eo, qui est in sabbato, et dubitat, utrum pervenerit hora mediæ noctis an non? iste non potest manducare carnem, quia adhuc possidet præceptum abstinentiæ. E contrario autem si quis de hora mediæ noctis serio dubitet in feria quinta, tunc poterit carnem manducare, quia adhuc possidet ipsius libertas.

(2) Titius incolit domum, et ideo præsumitur habere jus in illam, et jure possidere; sed insurgit Sempronius, qui ipsum vult exturbare. Cujusnam erit onus probandi? profecto Sempronii, et sufficit Titio, si dicat se fuisse atque adhuc esse dominum domus illius: etenim est in pacifica possessione.

(3) Dubitatur an lex sit justa, an injusta? lex ista vim suam habet ob quartum principium, quod *in dubio præsumatur recte factum quod de jure faciendum erat;* legislator enim de jure tenebatur condere legem justam: tenendum ergo in dubio legislatorem egisse quod ab eo de jure agendum erat (alia exempla apud S. Alph., l. I, n. 32; l. II, nn. 27 et 95).

teneris eam dicere — 2) *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda* (1): hinc si intentio legislatoris nequeat clare determinari, stari poterit pro parte favorabili, seu pro libertate — 3) *In obscuris quod minimum est tenendum:* id est tunc interpretatio legis minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Item: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius (S. Alph.,* l. I, nn. 24, 26; *Scavini,* l. I, n. 126).

65. Quæres: *Dubitans an satisfecerit alicui debito ad quod tenebatur, debetne adhuc illud solvere?*

R. Si diligenti inquisitione adhibita rei proportionata quæ debita est, dubium resolvi nequeat, neque id evenerit culpa debitoris, alii cum Sporer censent restitutionem faciendam pro rata dubii; nam ex quo dubitatur, creditum desinit esse certum. Ne igitur periculum incurratur vel debitorem vel creditorem lædendi, æquitas postulat, ut non integra, sed pro rata dubii fiat solutio (2).

Alii vero communiter cum Suarez et Lugo contendunt, qui dubitat ad totum solvendum teneri; certum enim per incertum non destruitur. Esto quod cum dubitatur, res remanet in suspenso; sed dubium debet resolvi; non potest principio directo, resolvendum est per illud principium reflexum: *Non satisfit obligationi certæ per dubiam impletionem ; in dubio possidet debitum, ideo et debiti obligatio ;* et creditor poterit semper urgere integram solutionem quousque non probetur eam jam certo factam fuisse: dubium non elidit quod certum est; sed certitudini opponenda est certitudo, vel saltem aliud æquivalens.

Et ideo addunt, quod si dubium tale sit, ut gravis ratio seu præsumptio militet pro satisfactione, nulla pro non satisfactione; vel adsit gravius et prudens motivum pro satisfactione impleta, quam pro ejus contrario: id est si probabilitas sit talis ut fundet certitudinem moralem, tunc dubitans ad nihil ulterius tenetur. Hoc autem evenit quando in adjutorium illius probabilitatis, possunt invocari quædam principia certa ipsi faventia, quorum applicatione satisfactio illa in se tantum probabilis, quoad praxim certa evadit: v. g. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus; quod ordinarie fieri solet, factum esse censetur; atque præsumitur rite factum,* etc. Ideo si quis ordinarie non soleat in Officio dicere Horam posteriorem nisi post priorem, dubitans an priorem omiserit, prudenter potest credere illam non fuisse omissam.

Qua responsione variæ solvuntur difficultates, et explicantur opiniones s. Alphonsi, quæ prima fronte inter se oppositæ videri possunt *(S. Alph.,* l. I, nn. 20, 34 et 99; l. III, nn. 112, 290).

(1) Per *odium* hic intelligitur quidquid coercet, et aliorum juri opponitur. Per *favores* quidquid libertati favet, et gratiam concedit. Odiosæ autem habentur leges pœnales, irritantes, onerosæ.

(2) Si et ipse creditor dubitat, Layman obligat debitorem tantum ad partem: sed non damnaret creditorem si totum exigeret.

CAPUT QUINTUM

De Probabilitate, de Opinione et Conscientia probabili.

66. **Probabilitas.** Definitur *motivum grave sed fallibile reddens opinionem verosimilem;* opinio enim in genere est actus intellectus qui fertur in unam partem cum formidine partis oppositæ *(d. Thomas,* 2, 2, *q.* 2). Ideo probabilitas aliquid opinioni superaddit, nempe motivum solidum etsi adhuc cum formidine.

67. *Divisio probabilitatis.* Multiplex est probabilitas: alia intrinseca, alia extrinseca; alia facti, alia juris; alia solitaria, alia comparativa.

1) *Probabilitas intrinseca* innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rerum, de quibus agitur. *Extrinseca* vero fundatur in auctoritate Doctorum.

2) *Probabilitas facti* versatur circa rei veritatem sive substantiam: uti cum quæritur, an Baptismus collatus cum lixivio sit validus, an nullus? *Probabilitas juris* versatur circa honestatem meæ actionis, v. g. an liceat mihi hic et nunc Baptismum ministrare cum lixivio?

3) *Probabilitas solitaria* est quando considerata in se ipsa extra concursum alterius opinionis oppositæ est satis ponderabilis. *Comparativa* quando comparatur cum opinione contraria *(S. Alph.,* l. I, n. 41).

68. **Tenuis probabilitas.** Certum est non licere in re morali usum opinionis dubie vel tenuiter probabilis, seu tantum probabiliter probabilis (de cujus scilicet probabilitate merito disputatur). Hæc enim non potest ad se pertrahere assensum viri prudentis. Hinc Innocentius XI contra laxistas damnavit hanc propositionem: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus semper prudenter agimus.* Imo tenuis probabilitas nequit dici vera probabilitas, sicut tenuis peritia dici nequit vera peritia, sed potius imperitia.

69. **Solida probabilitas intrinseca.** Usus opinionis solide et satis graviter probabilis, id est vere probabilis in se ipsa consideratæ, licitus est. Utique non defuerunt Doctores *(rigo-*

ristæ ideo dicti) qui tradiderunt esse illicitum in moralibus usum opinionis probabilis cujuscumque, etiam probabilissimæ. Ab istis prodiit propositio ab Alexandro VIII damnata: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Verum illos refellit Angelicus: *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa* (1); *eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat* (2, 2, q. 70, a. 2). Sane cum opinio in se est vere probabilis, gravi et solido nititur fundamento, ideo assensum nostrum meretur (*S. Alph.,* l. I, n. 54).

Ergo (objicies) *si ita est, qui probabiliter agit, prudenter agit; atqui hoc consequens falsum est; ergo et antecedens.*

R. Nemo utique potest opinionem aliquam sequi eo quod sit probabilis; cum ad licite operandum requiratur dictamen certum, seu certitudo moralis de honestate actionis. Verum qui opinionem solide probabilem sequitur, non nititur ejus probabilitati, sed ejus practicæ certitudini: nam in tali casu positus (en ratio cardinalis quæ semper præ oculis habenda est) recte judicat legem esse dubiam, et idcirco sibi nullam ex ea oriri obligationem: cum lex dubia ex communi Theologorum et Juristarum sententia non obliget. Et hoc modo de honestate actionis suæ non habet dictamen tantum probabile, sed moraliter certum in praxi (*S. Alph.,* l. I, nn. 58 et 80; *Scavini,* l. I, n. 129).

70. **Probabilitas extrinseca**. Probabilitas extrinseca reddit opinionem vere, et satis graviter probabilem intrinsece, si illa gravis sit et solida; et cum tali probabilitate licet agere. Ipsa enim resolvitur in probabilitatem intrinsecam, ne dicamus auctores qui ex professo tractarunt quæstiones, sine ponderatione fuisse locutos. *Aliquis parvæ scientiæ,* ait Angelicus, *magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur* (2. 2, q. 4, a. 8). Hinc S. Pœnitentiaria anno 1831 interrogata, an esset inquietandus confessarius, qui in Pœnitentiæ tribunali sequitur doctrinam s. Alphonsi De Ligorio, non perpendens momenta, rationesve, quibus innituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit *negative:* quod responsum a

(1) Certitudo *demonstrativa* est certitudo perfecta, seu metaphysica, quæ nunquam potest esse falsa. Et ideo in actionibus humanis non requiritur; sed in illis satis est certitudo *moralis* (*imperfectam* alii dicunt, et d. Thomas *probabilem* appellat), cui error absolute non repugnat, quamvis tamen rarissime ei subesse contingat.

Gregorio XVI fuit confirmatum. Hoc autem stare non posset, si probabilitas extrinseca aliquando non constitueret in se probabilitatem gravem, veram et firmam *(Scavini,* l. I, n. 132).

71. **Opinio probabilis comparate ad aliam.** Opinio probabilis comparate ad contrariam potest esse:

I. *Minus probabilis, æque probabilis, probabilior, certe probabilior, parum probabilior* et *probabilissima.* Est *minus probabilis,* quæ nititur minoribus rationum momentis, quam opinio opposita. *Æque probabilis,* quæ momentis nititur hinc inde fere æqualibus. *Probabilior,* quæ generatim sumpta majorem habet gradum probabilitatis præ altera cui opponitur. *Certe probabilior,* quæ sine ulla hæsitatione judicatur certe præponderans ita ut opposita, licet in se probabilis, tamen relate ad ipsam evadat tenuiter vel dubie probabilis. *Parum probabilior,* quæ etsi habeat quandam majorem probabilitatem ac opposita, hæc tamen præponderantia dici non potest vera et absoluta, ut opinioni contrariæ gravem suam probabilitatem adimat. Opinio tandem *probabilissima* est quæ nititur argumentis gravissimis, ita ut opinio opposita censeatur destituta fundamento solido.

II. *Communis, communior* et *communissima.* Per se loquendo sententia *communis* plus exprimit quam *communior:* nam vox *communior* cum sit comparativa, notat solum *plures* auctores stare pro ista opinione, quam pro altera. E contra vox *communis* utpote positiva declarat graves auctores generatim hanc opinionem sequi (1). Cum autem dicitur *communissima* tunc affirmatur consensum probatorum auctorum fere esse unanimem.

III. *Tuta* et *tutior.* Opinio *tuta* est quæ recedit ab omni formali periculo peccandi, quia fundata in ratione, etsi faveat hominis libertati. *Tutior* quæ ab omni etiam materiali peccandi periculo recedit, tametsi rationibus firmioribus non nitatur. Opinio *tutior* dicitur favere legi, quia in omni dubio tenet extare legem quæ aliquid præcipiat vel vetet; et ideo removet ab omni periculo illam etiam materialiter violandi si forsan, nobis insciis, lex existat. Sic opinio quæ docet beneficiatum habentem bona patrimonialia ex hisce vivere debere, non vero

(1) « Quando duæ contrariæ opiniones a probatis classicisque defenduntur auctoribus qui eas exacte ventilaverint, ita ut quilibet habeat sex aut octo patronos graves, tunc utraque opinio existimari et vocari potest communis. » Hactenus Bardus cum Navarro, Bardello. Huc facit etiam illud s. Alphonsi: *Auctores non sunt numerandi, sed ponderandi* (vide *Vindiciæ Alph.*, ed. 2.ª passim).

ex ecclesiasticis redditibus, tutior est; qui enim illam sequitur ne ipsi quidem materiali periculo peccandi se exponit, cum supponat extare legem id præcipientem. Est tamen certo minus probabilis, quia minus fundata in ratione quam opinio contraria quæ tuta est, dum nempe docet beneficiatum ad id non obligari (1).

72. **Conscientia probabilis.** Conscientia probabilis ea est, *qua quis innixus motivo gravi sed fallibili format sibi practicum dictamen rationis ex certis principiis reflexis, sive concomitantibus, ad licite operandum.* Sic definita conscientia probabilis est recta regula morum, cum ope principiorum inconcussorum perveniat ad practicam certitudinem moralem de honestate actionis. Ex quo etiam sequitur quod nunquam agere licet vi solius probabilitatis; nam sola probabilitas, solitarie nempe et in se tantum spectata non præbet firmum fundamentum ad licite operandum *(S. Alphonsus*, l. I, n. 40).

Probabilitas ergo id unum habet, ut ea semel admissa, per alia argumenta seu principia perveniamus ad principium moraliter certum ad licite operandum, quando de sola actionis honestate agitur. Et in hoc solummodo posita est tota probabilitatis efficacia.

Dixi: *Quando de sola actionis honestate agitur, seu de probabilitate juris.* Nam iis in casibus, in quibus non agitur jam de sola actionis honestate ex persuasione nostra; sed de obligatione absoluta alicujus finis determinati obtinendi, qui a nostra persuasione non pendet, non licet sequi opinionem etsi magis probabilem, sed tutior est tenenda. Quia tunc si forte opinioni quamvis probabiliori subsit error, damnum non vitatur. Quanquam in his facti speciebus, si strictius loqui velimus, nedum major, imo nulla adest vera probabilitas; siquidem nullus discursus valet removere malum quod potest evenire, si aliter agatur. Unde iis in casibus quod securius est, est etiam magis probabile. Sunt hi casus:

I. Quando agitur de periculo damni proximi avertendo: v. g. venator, qui probabiliter judicat objectum in sylva latitans esse hominem, non potest ferire, licet probabilius putet esse feram. Nam ex una parte proximus habet jus certum vitæ suæ; ex

(1) Alii *tutam* vocant etiam *minus tutam,* non in se, cum et ipsa sit tutissima ac secura; sed in comparatione ad *tutiorem (S. Alph.*, l. I, nn. 31 et 40).

altera major probabilitas non facit, ut si revera sit homo, ictu non pereat (1).

II. Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit. Id evenit quoad ea, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ubi factum unice attenditur; hinc si incertus sis, an fueris baptizatus, teneris tibi providere.

III. Quando agitur de iis, quæ requiruntur ad valorem Sacramentorum; quia Sacramenta non pendent ab hominis opinione sed ab institutione divina: quæ ideo non habentur, nisi reapse ponantur ea omnia, quæ Deus ad Sacramentum præscripsit. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentorum relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi.* (Idem est de suscipiente, paritate rationis.) Attamen excipe: — 1) Nisi defectum suppleat Ecclesia; sic aliquando in sacramento Pœnitentiæ, supplet jurisdictionem confessarii, si forte desit — 2) Nisi urgeat casus necessitatis; quia cum Sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitæ ministranda sunt meliori, quo potest modo, nempe sub conditione ut etiam Sacramenti reverentia salvetur.

IV. Quando agitur de illo, qui ad tutiora adhibenda tenetur vel ex voto, vel ex superioris præcepto, vel ex conventione tacita aut expressa; quia præcepta, promissiones et pacta servari omnia jura clamant. Hinc medicus tenetur remedia tutiora adhibere; quia tacito contractu ad finem securius obtinendum sese obstrinxit. Hi casus sequenti versiculo exprimuntur:

Si damnum, finisque, valor, si tutius urget (S. Alph., n. 43).

Casus. Sergius typis editurus quoddam opus dubitat an ejus lectio pluribus nocere possit. Tandem illum edit ex illo principio reflexo: *In dubiis libertas, in dubiis nulla lex obligat* — R. Hic non valet principium reflexum, quia periculum non constituitur ex conscientia, sed ex facto, quod nulla probabilitas mutat; hic est examinanda natura rei, id est damnum quod ex libro potest lectoribus evenire. *Episc. Bersani.*

73. Quæres: *Ex quanam probabilitate deducere possumus cer-*

(1) Idem dicito si agatur de amovendo proximo periculo animæ propriæ: tunc confessarius ut medicus animarum uti deberet opinionibus rigidioribus; si nempe contrariæ sint in praxi periculosæ, etsi speculative appareant probabiles, ut sunt in materia sexti præcepti opiniones aliquæ de tactibus, osculis, choreis, comœdiis, de reprimendis motibus sensualibus, de proxima occasione fugienda, etc. *(S. Alph.,* l. VI, n. 605; it. *Istruz. e pratica per i confessori,* c. I, p. 3, n. 45).

tum rationis dictamen ad licite operandum, quando agitur de sola actionis honestate?

R. Quanta esse debeat hæc probabilitas, quæstio est inter theologos; hinc non unum habetur systema *(Scavini,* l. I, n. 140).

74. **Præcipua systemata circa probabilitatem.** Circa gradum probabilitatis requisitæ ad ultimum conscientiæ dictamen practice certum efformandum, ubi de sola actionis honestate agitur, non una est inter catholicos sententia. Alii docent licitum esse sequi opinionem minus tutam, nempe libertati faventem, tantum si ea probabilissima sit: en *tutiorismus.* Alii docent in æquali opinionum probabilitate tutiorem esse sequendam: en *probabiliorismus.* Alii vero contendunt sequi posse opinionem vere probabilem pro libertate, etsi opinio contraria pro lege sit solide probabilior: en *probabilismus.* Alii tandem tuentur tunc tantum licitum esse opinionem pro libertate sequi quando opinio pro lege æque vel fere æque probabilis est: en *æquiprobabilismus,* seu *probabilismus temperatus.*

75. Inter tot discrepantes sententias quid agendum? Ne circumferamur omni vento doctrinæ, opiniones funditus essent examinandæ, ut illa eligatur quæ rationibus nobis validior est. Attamen quia hoc examen non omnes possunt aut valent instituere, et judicium de majori aut minori probabilitate non est, ordinarie loquendo, nisi illorum qui doctrina pollent; præstat nonnullas regulas tradere, ut quisque tuto agere valeat.

1) Certo probabilis et tuta in praxi haberi potest opinio. quam absolute tenent uti veram quinque aut sex theologi communiter habiti tum probitate tum ingenio tum scientia præstantes, nisi certa ratio aperte contrarium nobis suadeat.

2) Unicus auctor si sit omni exceptione major, qui afferat rationem quam alii non satis solverint, potest opinionem suam certo probabilem efficere, adeo ut tuto illam nos sequi possimus (1).

3) Confessarius judicare potest de solida opinionis proba-

(1) Ait s. Alphonsus: « Quoad numerum (auctorum) sufficit si eam (opinionem) tenent quinque doctores auctoritate pollentes, etiam contra communem aliorum. Quia aliquando (licet raro) auctoritas unius doctoris poterit constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem contra communem, si auctor ille sit valde doctus, probus et prudens nec novitatum amans, et utriusque partes sedulo libraverit validamque rationem adducat, modo illa ab aliis non fuerit sufficienter soluta nec animadversa.

» Quod si aliquis magnus theologus testetur aliquam opinionem esse probabilem, jam reddit nos moraliter certos de illius probabilitate. » *(Syst. morale).* Quæ omnia de ipso s. Alphonso prædicari utique possunt.

bilitate et illam sequi, si statum quæstionis rite intelligens hanc inveniat assertam a theologis omnino probatis.

4) Homo rudis aut nescius audiens a viro quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam uti talem habere. Imo rudes et docti possunt in praxi tuto sequi sententias quas in sua morali Theologia profitetur s. Alphonsus quin perpendant rationes, sed solummodo ob tanti Doctoris auctoritatem; ut patet ex responso S. Pœnitentiariæ.

76. **Sententia s. Alphonsi.** Quæstio ergo non tantum elegans est, sed etiam cardinalis; quid circa probabilitatem senserit s. Alphonsus M. De Ligorio. Porro sanctus Doctor ab anno 1748 ex quo rigidam sententiam deseruit, usque ad annum 1762 docuit licitum esse *uti opinione probabili pro libertate etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.* Verum ab anno 1762 usque ad mortem (ad annum 1787) clare, fuse, constanter, apertissime ac perpetuo propugnavit *opinionem pro libertate sequi posse, si illa sit æque vel fere æque probabilis ac ea quæ favet legi; at si opinio pro lege sit certe probabilior, hanc omnino sectari debemus, relicta probabili pro libertate.* Neque tamen dici potest s. Doctorem mutasse aut temperasse suum systema; sed quod ab initio implicite et non ita manifeste docuit, postea illud in formam scientificam explicite et clarius redegit communem probabilismum moderando, et intra justos limites coercendo. En illius verba: *Ego ut sincere veritatem fatear, cum theologiæ moralis scientiæ vacare cœpi, quia rigidioris sententiæ magistrum mihi audire contigit, pro hac strenue cum aliis tunc temporis contendebam. Sed postea melius rationes hujus controversiæ discutiens, opposita sententia quæ pro opinione æque probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit* (Lib. I, n. 83, et *Ho. Apost.*, tr. I, n. 31) (1). Ergo ipso fatente ex quo tu-

(1) Incassum ergo laborare videntur puri probabilismi patroni, contendentes non alium quam hunc suum probabilismum a s. Alphonso fuisse propugnatum. Hac de re vide tum Opus: *Urbis et Orbis Concessionis tituli Doctoris... ad universam Ecclesiam in honorem s. Alphonsi;* Romæ: tum Opus, *Vindiciæ Alphonsianæ,* præcipue editio secunda.

Tempore s. Alphonsi tanta erat opinionum invicem pugnantium colluvies, ut lumen directionis deficeret. *In hac controversia,* ait s. Alphonsus, *ego non ad vincendum aut contendendum applicui nec applico animum, sed eo tantum ut ante omnium oculos fundamenta mei systematis ponerem, sicque veritas ad commune bonum innotesceret (Dell'uso moderato,* 1765, c. 9, n. 14).

tiorismum deseruit, semper æquiprobabilismum docuit, id est ab anno 1748; ait enim *postea,* non alio interposito systemate.

Ex quo facile simul intelligitur quonam sensu accipienda duplex s. Alphonsi propositio quæ prima fronte sibi contradicere videtur. Siquidem ad quæstionem: *Utrum liceat sequi opinionem probabilem relicta probabiliori?* aliquando affirmat, aliquando negat. Affirmat quando loqui intendit de opinione parum seu tenuiter probabiliori; negat quando intelligit opinionem certe et notabiliter probabiliorem. Diversa est verborum forma, sed semper eadem doctrina (1).

Restat nunc, ut in gravissima hac controversia de probabilitate, *unde,* ex ipso sancto Alphonso, *malum aut bonum regimen conscientiarum fidelium pendet,* clarius videamus et notemus quænam sit mens sancti Doctoris; ejus enim doctrina habet securitatem insignem et prorsus singularem, ut scite notat cl. Berardi: *cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent* (prout in Decreto Doctoratus de eo dixit Ecclesia).

Sit ergo:

77. **Thesis** 1.ª *Licet certo sequi opinionem pro libertate, si hæc sit probabilior opposita pro lege, nec requiritur ut illa probabilissima sit, ubi de solo licito vel illicito agitur, seu de probabilitate juris.* Est contra tutioristas.

Et sane qui in concursu opinionis tutioris sed minus probabilis, amplectitur opinionem tutam et vere probabiliorem, præfert argumenta graviora levioribus: ergo prudenter agit. Adde: in actibus humanis *sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*

(1) En s. Alphonsi verba: « Utrum liceat cum opinione probabili operari, tres » adsunt sententiæ:

» *Prima* quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior. Hanc sententiam » elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuere; sed nos dicimus eam esse laxam » et licite amplecti non posse. Ratio est quia quando opinio pro lege est certe probabilior, tunc lex non est amplius dubio stricto dubia, uti accidit cum opiniones » tam pro lege quam pro libertate sunt æque probabiles; ideoque non est prudentia » sed imprudentia velle eam sequi. Quum enim intellectui certe appareat, quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et » sine culpa partem minus tutam sequi....

» Secunda sententia, quam hodie nunc quidam moderni tenent scriptores, vult » ut tunc aliquam quandam opinionem quæ libertati favet sequi possumus, quum » ipsa sit moraliter certa. Sententiam hanc existimamus nimis rigidam et quæ illaqueat conscientias....

» Tertia igitur, quæ nostra est sententia, dicit quod quum opinio quæ libertati » favet est æque probabilis, atque opinio illa quæ favet legi, sine dubio licite sequi » potest. Excipe in materia fidei, etc. » (*Ho. Ap.*, tr. I, n. 31, et in *Apolog.*) V. *Vindiciæ Alph.*, ed. 2.ª, t. I, p. 486.

(D. Thomas, 2, 2, q. 70, a. 21). Sed de hoc satis; nam hoc systema pene obsolevit.

78. **Thesis** 2.ª *Non licet sequi opinionem pro libertate si ea sit tantum probabilis in concursu opinionis pro lege, quæ sit certe et valde etiam probabilior.*

Probatur. Ad licite operandum debemus veritatem inquirere et eam sequi: ac proinde ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quæ propius ad veritatem accedit; atqui talis est opinio certe et valde probabilior. Unde vulgare illud: *Id sequimur in obscuris quod est verosimilius;* nam vir prudens præfert momenta graviora levioribus. Esto, quod cum opinio tutior est valde probabilior, lex adhuc omnino certa non sit: attamen ob illam majorem probabilitatem seu notabilem excessum in sua probabilitate, opinio pro lege apparet moraliter verior. Ideo nequit tunc dici omnino dubia dubio stricto; sed remanet tantum quoddam dubium latum quod ab opinione tutiori recedere non permittit.

Dixi *certe et valde probabilior,* id est sine ulla hæsitatione, ideoque solide, evidenter ac notabiliter; nam tenuis præponderantia in moralibus non æstimatur ex d. Thoma: *Quod parum est, quasi nihil accipit ratio* (S. Alph., *De usu moderato opin. probab.;* et Scavini, l. I, nn. 74).

Dices: *Qui agit innixus vera probabilitate agit ex motivo rationabili, quod non obstante opposita majori probabilitate, in suo robore perdurat. Neque enim major probabilitas elidit minorem.* Utique rationabiliter agit qui operatur innixus gravi ac vera probabilitate quæ est unica, vel quam non superat opinio evidenter probabilior. Verum non recte agit qui innititur illi probabilitati, cui contradicit opinio certe major, gravior aut verior. Imo motivum licet in se grave videatur, si tamen ab opposito notabiliter vincatur, nequit amplius dici grave et rationabile; argumentum enim grave circa idem superatum a graviori, fit leve; et minus probabile evadit; neque sane concipitur quomodo stare possit solida ratio ex una parte, si ex altera parte contraria gravius omnino adsit fundamentum aliter sentiendi *(S. Alph.,* l. II, n. 55).

Qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris faventis legi: 1) *Non omnia probat* (ut vult Apostolus, Tess. V); nam prudenter non se determinat cum eligat minus pro majori. 2) *Non tenet quod bonum est;* nam ille non tenet quod bonum est qui amplectitur quod ei potius malum apparet quam bonum. 3) *Non se abstinet ab omni specie mali;* nam ille non potest dici quod ab omni specie mali se abstineat, qui amplectitur quod prudentis et probabilius malum esse judicat, ut in casu.

79. **Thesis** 3.ª *Inter opiniones æque vel fere æque probabiles (quando agitur de sola actionis honestate) fas est sequi opinionem tutam pro libertate, relicta tutiore pro lege* (efformando

scilicet sibi conscientiam moraliter certam de actionis honestate per principia reflexa).

En *probabilismus moderatus*, vel melius: en *æquiprobabilismus*, quem ita constanter, copiose ac lucide propugnavit s. Alphonsus, ut ejusdem pater et auctor merito habeatur. Quo semel statuto, non amplius *probabiliorismus* sustinetur, cum sit ejus oppositum. Hæc igitur est thesis princeps totius moralis systematis.

Prob. 1. *Ex ratione.* In concursu duarum opinionum æque probabilium, quarum una stat pro libertate, altera pro lege, lex dubia est: *Inter æqualitatem rationum et argumentorum,* ait d. Thomas, *soli dubio est locus.* At talis est natura legis cujuscunque, ut cum dubia est minime obliget; lex enim non obligat, nisi fuerit sufficienter nobis notificata; nam cum ipsa sit regula et mensura actuum humanorum, debet profecto innotescere: atqui lex, quæ post maturum examen remanet dubia, non est sufficienter nobis notificata. Quomodo etenim dici potest sufficienter nobis notificata, si de illius existentia ita disceptatur, ut æqualia sint argumenta hinc et illinc? Confirmatur auctoritate ipsius Angelici: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur* (1, 2, q. 90). *Sicut in corporalibus corporale non agit nisi per contactum; ita in spiritualibus præceptum non ligat nisi per scientiam* (De verit., q. 17, a. 3): porro dubium non est scientia; scientia enim cognitionem certam significat *(S. Alph.*, l. I, n. 60).

Quæ quidem ratiocinatio valet etiam pro lege naturali ac divina, quandiu adest dubium de illarum existentia; quod enim non innotescit, non potest esse regula nec mensura nostrarum actionum. Hinc merito Benedictus XIV, nulla facta legum distinctione, ad rem nostram scribit: *Ne vinculum fidelibus injiciatur quod a nulla lege clare præscribitur* (Notificatione LXXX, n. 19). Utique homo semper in generali dispositus esse debet ad obediendum Deo; sed actu ejus voluntati obsequi non tenetur, nisi quando illam certo cognoverit: *In particulari nescimus,* iterum Angelicus, *quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati* (1, 2, q. 19, a. 10. Vide Scavini, l. I, nn. 79, 92, 298).

Sane, antecedenter ad omnem legem etiam divinam et naturalem quisque suam libertatem possidet, cum prius concipiendus

sit homo liber, et postea lex quæ illi imponitur juxta illud Eccl. XV: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata et præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ergo prius homo fuit a Deo relictus in manu consilii sui, et postea eidem adjecta fuere præcepta; et sane prius est *esse*, quam *esse tale*. Ergo ut contra certam hominis libertatem prævaleat lex sive humana sive divina et naturalis, ejus certitudo moralis requiritur (1).

Prob. II. *Ex auctoritate Sanctorum.* S. Bernardinus Senensis habet (Serm. XXIII, fer. 2, post Quinq.): *Quando diversæ sunt opiniones, cæteris paribus humanior est præferenda.* S. Augustinus (Epist. LIV): *Quod neque contra fidem neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est.* S. Gregorius Nazianzenus (*Orat.* IX): quendam Novatianum, qui secundas nuptias damnabat, sic insectatur: *Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere, proba; aut si nequis, ne condemnes; quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas.* Ubi nulla fit distinctio inter legem humanam et legem divinam aut naturalem *(S. Alph.,* l. I, n. 10).

Prob. III. *Ex auctoritate theologorum.* Si enim inspiciantur scholæ per totum orbem diffusæ, in omnibus fere hæc s. Alphonsi De Ligorio doctrina traditur. Obmutuit *lassismus*, qui cupiditatibus nimis indulget, ac pravis moribus laxat habenas. Siluit *rigorismus*, qui fidelibus importabile pondus imponit, eosque a Sacramentis retrahit. Extinctæ sunt tot inter se *discrepantes opiniones*, quæ incertitudinem creant, et morum doctrinam despectui exponunt. Hodie ferme ubique dominatur quasi rex systema morale s. Doctoris Alphonsi, nempe *æquiprobabilismus*, qui inter duo extrema pergens tutam et planam pandit viam ad salutem æternam consequendam.

Prob. IV. *Ex auctoritate summorum Pontificum.* Et 1) Pius VII confirmavit anno 1803 decretum S. Rituum Congregationis declarantis in omnibus beati Alphonsi Operibus ad severam trutinam revocatis, *nihil censura dignum* fuisse repertum. Ergo ea nihil continent *contra fidem, vel bonos mores; nihil novi vel*

(1) « Cum homo (ad rem s. Alphonsus) sit in possessione suæ libertatis physicæ eligendi id quod agere valet, ut repræsentatio legis sufficiens sit ad coercendam et limitandam naturalem illam libertatem, fieri oportet cum judicio certo, et non sufficit dubium judicium prout exurgit ex consensu duarum opinionum; tunc enim ratio regulatrix non legem repræsentat, sed solum dubium legis, quod non est lex. » (*Dell' uso moderato dell' opinione probabile*, c. 4).

peregrini, atque a communi sensu Ecclesiæ et consuetudine alienum: non noxa et inutilia: non Scripturis divinis aut Patribus adversantia, si credere est Benedicto XIV, qui sic laudata verba *nil censura dignum* explicat *(De Canoniz.*, l. II, c. 21).

2) Gregorius Papa XVI in Bulla Canonizationis sancti Alphonsi anno 1840, solemniter declaravit *omnia ejus Opera inoffenso prorsus pede percurri posse.* Imo jam ab anno 1831 approbaverat Decretum S. Pœnitentiariæ, quo decernit, quod quivis theologiæ professor sequi et docere potest omnes opiniones quæ in sua Theologia morali profitetur s. Ligorius, nec inquietandus confessarius qui easdem in praxim deducit (1).

3) Pius IX in literis ad Petrum Scavini 1847 ipsi vehementer gratulatur, quod in sua Morali Theologia *salutares Sanctissimi ac Doctissimi viri Alphonsi de Ligorio doctrinas magis magisque propagare iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere curaverit.* — Et anno 1871, 7 julii, Apostolicis literis quibus s. Alphonsus universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit, statuit: *Præterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscola, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis,*

(1) Rogata S. Pœnitentiaria a Cardinali De-Rohan Archiepiscopo Vesuntinensi, ac consulta super his dubiis: 1) *An Sacræ Theologiæ Professor opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur sanctus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?* 2) *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes sancti Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ tribunalis hac sola ratione, quod a Sancta Sede Apostolica nihil in Operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione quod nempe Confessarius iste non legit Opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variæ nituntur opiniones; sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicæ contrariam?*

Die 5 julii 1831 respondit: *Ad* 1) affirmative, *quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad* 2) *vero* negative, *habita ratione mentis Sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.* Quam responsionem Gregorius XVI confirmavit. Imo laudavit propositum Eminentissimi eandem publicandi in sua Diœcesi, et apposita pastorali Instructione ad Clerum suum commendandi. Quanta sit gravitas hujus Responsi, quo s. Auctor moderatoribus animarum quasi oraculum constituitur, et habetur ut magnus theologiæ magister, nemo cordatus est qui non facile videat.

Absit ergo ut opiniones tanti Doctoris vel tantum ut toleratas dicamus, vel nonnullas illarum periculosas esse quoad praxim. Quod enim quis iis abuti possit, non est malum doctrinæ, sed malum hominis qui etiam Sacramentis potest male uti. Absit, ut sequendo s. Alphonsum studia negligantur et ratiocinatio pro nihilo habeatur, sed quasi servile pecus ad auctoritatem, non ad rationem attendatur. Qui ex professo, s. Doctoris theologiæ operam dat, studet opinionibus diligenter perpensis, examinatis, discussis, ponderatis. Hinc in toto hujus Compendii decursu sententia s. Alphonsi jugiter firmis rationibus datur *(Scavini*, t. I, n. 143).

collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

Nil ergo mirum, si sæpius S. Pœnitentiaria aliæque Romanæ Congregationes in conscientiæ casibus resolvendis postulantes ad s. Alphonsum quasi ad oraculum mittant, ut videbimus in Operis decursu. Equidem doctrina s. Alphonsi non est doctrina Ecclesiæ, quasi qui contra illam sentit, contra Ecclesiam sentiat. Sed est doctrina ab Ecclesia quammaxime commendata; doctrina quæ tuto in praxi teneri potest; imo doctrina quam Ecclesia optat, vult atque decernit citari, proferri atque adhiberi. Qui ergo sententiam s. Alphonsi sequitur non debet remitti ad Dei judicium, quasi coram Deo de illa respondere teneatur; hunc in tuta conscientia reponit S. Sedes, ideo et confessarius debet illum tutum reddere (Plura apud *Scavini,* l. I, nn. 77, 143).

80. Objicies 1. *Dubitare est aliquid amplius quam nescire; ideo dubium legis etsi per se non habeat vim obligandi ad illam adimplendam, habet tamen vim prohibendi ne quid fiat quod possit esse occasio illius violationis, si forsan existat.*

R. Dubitare certo non est cognoscere; propterea si deficit legis cognitio, deficit ipsa lex quoad subjectum quod illam non agnoscit. Dubium autem quod primo exurgit, per principia reflexa quæ in se certa sunt, omnino evanescit et nullum evadit. Huc facit illud Apostoli I Cor. XIV: *Si incertam* (id est dubiam) *vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi manifestum* (non ergo dubium) *sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur?*

Addes: *In concursu duarum opinionum æque probabilium habetur notitia saltem probabilis legis; ideoque sufficiens ad prudentem hominis assensum sibi conciliandum.*

R. Negando: quomodo enim probabilis haberi poterit notio legis si argumenta quæ illius construunt existentiam, eliduntur ab argumentis, quæ militant pro existentia libertatis? Ergo in concursu duarum opinionum æque vel fere æque probabilium habetur quidem notitia dubii de lege; non vero notitia et scientia legis ipsius qualis requiritur, ut lex valeat obligare. Accedit: in dubio, utrum aliquid sit revelatum necne, non tenemur illud credere, uti revelatum. Ergo a pari in dubio an aliquid sit licitum necne, non tenemur illud agere vel omittere. Ita ratiocinatur s. Antoninus cum Gersone *(S. Alph.,* l. I, n. 71).

81. Objicies 2. *Extat generale præceptum in jure naturæ fondatum, sequendi in dubiis viam tutiorem. Hoc declararunt Pontifices, qui uti principium suarum decisionum posuerunt:* in dubiis via est eligenda tutior, ita *Innocentius III.* In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ita *Clemens III.* In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, ita *Eugenius III.*

R. Extant in jure aliæ regulæ contrariæ omnino, ut illa: *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda.* Iterum: *In obscuris,*

quod minimum est tenendum. Iterum: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.* Ergo ne dicamus jus sibi contradicere, ea verba sunt accipienda vel de solis dubiis practicis vel de iis dubiis facti, quæ semper conjunctum habent proprii, aut alterius damni periculum aut scandalum. Et tunc certo pars tutior est sequenda (1).

82. Objicies 3. *In hoc systemate fas erit sequi sententiam probabilem faventem libertati, etiam in concursu probabilioris faventis legi. Nam et in hoc casu adhuc lex non est omnino firma, licet multum probabilis; sed hoc est falsum.*

R. Nego sequelam majoris; nam quando sententia, quæ favet legi, est solide, et ideo notabiliter probabilior, lex habetur veluti satis promulgata saltem moraliter. Sed quando utraque sententia et favens legi et favens libertati est æque vel fere hinc inde probabilis, lex nullo modo dici potest promulgata, et idcirco nullo modo potest obligare. Deinde cum sententia favens legi est notabiliter probabilior, assensus mentis in eam naturaliter inclinat; sed quando est æque (vel fere) probabilis ac sententia favens libertati, assensus remanet in suspenso.

83. Objicies 4. *Qui se exponit periculo peccandi, peccat:* Qui amat periculum, in illo peribit. *Atqui sequens opinionem faventem libertati, relicta tutiori æque probabili faventi legi, exponit se tali periculo.*

R. Nego minorem. Sacer hic textus ut proprie loquamur non facit ad rem; ibi enim agitur de eo, qui protrahit ad mortem usque conversionem suam: *cor durum* (ait) *habebit male in novissimo, et qui amat periculum, in illo peribit.* Iste profecto peccat graviter, quia occasionem proximam peccandi usque ad mortem retinens in periculum se conjicit damnationis æternæ. Sed neque si textus de eo accipiatur, qui se exponit periculo peccandi (ut vulgo accipi solet) facit ad rem; nam in casu nostro agens operatur practice certus de honestate actionis suæ: ita ut si de facto existat legis transgressio, hæc non sit nisi materialis; non vero formalis et imputabilis (2). Nonne etiam qui sequitur opinionem probabiliorem, imo probabilissimam se exponit periculo errandi? utique quia opinio licet probabi-

(1) Sane *primus casus* erat de quodam Episcopo, qui non obstante fama publica de sui excommunicatione, adhuc de ea dubitans temere celebrabat. Innocentius III juste illum depositione punivit; nam persistente dubio, ob scandalum a Missa abstinere debebat.

Secundus casus erat de quodam Sacerdote, qui cuidam intulit vulnus ex quo vita decessit; deinde dubitabatur, an ob illud vulnus mortuus esset. Clemens III decrevit convenire, ut Sacerdos a sacrificando desisteret; nam facti veritas nondum erat explorata, ut habet textus. Adde Pontificem loqui de convenientia, non de præcepto.

Tertius casus erat de quodam juvene, qui septennis puellam duxit, qua mortua, postea cum consobrina illius alias nuptias contraxit. Orto dubio, an primum conjugium esset validum ob ætatem, Eugenius III præcepit, ut vir a præfata consobrina separaretur: et merito, tum quia agebatur de Sacramento, tum quia possessio stabat pro valore primi matrimonii. Hinc non dixit *quod tutius*, sed *quod certius existimamus (S. Alph.*, l. 1, n. 79; *Ho. Ap.*, tr. 1, n. 39).

(2) En verba s. Alphonsi: « Tunc si casu adesset lex, contrarium operando non esset operari formaliter contra illam, sed solum materialiter; et peccatum inde nonnisi materiale esset, per quod Deus hominem non damnat. Nam peccatum materiale non aliud est nisi actio quæ esset veri peccati materia, si tamen cognitio legis adesset. »

lissima non excludit omnem erroris formidinem. Attamen probabilioristæ non attendunt ad hoc erroris periculum, utpote materiale, siquidem in praxi operantur ex recto conscientiæ dictamine.

Sane neque ipsa principia reflexa probabilioristarum *in dubiis partem tutiorem esse sequendam,* quæstionem intrinsece resolvunt; nam res subjective certa potest esse objective falsa. Sic si tu dubitas, an voveris Deo aliquid, puta calicem, in sententia probabilioristarum teneris de voto: sed quid si jam reddito voto, certo cognoscas te revera non vovisse? nonne laborasses falso supposito? nonne reddidisses quod non debueras? Unde patet nulla esse reflexa principia, quæ radicitus quæstionem solvant in se; attamen liberant a formali peccato, quatenus nempe tum probabilistæ tum probabilioristæ illorum principiorum usu efformant practicum judicium de honestate actionis *(Scarini,* l. I, n. 127).

84. Objicies 5. *Quando dubitatur de intrinseca illiceitate actionis, tunc saltem nequit operari quousque moraliter certus non sit actionem illam non esse intrinsece malam, ne se periculo exponat offendendi naturam rationalem et formaliter delinquendi juxta illud d. Thomæ:* Quicunque non cavet a periculo videtur committere id, cujus detrimentum pericula inducere possunt *(Quodl.* III, q. 9).

R. Hoc semel admisso, qui dubitat de morte prioris conjugis, non potest debitum reddere secundo conjugi qui sibi nupsit, quousque certus non sit de tali morte; cum sit intrinsece malum periculo adulterandi se committere, et revera adulterium esset et offenderetur natura rationalis, si prima conjux adhuc viveret. Et tamen Lucius III, hanc debiti redditionem permittit cum possideat secundum matrimonium bona fide contractum quod secundo conjugi tribuit jus (c. *Dominus de secund. nupt.).* Ergo axioma: *Lex dubia non obligat* valet pro omni lege; si secus neque facile illud principium esset admittendum pro ipsa lege humana, nam qui illam non servat in dubio, illicitum faceret, et violaret legem æternam Dei, per quem reges regnant et justa decernunt.

Dicendum igitur: qui in dubio cujuscunque legis, quod vincere nequit, libere operatur, neque se exponit periculo illicitum agendi et formaliter peccandi contra naturam intelligentem, neque opinionem sequitur quæ ipsum inducat in proximam peccandi occasionem. Nam iste ex laudato axiomate certam conscientiam sibi in praxi efformat, qua tuto agere valet (1).

Quidquid sit: *Certe principium illud* lex dubia non obligat, *non potest extendi ad dubia de lege naturali; agitur enim tunc de re intrinsece vel mala vel bona, quæ ideo omnino immutabilis est.*

R. Negando; malum proprie dictum seu formale (id est peccatum)

(1) Hanc exceptionem, nempe sequendam partem tutiorem, si dubium sit de lege naturali, quasi novam nonnulli hisce nostris temporibus docuerunt. Verum nova non est, cum tempore s. Alphonsi ea in lucem prodierit; qui expresse illam distinctionem rejecit; non est ergo necesse ut systema s. Doctoris in suis exceptionibus reducatur ad formulam rationalem; cum nullam exceptionem admittat; sed unico innitatur principio ratione et auctoritate validissimo. Contrarii potius ad rationalem formam reducendi sunt, ne incertitudo in discernendo quod est contra jus positivum vel naturale inducatur.

Cæterum unusquisque abundet in sensu suo, modo sine læsione caritatis; assertio enim Synodi Pistoriensis (sub n. 79) quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit, est *falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.*

sive intrinsecum sive extrinsecum non oritur nisi a violatione legis sive naturalis sive positivæ juxta illud Apostoli: *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Item *ubi non est lex nec prævaricatio:* ubi Paulus loquitur de lege naturali, nempe de desideriis ab hac lege prohibitis *(Rom.* IV et VII). Porro ut lex quæcunque cognoscatur, obtineat et liget, debet certe nobis notificari. Hinc d. Thomas (1, 2, q. 19, a. 4) agens de lege æterna et naturali ait: quando *in particulari nescimus quid Deus velit, quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati. Nullus enim (De Verit.,* q. 17, a. 3) *ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia* (non ergo dubio) *illius præcepti (S. Alph.,* l. I, n. 65).

Verum (dices) *lex naturalis libertatem antecedit; nam jam a nativitate eam Deus inseruit menti hominum et promulgavit. Imo lex naturalis ipsa est quæ libertatem format et creat. Ergo in dubio ipsa possidet.*

R. Lex naturalis libertatem non creat, sed tantum dirigit ac moderatur. Ejus autem promulgatio vel consideratur in habitu, vel in actu. Promulgatur *in habitu,* cum primum Deus eandem inserit mentibus nostris naturaliter suo tempore cognoscendam. Promulgatur *in actu,* quando unusquisque nostrum cognitionem illam acquirit, quæ eidem dictat quid juxta rationem naturalem agendum, quid fugiendum. Non sufficit autem ad inducendam legis naturalis obligationem promulgatio habitualis, sed requiritur actualis: per hanc enim solummodo venit homo in cognitionem præcepti; quia, docente s. Thoma, *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum* (hominum) *deducitur ex ipsa promulgatione.* Atqui nemo in hanc notitiam deduci potest per promulgationem habitualem; ergo prorsus requiritur actualis *(Scavini,* l. I, n. 298).

Inquies: *Propositio:* lex dubia non obligat, *æquivalet huic alteri:* lex dubia licitam relinquit actionem. *Ergo necesse est, ut antecedenter ad omnem legem ego sciam illam actionem esse licitam; sed in dubio id nequit verificari. Ergo principium* lex dubia non obligat, *non valet in dubio de intrinseca actionis licitate seu de malo intrinseco.*

R. Distinguo: *Lex dubia licitam relinquit actionem,* in ordine ad conscientiam illius, qui eam ponit, concedo: *relinquit licitam actionem* in se, nego. Si lex, quæ dubia est realiter subsistit, utique actio in se ipsa et abstractive illicita est. At diversa res est, quod actio in se ipsa sit illicita, et quod sit illicita operanti. Ut enim quis teneatur se abstinere ab operando, necesse est, ut sibi nota sit lex prohibens. Quando porro quis dubitat de lege, ipsi deest etiam necessaria cognitio illicitatis actionis suæ, cum hæc ab ipsa lege exurgat; ergo illam libere ponere potest.

85. Hinc s. Gregorius Nazianzenus dubitanti an secundæ nuptiæ essent prohibitæ lege naturali vel divina, ideoque illicitæ, non respondit inclinandum pro legis existentia, sed *si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas.* Hinc Ecclesia conjugi dubitanti de propria coeundi potentia, expresse permisit ut queat per triennium petere et reddere debitum conjugale. At evenire potest, ut impotentia non auferatur, et perpetua judicetur: quo in casu matrimonium ab initio nullum fuisset, et copula habita esset inter solutos contra jus naturale. Ergo in dubio id non esset permittendum; cum agatur de malo intrinseco: attamen Ecclesia permittit.

Neque dicas: non adesse aliam viam dubium dissipandi. Si non

adest alia via, restat dubium; at si in dubio, juxta adversarios standum est pro lege, non licet copulam illam experiri; cum dubium versetur circa legem naturalem quæ immutabilis est.

Neque valet addere: 1) Quod in supra memorato ac singulari casu Deus experimentum copulæ permisit; hoc enim gratis asseritur. 2) Quod experimentum copulæ tunc licet in bonum conjugii, atque ad veritatem matrimonii dignoscendam; quis enim dixerit intentanda esse mala sub incerta spe boni? 3) Quod copula illa permittitur ad majus malum vitandum, ne forsan fiat contra jus alterius; nam majus est se periculo exponere faciendi contra jus naturæ. 4) Quod excusari possunt conjuges, quia copulam habent affectu maritali; nam sola intentio non excusat a malo opere: neque certe intentio dubium illud excludit, imo potius a dubio ipsa excluditur intentio bona. 5) Quod eo casu possidet matrimonium bona fide initum: nam esto possideat ante experimentum copulæ, sed cognita impotentia, statim dubium exurgit circa illius validitatem; potest enim impotentia esse absoluta ac perpetua, ut non raro contingit.

Sponsi (addunt) *in hoc casu non versantur in dubio; nam certa lege ab Ecclesia lata copulam tentare præcipiuntur: sicut miles in dubio de belli justitia tenetur militare, ita sponsi in dubio de impotentia tenentur copulam experire, antequam ad alias nuptias transeant.* En achilleum modernorum argumentum; sed facile dissolvitur. Lex Ecclesiæ in dubio impotentiæ sponsis præcipit copulæ experimentum; sed nunquid lex ecclesiastica potest illud licite præcipere in dubio impotentiæ, ideoque in dubio violationis legis naturalis? quæ revera adesset, si impotentia perpetua dignoscatur. Esto quod sponsi freti auctoritate Ecclesiæ securi sint: at nunquid est secura Ecclesia? si esset observanda regula ab adversariis universim tradita, quod nempe lex (saltem naturalis) antecedit humanam libertatem, ac ideo in dubio quod tutius est præferendum, nullo modo in supra citato casu (concludit s. Alphonsus) posset copula tentari, tanto minus ab Ecclesia præcipi, quia nullo modo potest dici matrimonium adversus divinam legem possidere. Quare totum hoc unico argumento solvitur, nempe *in dubio meliorem esse conditionem possidentis*: cum igitur in nostro casu matrimonium bona fide initum existat, illud possidet, non obstante quocunque superveniente dubio. Quod quidem, quoadusque triennali copulæ usu non vincatur, per principium reflexum contrahentes jus habent insistendi in inito matrimonio, etsi illud invalidum esse possit (*S. Alph.*, l. I, n. 79; *Ho. Ap.*, tr. I, n. 41; et *Scavini*, l. I, nn. 88 et 298).

86. Q. *Quomodo dignosci poterit quæ sit vera et propria sententia s. Alphonsi, ut eam tuto sequamur?*

R. En regulæ præcipuæ: 1) Non est existimandum ipsum opiniones adprobare ex eo quod illas non reprobet; has aliquando exponit cum suis rationibus, ut alii pro sua prudentia judicent de valore.

2) Cum aliquam opinionem *veriorem*, vel *multo* aut *absolute probabiliorem*, vel *probabiliorem simulque communem* aut *communissimam* dicit, oppositam non judicat solide probabilem saltem respectu alterius, etsi eam ut improbabilem expresse non rejiciat, et forsan in genere probabilem censeat (1). Cum dicit de aliqua opi-

(1) Habent Vindiciæ Alphonsianæ, Append. I *Clavis Operum* etc.: « Notare juvat, s. Alphonsum non semper, quin potius raro dicere expressis verbis: Hæc vel illa sententia est *certe* aut *notabiliter probabilior*. Attamen ex contextu quæstionis,

nione: *Non audeo damnare*, sive *improbabilem dicere*, non ideo admittit ut probabilem, sed ut *dubie probabilem*, aut prudentiorum judicio illam remittit. Idem est si opinionem vocat *neque probabilem neque improbabilem*.

3) Quando ait: *Probabiliter dicunt auctores*, tunc regulariter illorum sententiam probabilem censet. Dum e contra scribit: *Dicunt auctores, probabiliter licere*, exinde non liquet sententiam ab ipso probabilem haberi; loquitur enim in sententia illorum, non in sua. Sententia quam solam vocat *probabilem* eidem nihil opponendo (quod raro evenit) ordinarie fundat pro praxi certitudinem moralem.

4) Cum aliquam opinionem dicit *multo* aut *absolute probabiliorem* simulque *communem* aut *communissimam*, tunc oppositam non judicat *solide probabilem* saltem respectu alterius, etsi expresse ut improbabilem non rejiciat. Item est si unam ex sententiis *probabiliorem* aut *communiorem* nuncupet, nullo judicio dato de opposito. Sententia tandem quam simpliciter *communem* dicit, nullo de opposita lato judicio, regulariter sua dicenda est (*Vindic. Alphons.*, ed. 2ᵃ, t. II).

87. Qui habet opiniones s. Alphonsi uti certo improbabiles et falsas, illas sequi non potest, ne agat contra conscientiam; quin tamen possit ægre ferre, tanto minus prohibere ut alii illas sequantur. Item est, si aliqua decisio contraria prodierit a S. Sede; vel res aliter sit resoluta a legitima consuetudine vim legis habente.

Si tamen opinio s. Alphonsi non videatur tibi probabilis, sed nec certo judices improbabilem et falsam, tunc eam habere potes uti vere probabilem ex judicio reflexo. Scilicet innixus auctoritate tanti Doctoris, conscientiam certam efformare potes et doctrinam ejus in praxim deducere. Potes enim facile judicare eximium hunc Moralistam doctum et sanctum multo melius te ipso rationes perpendisse (Gousset, *Lettres à M. le Curé*...)

88. *Casus*. Titius hæres admittit ut validum testamentum in sui favorem etsi destitutum nonnullis externis solemnitatibus, innixus doctorum sententia: sed alia die mutata sententia juridice postulat et obtinet irritationem alterius testamenti pariter informis in favorem Caji conditi, ut ipse qui est propior hæres hæreditatem obtineat. Tandem in tertio testamento carente item extrinseca formalitate, cum vocetur hæres, retinet hæreditatem ob doctorum item probabilem opinionem; sed mutata sententia quoad legata, juxta aliam sententiam, recusat ea solvere.

R. *Titius sibi servando hæreditatem etsi adsit defectus in forma, ex primo testamento ante sententiam judicis, licite agit; cum juxta vere probabilem opinionem agat. Sed cum adhuc judicet oppositum ut item solide probabile, potest uti jure quod cuilibet competit quærendo irritationem secundi testamenti, si hæc irritatio ipsi faveat.*

At quoad tertium testamentum aliter res se habet; validitas enim et invaliditas ejusdem testamenti simul consistere nequeunt. Ideo qui assumit hæreditatem ex testamento quod caret legalibus formalitatibus, non potest illam acceptare ex parte qua illi favet, et rejicere ex parte quæ ei onus imponit. Si testamentum habet uti validum, quoad totum valere debet; neque enim contractus

v. g. ex nota contrariis opinionibus affixa, ex praxi cui adhæret vel ex confutatione rationum quibus sententia contraria innititur, aut aliis Operibus minoribus ordinarie apparet quænam suo judicio sit sententia vere præponderans. »

claudicat; et aliunde qui sentit commodum et onus sentire debet. Lacroix, Voit, Elbel.

Conclusio. Hæc satis sint tum pro norma ad animas fidelium dirigendas, tum pro eruditione ad dignoscendas varias catholicorum doctorum circa probabile opiniones. Huc enim facit quod die 5 junii 1877 Secretarius S. Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis præpositæ scribebat de mandato Pii IX ad Rectorem universitatis catholicæ Insulensis: *Vult et optat Sanctitas Sua, ut docti homines catholici non de liberis opinionibus inter se disceptando vires suas distrahant, sed imo eas omnes communibus studiis, licet diversa forte systemata sequantur, ad materialismi cæterorumque nostræ ætatis errorum expugnationem convertant.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE LEGIBUS ET ECCLESIÆ PRÆCEPTIS

DISPUTATIO PRIMA

DE LEGIBUS GENERATIM.

89. **Lex generatim.** Definiri solet cum d. Thoma: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.*

Dicitur 1) *Ordinatio*, id est præscriptio, et in hoc differt lex a consilio. *Rationis*, id est secundum rectam rationem; nam secus non esset homine digna, utpote deficiens a rectitudine. Addunt alii *rationis practicæ;* lex enim est quædam regula et mensura actuum humanorum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur. Hinc d. Thomas: *Lex nihil aliud est quam quædam ratio et regula operandi* (Contra gentes, l. III, c. 114).

2) *Ad bonum commune* tanquam ad suum objectum; quia lex intuetur in societatis conservationem ac prosperitatem.

3) *Ab eo qui curam habet communitatis;* cum enim leges ferre sit actus jurisdictionis, illæ dari non possunt nisi ab eo, qui tali auctoritate potitur in ipsa communitate.

4) *Promulgata,* quia promulgatio est de legis natura, vel ejus necessaria conditio; cum impleri nequeat quod ignoratur (*D. Thomas,* 1, 2, q. 90, a. 4).

90. Lex humana et humanum præceptum promiscue accipiuntur; differunt tamen: nam omnis lex est etiam præceptum, sed non omne præceptum est lex. Lex differt a præcepto:

1) Ratione *jubentis*, quia legislator est persona publica; præcipiens vero potest esse persona privata, ut dominus cum suo servo — 2) Ratione *subjecti*, quia lex fertur in communitatem; præceptum etiam in personam privatam — 3) Ratione *finis*, quia finis legis est bonum publicum, finis autem immediatus præcepti bonum privatum — 4) Ratione *temporis*, nam lex per se perpetua est, et obtinet etiam mortuo legislatore; præceptum vero generatim morte præcipientis expirat — 5) Ratione *loci*, quia lex immediate afficit territorium, in quo promulgatur, mediate vero personas in eo degentes; præceptum ex adverso afficit immediate personas, iisque inhæret.

Ita si Titius sacerdos fuerit a suo superiore suspensus, hæc pœna eum comitatur etiam in aliena Diœcesi, neque potest in ea celebrare. E contrario si per edictum generale in Synodo Episcopus suo Clero prohibuisset ingredi liquorum officinas (vulgo *caffè*) sub excommunicatione latæ sententiæ, hanc pœnam non incurreret clericus, qui eas ingrediatur extra Diœcesim suam (*S. Alph.*, l. I, n. 90).

91. Omne legis præceptum vel affirmativum est, vel negativum: 1^{m} Obligat ad actum bonum præstandum, v. g. ad eliciendum actum amoris in Deum. 2^{m} Obligat ad actum malum præcavendum, v. g. ad omittendum actum odii in Deum.

Præceptum affirmativum dicitur *obligare semper*; id est omni tempore opportuno, quatenus actus præceptus eliciendus est quoties advenerit tempus statutum. Sed non dicitur *obligare semper et pro semper*, seu in omni instanti; cum sit impossibile hominem semper agere. E contrario præceptum negativum dicitur *obligare semper et pro semper*; quia actus malus omni tempore est omittendus: quod difficile non est (*S. Alph.*, l. I, n. 101).

92. **Legis divisio.** Prima et generalis divisio est in legem *æternam*, *naturalem*, *divino-positivam* et *humanam*.

Duplex est hominis societas: una cum Deo a quo conditus est; altera cum hominibus, quibuscum vitam agit. Ad utramque porro conservandam necessaria lex est: 1) *Æterna* in ipso Deo, qua velit hominem nunquam ab ordine deflectere — 2) *Naturalis* in homine, qua ipsi nota fiat illa Dei voluntas — 3) *Divino-positiva*, qua homo ad finem supernaturalem, ad quem conditus est, dirigatur — 4) *Humana*, qua in mundo curetur publicus ordo (*S. Alph.*, l. I, n. 103; *d. Thomas*, 1, 2, q. 94).

CAPUT PRIMUM

De Lege æterna, naturali, divino-positiva et humana.

93. **Lex æterna**. Definitur cum Augustino: *Ratio ac voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans;* sive *summa ratio cui semper obtemperandum est* (de lib. arb., l. I, c. 6; et contra Faustum, lib. XXII, c. 27). Nempe Deus a tota æternitate videt et statuit ordinem, quem unaquæque res suæ naturæ consentaneum requirebat. At Deus *negare seipsum non potest* (II Tim. II); ideo velle debet, ut ordo ab æterno constitutus perpetuo et immutabilis perseveret (Vid. Scavini, *De proprietatibus legis æternæ*, l. I, n. 297).

94. **Lex naturalis**. Ex d. Thoma *lex naturæ nihil aliud est, nisi lumen intellectus infusum nobis a Deo per quod cognoscimus illud esse agendum quod est intrinsece bonum, illud fugiendum quod est intrinsece malum*. Hinc illud Psalmi IV: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (1).

Et quilibet sane in se experitur innatum dictamen intimans bonum esse prosequendum, malum vero fugiendum, Deum colendum, parentes honorandos. En lex naturalis, quæ quidem est veluti derivatio, participatio, transcriptio in rationali creatura legis ab æterno existentis in mente Dei; imo est ipsa lex æterna, quæ in Deo existit tanquam in suo principio, in homine sicut in subjecto recipiente *(D. Thomas,* 1, 2, q. 101).

Objectum legis naturalis sunt omnia honestatis principia seu moralia præcepta immutabiliter nobis imposita; verum enim et bonum essentiale limitibus non circumscribitur, sed hæc lex et omnes gentes et omni tempore una et sempiterna et immortalis continet.

(1) « Ipsum autem lumen intellectuale quod est in nobis, nihil aliud est quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ. Unde in Psalmo IV dicitur: *Multi dicunt quis ostendit nobis bona?* cui quæstioni Psalmista respondet dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* quasi dicat: *Per ipsam sigillationem divini luminis in nobis omnia demonstrantur*. Quia tamen præter lumen intellectuale in nobis exiguntur species intelligibiles a rebus acceptæ, ad scientiam de rebus materialibus habendam; ideo non per solam participationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam habemus.... » *D. Thomas*, 1 p., q. 84, a. 5.

Appellatur *naturalis*, quia ipsam hominis naturam afficit, ex quo deducitur ejus obligatio quoad omnes, si tamen *rationis usu* actu polleant; qui enim illo carent ut pueri et perpetuo amentes non peccant si quidquam agant contra legem illam; cum non agant libere. Attamen peccaret qui illos induceret ad legis naturalis violationem, v. g. ad ebrietatem, ad venerea, ad furtum, et alia intrinsece mala, utpote causa voluntaria et impellens. Idem videtur dicendum de illo qui eos inducit ad blasphemias: esto quod illas proferre mere narrative non sit intrinsece malum; sed hic proferuntur ob voluntarium influxum illius, qui ad eas impellit *(S. Alph.,* l. I, n. 155).

95. Legis naturalis *præcepta* exhibet Decalogus, qui solet definiri: *Lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in duabus tabulis inscripta, et per manus Moysis Hebraico populo data.* Additur *et divina*; quia legem illam hominum moribus deturpatam iterum positive instauravit Deus per Moysen *(D. Thomas,* III *Sent.*, d. 28) (1).

Tridentinum anathemate percussit Lutherum, qui docuit *decem præcepta nihil pertinere ad christianos* (Sess. VI, can. 19). Nam præterquamquod Christus ea confirmavit *(Matth.* XIX), omnibus illa conveniunt; cum in hominis ipsius natura fundata sint. Quæ præcepta exhibent versus:

Unum cole Deum. Nec jures vana per Ipsum.
Festaque sanctifices. Habeasque in honore parentes.
Ne sis occisor; mœchus; fur; testis iniquus.
Non cupias nuptam. Non rem cupias alienam.

I. Præceptum: *Ego sum Dominus Deus tuus...; non habebis Deos alienos.* Hoc præceptum quatenus affirmativum præscribit actus religionis, quibus debitus Divinitati cultus tribuitur; quatenus negativum prohibet vitia opposita.

II. *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.* Quo præcepto quælibet erga Deum irreverentia proscribitur per vanam usurpationem, blasphemiam, etc.

III. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Ad hanc sanctificationem quædam opera præcipiuntur, ut auditio Missæ, et quædam prohibentur ut opera servilia. In lege tamen nova sabbato dies dominica fuit substituta.

IV. *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Hoc respicit directe filiorum obligationes; sed implicite huc revocantur etiam parentum obligationes, et mutuas obligationes aliorum superiorum et inferiorum.

V. *Non occides:* qua negativum prohibet injustam hominis occisionem, item læsionem, mutilationem; qua virtualiter positivum præcipit vitæ conservationem.

(1) *Ne sibi,* ad rem Augustinus, *homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant; non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant* (Enarr. in Ps. LVII).

VI et IX. *Non mœchaberis.... Non desiderabis uxorem ejus* (proximi tui). Sextum prohibet quamlibet luxuriam externam, idest opere patratam; nonum prohibet etiam uxuriam mere internam, v. g. delectationes, desideria inhonesta.

VII et X. *Non furtum facies.... Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum nec omnia quæ illius sunt.* Septimum præceptum prohibet omnem injustitiam externam in bonis fortunæ proximo illatam. Decimum vel etiam interne concupiscere quæ proximi sunt.

VIII. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Qua negativum vetat ne quomodocunque proximi fama et honor lædatur; qua positivum jubet ut qualibet sublata fallacia aut simulatione, nuda dicatur veritas. *Gury.*

96. Legis naturalis *ignorantia.* Consentiunt non dari ignorantiam invincibilem circa legis naturæ præcepta *primaria,* quæ nempe primo intuitu et sola quasi verborum prolatione innotescunt, *ita ut quisque* (ait d. Thomas) *statim probet audita,* cujusmodi sunt *bonum est faciendum, malum fugiendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Deus est colendus.*

Item neque in principiis *secundariis* quæ a primariis immediate et satis evidenter deducuntur, seu *sunt quasi conclusiones,* ut habet Angelicus, *propinquæ primariis principiis,* v. g. præceptum non fornicandi, non furandi. In quibus porro non facile admittitur ignorantia invincibilis, nisi forte aliquando et ad breve tempus in rudibus (1); nam, ut ait Suarez, *natura ipsa ac conscientia ita pulsat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari* (V. Scavini, *l.* 1, *nn.* 300, 302).

Si vero agatur de præceptis *remotis,* quæ ope ratiocinationis a primariis vel secundariis deducuntur, ut prohibitio usuræ, mendacii ad tuendam vitam, furti ad eleemosynam elargiendam, unanimiter cum d. Thoma docent utique ignorantiam invincibilem dari posse. Si enim necessaria est ratiocinatio, rudes qui ea capaces non sunt, illa invincibiliter ignorare poterunt. Neque rudes tantum, ut patet ex tot controversiis inter ipsos doctores agitatis *(S. Alph.,* l. I, n. 170: *dissertatio).*

97. An autem dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo qui cupit aliquod patrare malum, puta fornicationem, furtum, judicans per errorem solum desiderium fornicandi, furandi non esse mortale, si ipsa fornicatio, si ipsum furtum non sequatur, sunt qui affirmant dicentes, hunc peccare tantum materialiter; quia licet velit malum

(1) Vel etiam *propter hoc,* addit Angelicus (1, 2, q. 94, a. 4), *quod aliqui habent depravatam rationem ex passione seu ex mala habitudine naturæ seu ex mala consuetudine; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ.* Et sic etiam intelligitur quomodo apud barbaros licitum æstimatum fuerit occidere parentes senio confectos (It. *v.* 2, 2, *q.* 122).

Item *apud gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita, propter corruptionem naturalis rationis.* Ex d. Thoma, 2, 2, q. 94, a. 4.

illud objectum, tamen invincibiliter credit desiderium suum injuriam Deo non irrogare. Hanc opinionem nunquam probabilem censere potui; et nunquam intelligere valui, quomodo qui vult deliberate actionem exercere, quam scit esse offensam Dei, possit inculpabiliter credere Deum non offendi, dum efficaciter cupit illam exequi (*S. Alph.*, l. 1, n. 9).

98. Legis naturalis *dispensatio* ac *mutatio*. Duplex rerum ordo est distinguendus. Alter ita in ipsis rerum naturis seu essentiis fundatur, ut ab eo dispensare vel eum immutare ne Deus quidem possit quin se ipsum neget, et peccatum adprobet: talis est creaturæ subjectio ad Creatorem, et ideo debitum servitutis. Proinde blasphemia, perjurium non possunt non esse semper mala, quæ nullo in casu a Deo adprobari possunt; nam est contradictorium, quod Deus utatur sua suprema auctoritate ad annuendum ut ipsa sua auctoritas et dignitas aspernatur. Ideo in his lex naturalis immobilis perseverat.

Alter ordo est qui in rerum essentiis absolute non fundatur; et in eo divina auctoritas potest, juxta interveniente causa, conditiones et circumstantias addere, quibus positis, actiones jam non sint amplius lege naturali prohibitæ; sed tunc non mutatur ipsa lex, sed mutatur objectum legis; ac proinde in lege naturali nonnisi improprie dispensatio seu mutatio habetur. Sic cum Deus sit supremus rerum Conditor, ac vitæ hominum bonorumque Dominus, potuit præcipere Abrahamo, ut filium sibi suum sacrificio immolaret: permittere Hebræis, ut vasa Ægyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium (*D. Thomas*, 1, 2, q. 94 et 100).

99. **Lex divino-positiva**. Est *lex a Deo per revelationem hominibus data*. Hæc necessaria est: — 1) Relate ad ordinem supernaturalem seu ad finem beatitudinis æternæ ad quam ordinatur homo; neque enim ad illum potest homo pervenire solius legis naturalis auxilio, cum sit altioris ordinis et excedat *proportionem naturalis facultatis humanæ*, ut ait d. Thomas (1, 2, q. 91) — 2) Etiam relate ad ipsum ordinem naturalem; patet ex historia. Veteres enim philosophi et sapientes in tot errores lapsi sunt, ut merito scripserit Tullius, *nescio quomodo nihil tam absurde dici possit, quod non dicatur ab aliquo philosophorum;* Stoici suicidium commendant; Cato libidini fræna solvit; Plato ebrietatem probat; Cicero perjurium excusat; etc. Nec meliora increduli ætatis nostræ philosophi protulerunt; ex eorum schola prodiit pantheismus, scepticismus, socialismus, materialismus et atheismus. Quæ quidem delira-

menta fidem faciunt quid vel ipsi sapientes valeant divina revelatione destituti *(V. Syllabus, proposit.* 3, 4 *et* 6).

100. *Divisio.* Lex divino-positiva duplex est, vetus et nova. Lex *vetus,* quæ dicitur etiam lex timoris, a Deo lata est in veteri Testamento, et populo Israelitico per Moysen promulgata (versus annum 2518 a constitutione mundi). Quæ quidem quamvis *bona, immaculata, convertens animas* (Psal. xviii); cum tamen non esset nisi novæ Legis figura, ideo quoad præcepta cæremonialia ac judicialia cessare debuit, ista adveniente juxta illud: *Umbram fugat veritas.* Nihilominus quosdam ex illis ritibus, nondum Evangelio sufficienter promulgato, Ecclesia ab initio adhibuit, *ut mortua synagoga cum honore sepeliretur.* Bouvier (1).

Lex *nova,* quæ dicitur lex gratiæ et amoris, a Christo fuit indicta et per Apostolos per totum orbem disseminata. Hæc perdurabit usque ad mundi finem juxta illud Christi ad Apostolos, eorumque successores: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (Matth. xviii). Triplicis generis documenta continet: præcepta *moralia* circa virtutes; *cæremonialia* circa Sacramenta ac Missæ sacrificium; mera *consilia*, sed magno præmio digna (V. *d. Thomas,* 1, 2, q. 99).

Principia I. Cœpit lex nova obligare Judæos saltem die Pentecostes, quo eis solemniter promulgata fuit coram ingenti multitudine. Alios autem non incœpit obligare, nisi pedetentim ac successive, prout promulgatio illa ad varias nationes humano modo potuit pervenire. Sane, dicente Apostolo, *quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* (Rom. x).

II. Quanta vero sit novæ divinæ legis obligatio, patet tum ex illius necessitate; tum ex Christi verbis: *Mandata mea servate* (Joan. xiv). Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit* (Sess. vi, can. 21).

101. **Lex humana.** Definiri potest: *Quod legislator constituit subditis quisque suis.* Proprie loquendo solus Deus est supremus

(1) Seu, ut ajunt, objective et in se lex vetus cessavit a morte Christi cum pronuntiavit illud *Consummatum est;* et sane *translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat* (Hebr. vii). Cessavit autem etiam ex parte subjecti seu obligationis, facta solemni novæ legis promulgatione. In primo casu lex vetus evasit mortua, in secundo etiam mortifera. V. Cardini, *Dei supremi principii della Teologia morale;* Livorno 1877.

et universalis legislator, qui solus gaudet supremo dominio et potestate in omnes creaturas; nam *non est potestas nisi a Deo (Rom.* XIII). Et ideo cæteri legislatores quicumque sint, omnem suam potestatem necessario accipiunt vel immediate vel mediate a Deo juxta illud Prov. VIII: *Per me legum conditores justa decernunt,* quibus ideo obtemperandum est.

Potestas, ait Bellarminus, est de jure naturæ; non enim pendet a consensu hominum, qui velint nolint debent ab aliquo regi, nisi velint perire genus humanum. At jus naturæ est jus divinum; jure igitur divino introducta est gubernatio; et hoc videtur proprie velle Apostolus cum addit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Utique homines prima vice eorum consensu efficere possunt ut subjectum aliquod sit hujusce potestatis capax; sed Deus est qui tali subjecto potestatem tribuit: quo facto, omne populi jus consummatum est; et suo jure legitime acquisito sine gravissima injuria expoliari nequit electus, aut ejus legitimus successor, habita ratione diversæ regnorum formæ. Sic puella libere quidem valet matrimonium contrahere cum hoc vel illo; sed matrimonio semel contracto cum uno, non est amplius in ejus arbitrio illud inire cum altero; neque efficere potest ut jure divino non debeat esse subjecta suo marito. Clarius, fons auctoritatis Deus est; consensus populorum est adminiculum, seu canalis, qui illam necessario prima vice transmittit: porro canalis aquas non creat, non mutat, sed recipit; retinet acceptas, non revocat semel missas *(Scavini,* l. IV, nn. 113, et *Sanseverinus).* (1).

Ex quibus item patet legem humanam non habere veræ legis vim, nisi in quantum conformatur legi naturali; lex enim positiva nihil aliud est quam voluntas rationalis legitimi superioris; sed voluntas superioris non est rationalis nisi quatenus congruit rectæ rationi; rationis autem proxima regula est lex naturalis *(D. Thomas,* 1, 2, q. 95) (2). Hinc in Syllabo sub n. 56 damnata est propositio: *Morum leges divina haud egent sanctione minimeque opus est, ut humanæ leges et naturæ jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant.* Hinc patet quid sentiendum sit de illa suprema ethnicorum regula: *Salus populi suprema lex esto;* non enim in una salute seu utilitate populi, sed in justitia ac in rectitudine suprema lex ponenda est. Ideo illa merito dicitur bene ordinata societas, in qua

(1) Ait Ventura in Opere, *Saggio sul potere pubblico,* c. 6, n. 28: « Sant'Alfonso, il più grande dei Dottori della Chiesa de' nostri giorni, senza essere domenicano per la professione religiosa, lo è stato per la sua devozione a s. Tommaso e per la sua fedeltà in seguirne le dottrine. Può dunque esser risguardato egli pure come l'ultima illustrazione della stessa scuola, tanto famosa nella Chiesa per scienza e santità. Or nelle giunte ch' egli ha fatte nella Teologia morale del Busembaum, s. Liguori si esprime così *(Op. Mor.,* l. I, n. 104): *Certum est dari in hominibus potestatem ferendi leges; sed potestas hæc quoad leges civiles a natura nemini competit, nisi communitati hominum; sed ab ipsa transfertur (sicut debet necessario transferri) in unum vel plures a quibus communitas regatur.* »

Potestas vero *ecclesiastica* (ait A-Lapide in cap. XIII *ad Rom.)* est immediate a Deo; quia Christus expresse præposuit Petrum Apostolis et sic successive *(Scavini,* l. I, n. 349).

(2) Attamen lex naturalis in hoc differt a lege humana: nam illa una est, universalis, immutabilis; hæc vero varia, multiplex, particularis, mutabilis et contingens secundum diversas legumlatorum ac subditorum conditiones, circumstantias et tempora; attamen nunquam legi naturali contraria.

cives magistratibus, magistratus legibus, et leges parent legi naturæ ab æterna lege Dei derivatæ. Cicero ajebat: *Pervertunt homines ea quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt.* V. Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa*, l. VIII e IX.

Legis humanæ divisio. 1) Ratione originis lex humana dividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*. Illa ab Ecclesiæ rectoribus dimanat pro recta Ecclesiæ gubernatione et animarum salute. Hæc a rectoribus societatis civilis ad bonum commune et temporale curandum.

2) Ratione modi multiplex est. Alia simpliciter *præceptiva:* est quæ præcipit vel prohibet, quin pœnam in transgressores infligat. Alia *pœnalis* est quæ pœnam infligit transgressoribus, quin præcipiat quidpiam aut prohibeat: et dicitur *pure pœnalis*, vel *pœnalis* tantum. Si vero simul cum pœna aliquid præcipiat vel prohibeat, dicitur *pœnalis mixta*, aut *lex mixta;* vel simpliciter *lex*. Alia *irritans:* est quæ actum nullum et invalidum reddit. Alia tandem *scripta* vel *usu inducta,* prout scripto fertur, vel sola consuetudine servatur.

Necessitas. Attenta hominum pervicacia, certum est, leges humanas esse necessarias; constans enim experientia docet, nullam societatem diu posse consistere sine legibus.

102. **Jus gentium.** Ad legem humanam revocant *Jus gentium;* et illud est, *quod, usu exigente et humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt,* tacite et pedetentim. Hoc jus (quod moderni *internationale* appellant, idest *inter nationes)* universalius patet, quam aliæ humanæ leges; cum omnium fere gentium consensione firmetur; hinc fortius obligat (1). — Debet autem esse naturali jure informatum;

(1) Hodie tamen a societatis subversoribus usurpatur nomen *internationale:* et juxta illos nihil aliud est quam communismus et socialismus ad praxim deductus ope massonismi. Nunc adeo late patet, ut suos habeat exercitus, sua conventicula et diaria per totum orbem diffusa. Scopus est totius societatis e fundamentis renovatio delendo religionem quæ juxta illos fabula est, proprietatem quæ furtum est, familiam cujus institutio abusus est. Primos hujus terriferæ destructionis fructus habuimus Parisiis 1871 *(la comune)*, successive in Russia *(nihilismus)*, dein in Borussia, Italia et alibi *(socialismus)*. Romani Pontifices ad hanc lethiferam pestem eliminandam pluries et enixe contenderunt; sed civiles gubernatores eam pro nihilo habuerunt; nunc cum illa tanquam vorax incendium omnia pervadat, insufficientia adhibent remedia et nunquam ad veram causam recurrunt, quæ est religionis defectus; hæc enim sola valet efficaciter homines in suo officio continere. En perniciosissimos fructus principiorum anni 1789; hæc siquidem nil curant de religione, passionibus frœnum tollunt omnia omnibus permittentes; eorumque sectatores sunt qui dicente Scriptura *carnem maculant, dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant* (Judæ ep.).

Faxit Deus, ut principes, ac supremi populorum moderatores aliquando saperent ac novissime providerent, ne sero extinguatur ignis devorans. *Faxit Deus,* ad rem Leo XIII sua prima epistola Encycl., *ut illi comperta eorum quæ diximus veritate, ac secum reputantes doctrinam Christi ut Augustinus ajebat:* magnam, si obtemperetur salutem esse reipublicæ, *et in Ecclesiæ incolumitate et obsequio*

nam est ipsum jus naturæ non singulis hominibus, sed imperiis accommodatum. Sane fons omnium jurium non est respublica, sed naturæ lex; et sub n. 39 contraria propositio in Syllabo damnatur.

103. **Sanctio Legis.** Est *præmium vel pœna quæ legis observantiæ aut violationi adjungitur.* Alia est divina, alia humana, prout a Deo vel ab hominibus constituitur; et ipsa divina sanctio alia est *naturalis* alia *supernaturalis*, prout consistit in bonis aut malis hujus vitæ, vel in præmiis aut pœnis alterius vitæ. Quæ sanctio est medium opportunum ad inducendam legis observantiam; siquidem hominis natura talis est quæ proposito præmio excitatur ad legis implementum, et proposita pœna movetur ad illius transgressionem vitandam *(D. Thomas, Cont. gentes, l. 3, c.* 140). V. Signoriellius.

APPENDIX

De jurisdictione generatim.

104. Leges condere aliaque publica jura exercere ad illos pertinet qui publicis muneribus obeundis legitime constituti sunt, seu qui jurisdictione pollent; est enim jurisdictio potestas legitima ad subditos regendum tributa (1).

Jurisdictio alia est fori *externi*, quæ primario publicam fidelium utilitatem respicit. Alia fori *interni*, quæ directe refertur ad privatam utilitatem: et hæc est vel fori interni *pœnitentialis*, vel *extrapœnitentialis*, prout intra tribunal sacramenti Pœnitentiæ exercetur ab Ecclesia, vel extra illud. Sed Ecclesia *non judicat de internis*: utique in judicio publico seu in foro suo externo; at bene judicat in foro suo interno; hinc qui in paschate communicat in peccato mortali non violat jurisdictionem externam Ecclesiæ quæ communionem paschalem præcipit, et ideo pœnas ab ea latas non incurrit; at violat jurisdictionem internam quæ exigit, ut quisque digne communicet.

Jurisdictio: 1) Danda est *scienter;* ideo nulla est si detur per errorem substantialem; deesset enim voluntas. Dari autem potest expresse vel tacite — 2) Danda est *capaci;* ideo nulla est si fœminis

suam etiam ac publicam incolumitatem et tranquillitatem contineri, cogitationes suas et curas conferant ad levanda mala quibus Ecclesia ejusque visibile Caput affligitur, atque ita contingat, ut populi quibus præsunt, justitiæ et pacis ingressi viam, felici ævo prosperitatis et gloriæ fruantur. Et Encycl. 28 dec. 1878 hoc iterum et maxime urget principes iterum iterumque precando ut *cum ad socialismi pestem avertendam tantam Ecclesiæ Christi virtutem noverint inesse, quanta ne humanis legibus inest, nec magistratuum cohibitionibus nec militum armis, ipsam Ecclesiam in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanæ societatis commodum possit exerere.* V. De Martino, *Le ragioni, i diritti ed i propositi del socialismo internazionale, del nihilismo russo esaminati e giudicati.*

(1) V. Bouix, *De principiis:* et D'Annibale, *Summula Reatina*, et passim dicenda in Operis decursu, præsertim de censuris et confessarii jurisdictione.

detur jurisdictio a peccatis absolvendi, cum illæ sint jure divino inhabiles — 3) Debet ab eo cui datur, *acceptari;* cum induat naturam donationis — 4) Regulariter est exercenda in proprios *subditos,* nisi lex vel consuetudo tribuat ut etiam in alios exerceatur, v. g. si res sit de delicto puniendo ab extraneis commisso — 5) Exercenda est *sponte;* attamen si quis metu compulsus sit, verius valet (excepta ex jure absolutione a censuris); est enim adhuc sufficienter voluntaria *(S. Alph.,* l. I, n. 180).

105. *Divisio.* Jurisdictio alia est contentiosa, alia voluntaria; alia ordinaria, alia delegata.

I. *Contentiosa* est quæ exercetur super his qui in judicio contendunt. Hac nemo uti potest in causa propria; neque enim quis sibi jus dicere debet; aut se delinquentem in suo judicio compellere et condemnare; repugnat enim.

II. *Voluntaria,* quæ extra judicium exercetur et vim non includit. Hac legislator etiam pro se uti potest: sic Episcopus sicut cæteros, ita et se ipsum potest dispensare in voto non reservato. Excipe nisi obstet lex, ut esset se ipsum a censuris absolvere, sibi beneficium conferre, etc.

III. *Ordinaria,* illa est quæ cohæret officio cumque eo nascitur et sistit, ut v. g. officium Episcopi, parochi. Hæc potest alteri communicari, nisi lex obstet; sic obstat quod parochus tribuat simplici sacerdoti facultatem confessiones excipiendi. Hæc ordinaria jurisdictio originem ducit a jure, a consuetudine, a privilegio, ab errore communi cum titulo colorato *(Vide* t. II, nn. 702 et seqq.).

IV. *Delegata* datur ab eo qui ordinariam habet, et est quædam species mandati; et ideo diligenter sunt observandæ conditiones sub quibus delegatio tribuitur (1). Delegatus generatim loquendo nequit alium subdelegare; sed potest subdelegare: 1) Si id a delegante concessum sit — 2) Si delegatio sit facta a supremo principe, a Papa, a rege, a romanis Congregationibus (excipe nisi quis sit delegatus specialiter ob suam peritiam, vel si agatur de dispensationibus matrimonialibus, vel de dispensando ab irregularitate) — 3) Si delegatio sit ad universitatem causarum; tunc habetur quasi ordinaria. Hinc viceparochus universim deputatus a parocho potest alium subdelegare: sed ad unam tantum vel alteram causam, ut commune est cum d. Thoma. Si tamen viceparochus vacante parœcia, ab ipso Episcopo constituatur ex dispositione Tridentini (sess. XXIII, c. 18), tunc ille potest alium sacerdotem subdelegare ad omnia officia, nisi obstet voluntas ipsius Ordinarii. Ita S. Concilii C. 12 sept. 1874 *(Acta S. Sedis,* t. VIII; *S. Alph.,* l. I, n. 193, l. VI, n. 566; et dicenda n. 173).

106. Jurisdictio *ordinaria* cessat abdicato proprio officio cui adnexa est, vel eo adempto; vel si obtenta ab excommunicato aut suspenso vitando. *Delegata* vero cessat: 1) Finito negotio commisso, vel elapso mandati tempore — 2) Si cesset causa finalis delegationis: si revocetur delegatio tempore utili; vel ei renuntietur — 3) Si delegatus vel ipse delegator moriatur, cum limitatione tamen. An enim

(1) Delegati alii sunt *ab homine,* et dicuntur qui delegationem suam immediate hic et nunc obtinent a judice, a Papa, Principe, ab Episcopo aut aliis supremis magistratibus. Delegati *a jure* sunt qui delegationem habent ex commissione juris communis, in quo perpetuo inserta est. Sic c. *Ad abolendum* 9 *de hæret.* datur Episcopis facultas procedendi etiam contra exemptos in causa hæresis tanquam Sedis apostolicæ delegatis. In delegatione a jure non datur appellatio ad Archiepiscopum, sed solum ad P. Pontificem tanquam a delegato ad delegantem. *Ferraris.*

delegatio expiret morte ipsius delegantis, distinguendum est: si ea data sit in *forma gratiosa,* seu per modum *gratiæ factæ,* quod evenit cum executor habet nudum ministerium exequendi mandatum, non perit delegatio; quia gratia facta non expirat morte delegantis, ut est facultas data ad audiendas confessiones.

Si vero gratia concedatur in forma *dignum,* seu data sit per modum *gratiæ faciendæ;* et evenit, quando non præcipitur ut gratiam jam tributam delegatus applicet, sed tantum ei concedendæ gratiæ licentia datur, si vera sint exposita, tunc delegatio expirat morte concedentis, re adhuc integra, id est si nihil actum sit ab executore pro ea concedenda; nam si delegatus jam primum actum exercere cœpit, ut si jam vocaverit partem ad cognoscendum de precum veritate, delegatio non expirat *(S. Alph.,* l. VI, n. 559).

ART. 1. — De Auctore Legis ecclesiasticæ.

107. **Principia.** Christi Ecclesiam posse leges ferre quoad res spirituales de fide est, contra protestantes et pseudopoliticos; contrarium enim asserere ut hæreticum damnatur prop. 5 Synodi Pistoriensis.

Prob. 1. *Ex Scripturis.* Matth. XVI ait Christus Petro: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis,* etc.: quæ verba utpote generalia attribuunt potestatem imponendi quodcumque vinculum, ideo etiam vinculum legis — Lucæ X: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit, me spernit;* quæ verba non tantum quoad doctrinam sed etiam quoad præcepta intelligenda esse demonstrant et eorum latitudo, et Ss. Patrum interpretatio — Joannis XX: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos;* missus est autem Christus non solum ut doctor, sed etiam ut legislator. Et Paulus *perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum* (Act. XV). Et in epist. ad Hebræos: *Obedite præpositis vestris et subjacete eis;* at non esset illis obediendum, si non esset in eis legitima imperandi facultas.

Prob. 2. *Ex traditione constanti:* siquidem notum est a primis temporibus Pontifices et Episcopos hac potestate semper usos fuisse. Hinc canones Apostolorum, canones universales totam Ecclesiam respicientes; et canones particulares singulas respicientes ecclesias.

Prob. 3. *Ex ratione.* Ecclesia est societas perfecta in suo genere: porro in omni societate bene constituta et perfecta necessaria est potestas legislativa ad præcavendos abusus, ad pacem tuendam et bonum publicum procurandum.

Consectaria. 1) Si Ecclesia gaudet potestate legislativa, debet etiam gaudere potestate judiciaria, id est judicandi subditorum actiones; item potestate coactiva, subditos nempe cogendi et transgressores puniendi per pœnas sive spirituales sive temporales: secus potestas legislativa non esset completa, imo frustranea sæpe evaderet. Id semper fuit in usu in Ecclesia, quæ suos habuit carceres, suas virgas, suasque mulctas, de quibus passim historici. Hinc Pius IX damnavit in Syllabo hanc n. 24 propositionem: *Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.*

2) Cum Ecclesia sit societas perfecta ac divinæ originis, debet certe potestatem gubernandi habere supremam et independentem ab omni civili potestate. Hinc Encycl. *Quanta cura* damnatur propositio: *Ecclesiastica potestas non est jure divino distincta et independens a potestate civili; neque ejusmodi distinctio et independentia servari potest, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.* Ideo Ecclesia sine ulla dependentia, aut syndacatu suas leges condere potest (1).

108. Hinc collige: 1) Quam turpiter errent Protestantes, qui ut Ecclesiæ denegent facultatem ferendi leges, eam esse dicunt instar collegii in republica et ab ipsa indistinctam. Utriusque enim potestatis suæ sunt partes; una nempe curat civium commoda, altera res sacras atque divinas. Unde falsum quoque, quod sit Status in Statu; cum duo sint Status, uterque diversi generis, uterque cum sua provincia, uterque suos habens fines. *Duo sunt,* ait Gelasius Papa, *quibus mundus hic regitur, auctoritas Pontificum et regalis;* sed et ipsi reges, etsi in altissimo positi, et eorum status membra sunt unius status seu societatis, quæ totum complectitur orbem, id est religiosæ. Hinc can. 11, dist. 96: *Si imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere.* Quare merito damnata fuit in Syllabo propositio n. 54: *Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ* (V. Cercià, *Lezioni di diritto canonico*, lez. XII, ecc.).

2) Quam etiam sit a veritate alienum eorum commentum, qui discrimen civilem inter et ecclesiasticam potestatem sic statuunt, ut una corporibus, altera animis dumtaxat debeat imperare. Utique una curat res civiles ac temporalem hominum felicitatem; altera res sacras atque animarum salutem. Sed cum utraque toti homini sit data, totum hominem sub diversa ratione ligare omnino debet. Ex quo etiam patet oportere ut utraque potestas ad proprium finem in-

(1) Et in Syllabo damnata fuit propositio n. 20: « *Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.* » Et n. 41: « *Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant* exequatur, *sed etiam jus* appellationis *quam nuncupant* ab abusu. » Deus sane *regibus civilia, ecclesiastica ecclesiasticis concredidit,* ut scribit Hosius (V. infra n. 577).

cumbens, se mutua prosequatur concordia, ne contraria eidem homini adimplenda imponantur (1).

3) Hinc quoque eruitur, quam sit absurda et mendax formula: *Libera Ecclesia in libero Statu,* seu Ecclesia a Statu est sejungenda. *Mendax,* nam ex quo illa inducta fuit, Ecclesia Dei facta est sub tributo et in vile mancipium; expoliata bonis, clericis orbata, in verbo Dei alligata, in ministerio multipliciter impedita. *Absurda;* etenim vel ipse Status civilis seu gubernator ex dictis cum sit pars catholicæ familiæ debet subdi Ecclesiæ, cui Deus *dedit gentes hæreditatem suam;* eique suo auxilio præsto esse atque obedire, non tantum qua homo est, sed etiam qua gubernator. *Aliter servit Deo quia homo est* (ait d. Augustinus); *aliter vero quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit leges justa præcipientes et contra prohibentes convenienti rigore sanciendo* — (Vid. Scavini, l. I, n. 308; l. IV, n. 95: *Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia nullimode sejungendus.* Cenni, *Della Chiesa e dello Stato considerati secondo la loro reale natura.* Liberatore, *La Chiesa e lo Stato).*

109. **Legum ecclesiasticarum conditores.** Possunt eas legitime condere:

I. *Romanus Pontifex pro tota Ecclesia.* Simoni enim Petro contulit Jesus hanc universalem, ordinariam et immediatam potestatem per ea verba: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* vox autem *pascere* significat regere et gubernare, ut patet. Porro *Petrus,* ex œcumenico Concilio Ephesino *semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.* Hinc in Vaticano Concilio definitum est contra jansenistas, protestantes et omnes hæreticos: *Si quis dixerit romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores; sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut Eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc*

(1) Ad rem Card. Zigliara: « S. Thomas mirabili comparatione ait quod Ecclesia est in Statu sicut anima humana est in corpore; sed numquid anima humana subjecta est corpori? non sane; nam (præterquam quod *esse* animæ a materia non dependet) anima non est addicta corporis fini, bene vero corpus fini ipsius animæ, et ideo animæ subjicitur. Nihilominus anima aliqualiter a corpore dependet, cum anima absolute indigeat corpore in exercitio suarum facultatum vegetantium, locomoventium, sensientium; item objective indiget corpore ad explicandas super objecta a sensibus suppeditata suas facultates intellectuales.

» Dependentia ergo diversa est a subjectione. Ecclesia non est subjecta Statui, sed multis modis indiget auxilio Status pro sui ministerii exercitio; auxilio ad quod Ecclesia jus habet, sicut anima jus habet ad auxilium corporis. Ideo Ecclesia aliquo modo a Statu dependet; verum hæc dependentia est *exercitii,* dum e contra dependentia Status ab Ecclesia est juridicæ subjectionis.... Neque ex hoc sequitur quod Ecclesia possit Statum invadere et occidere, sicut ex eo quod corpus est animæ subditum, non sequitur quod anima possit invadere et occidere corpus. »

ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit.

II. *Concilia œcumenica* pro tota Ecclesia, cum Papæ confirmatio accedit. *Nationalia* pro natione (v. propositio 8 Synodi Pistoriensis). *Provincialia* pro provincia. *Diœcesana* pro diœcesi. Sane unumquodque Concilium suam respective Ecclesiam repræsentat. Verum Provincialium decreta ante promulgationem Sixtus V Bulla *Immensa* transmitti jussit ad S. Congregationem Concilii, ut corrigantur si quid in iis nimis rigidum aut minus rationi congruum deprehendatur (V. *Syllabus*, nn. 34 et seqq.) (1).

III. *Episcopus* pro suis subditis tam intra quam extra Synodum. Nam a Spiritu Sancto positus est *regere Ecclesiam Dei* (2). Hoc jus habitu accipit Episcopus sua canonica institutione; ut tamen eam actu exerceat, ex jure necesse est tum ut Literæ apostolicæ expeditæ sint, atque iis exhibitæ, quibus exhibendæ de jure (3).

IV. *Capitulum cathedrale, Sede vacante,* cum succedat in locum Episcopi. Verum quia jurisdictio in plures divisa difficulter exercetur, Tridentinum jussit, ut a Capitulo intra octo dies a cognita diœcesis vacatione, Vicarius capitularis eligatur, in quem omnis jurisdictio transfundatur. Quo tempore dilapso, si electio facta non fuerit, vel irregulariter facta, ipsa ad alium devolvitur (V. infra n. 262).

V. *Abbates* et *Prælati exempti* ubi quasi episcopalem exerceant jurisdictionem: jurisdictioni enim adnexa est legislativa potestas. Tandem possunt leges ferre *Ordines religiosi* in Capitulo generali vi jurisdictionis a Papa concessæ *(S. Alph.,* l. I, n. 104).

(1) Archiepiscopi et Patriarchæ leges ferre nequeunt pro diœcesibus suffraganeorum, quia non sunt superiores proprie dicti, etsi eorum lites dirimere valeant ad se delatas.

(2) *Act.* XX. An Episcopi morte, abdicatione vel translatione, cessent statuta ac reservatio ab eodem extra Synodum facta et per simplex edictum promulgata, sunt qui affirmant. « At melius alii, ait Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 5, Episcopi statutis etiam extra Synodum audito tamen consilio Capituli factis et promulgatis eandem attribuunt perpetuitatem quam omnes concedunt Synodalibus Constitutionibus; siquidem etiam illa suas vires et efficaciam unice mutuantur ab auctoritate et jurisdictione Episcopi, quæ eadem prorsus est sive in Synodo sive extra Synodum exerceatur. » *(De Syn. plur. apud* Scavini, l. IV, app. 15).

(3) Ita c. *Injunctæ de elect. Extrav. Comm.*, et Const. *Romanus Pontifex* Pii V. Quæ constitutiones non declarant ut electus ad jurisdictionem actu exercendum, debeat etiam possessionem capere; sed tantum requirunt ostensionem Literarum apostolicarum. At receptum est, ut etiam possessio obtineatur; idque maxime si agatur de fructibus percipiendis, coram lege civili *(Scavini*, l. III n. 682).

110. *Quid* (quæres) *de monialium superiorissa?* — Quamvis ipsa jurisdictionem non possit exercere, neque ideo proprie leges condere, ut certum est et commune cum d. Thoma; potest tamen saltem uti ministra, exigere obedientiam per votum promissam circa ea quæ a regula præcepta sunt, vel quæ ad profectum monialium juxta regulam conveniunt. Id videtur absolute probabilius, et talis est praxis *(S. Alph.,* l. IV, n. 52).

Casus. Tullius parochus ob publicam calamitatem præcipit fidelibus suis ut per mensem quotidie quandam orationem persolvant; et denegat absolutionem ei qui illam omittit — R. *Tullius poterat hortari fideles ut orarent, at non illos obligare, inconsulto Episcopo, cum ipse ex vi sui muneris auctoritatem non habeat ferendi leges; cum legum sit simplex executor; ideo male egit imperando, et maxime autem absolutionem renuentibus obedire denegando.* Episc. Bersani.

111. **Legum ecclesiasticarum Collectio.** Leges ecclesiasticæ speciales sunt vel generales. *Speciales* loca particularia respiciunt ac particulares diœceses, quæ quidem continentur in illarum statutis. *Generales* latæ sunt pro tota Ecclesia, et triplex distinguitur harum collectio: antiqua, nova et novissima.

Antiqua ab Apostolis extenditur ad sæculum XII: sed illius ætatis leges aliæ non habent vim; aliæ in novo jure insertæ sunt. Hæc continet præcipue collectionem: 1) *Canonum Apostolorum,* de quorum auctore et auctoritate non satis constat — 2) *Dionysii exigui,* quæ magnam celebritatem obtinuit — 3) *Isidori mercatoris,* quæ multa falsa veris commiscet, et ideo uti apocripha merito rejicitur — *Nova* a sæculo XII extenditur ad sæculum XIV et continetur in Corpore Juris canonici. Ab hoc sæculo usque ad nostram ætatem venit Collectio legum *novissima,* quæ respicit Concilia generalia post Viennense celebrata, Bullas, Brevia, Rescripta, Encyclicas et cæteras præscriptiones Pontificum post clausum corpus juris canonici editas. Item declarationes Romanarum Congregationum et Cancellariæ apostolicæ regulæ.

Legibus scriptis addendæ sunt non scriptæ, id est traditio et consuetudo. *Traditio* est legislatoris mandatum quod viva voce populis nuntiatum est et ad nos usque pervenit: nuncupatur *jus non scriptum,* non eo sensu, quod in scripturam redactum non sit, sed quia non fuit scripto vulgatum a suo auctore. Hoc porro obligatorium est; cum referat superioris ordinationem, uti est quatuor temporum observantia — *Consuetudo* est jus inductum ipsis hominum moribus: hanc quoque vim legis habere

apud omnes in confesso est; talis est consuetudo jejunandi in vigilia Pentecostes (*S. Alph.*, l. I, n. 109; *Scavini*, l. I, n. 168) (1).

112. **Corpus Juris canonici.** Est complexus Legum ecclesiasticarum ad christiani populi institutionem in quinque partibus distributus.

Prima continet *Decretum Gratiani* tribus constans partibus: sic dictum, quia a Gratiano Collectio perfecta est, et anno 1151 edita sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum.*

Secunda continet *Decretales Gregorii IX* in quinque libros distributas, quos sequens indicet versiculus: *Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.* Dicuntur Gregorii IX, quia ipsius jussu s. Raymundus illas collegit ex Conciliis generalibus, et Pontificum Constitutionibus.

Tertia continet *Librum sextum Decretalium Bonifacii VIII; sextum* quia adjicitur quinque libris Gregorii IX, et complectitur Decretales ab hoc Pontifice ad Bonifacium VIII, item in quinque libros distributas (2).

Quarta continet *Clementinas Clementis V*, et complectitur canones Concilii Viennensis cui Pontifex ipse præfuit, et alias nonnullas Constitutiones ab eodem Pontifice editas: qui pariter quinque continentur libris.

Quinta continet *Extravagantes.* Porro aliæ sunt Decretales Joannis XXII numero viginti et ejus nomen retinent; aliæ sunt Decretales viginti quinque aliorum Pontificum ab Urbano IV ad Sixtum IV in libros quinque, et dicuntur *Communes.*

113. *Auctoritas.* Liber septimus Decretalium Petri Matthæi, ac Institutiones Lancellotti, in fine Corporis Juris positæ, non habent legis vim; cum non sint Pontificia confirmatione donatæ. Neque Decretum Gratiani, etsi passim citetur, ex Benedicto XIV (*De Syn.*, l. VII, c. 15) (3). Cæteræ autem partes Juris

(1) Consuetudo si sit longissimi temporis aut immemorabilis titulus melior de mundo censetur, et præsefert indulti Pontificii præsumptionem, quin necesse sit illud probari. Imo videtur modo indirecto exerere vim suam etiam in Tridentinum (etsi Pius IV omnia irritaverit ipsi contraria), si ipsa non allegetur ut purum beneficium temporis seu præscriptio; sed quatenus adducatur uti præsumptiva probatio alicujus concessionis seu permissionis apostolicæ. V. *Acta S. Sedis*, t. XI; et De Angelis *Prælectiones juris canonici*, l. I, t. 4.

(2) Gregorius IX ad calcem *Libri* V Decretalium, et Bonifacius VIII in fine *Sexti* Decretalium inseruerunt Regulas juris: sunt quædam sententiæ generales, quæ plures leges seu canones de rebus diversis brevi compendio amplectuntur. Si in Decretalibus insertæ, sunt authenticæ, et habent legis vim quoad casus non exceptos. V. Scavini, l. I, n. 330 ubi de *Summariis, notis, glossis* et *libris liturgicis.*

(3) Sed ex Bouix Gratianum Decretum si non vi constitutionis pontificiæ, vi consuetudinis videtur sua auctoritate pollere utpote communi usu et acceptatione canonizatum. Addit tamen cl. Ferrari in sua *Summa Instit. Canonic.*: « usu et

canonici totius mundi reverentia conservatæ universim obligant, nisi contraria lege vel legitima consuetudine abrogatæ sint (*Scavini*, l. I, nn. 326 et seqq.).

114. **Concilia generalia.** Quatenus sunt fontes legum Ecclesiæ, canones Conciliorum generalium post Viennense constituunt jus novissimum, cum ab illa ætate non amplius in Corpore canonici juris inserti fuerint.

Huc spectant: 1) Concilium *Constantiense* anno 1418, in quo damnati fuerunt errores Huss, Wiclephi et Hieronymi de Praga — 2) *Florentinum* anno 1428, in quo extinctum fuit Græcorum schisma — 3) *Lateranense V* anno 1517, ubi de moribus reformandis actum fuit, ac definita animæ immortalitas — 4) *Tridentinum* cœptum anno 1545 et absolutum 1563, in quo tot lata fuerunt fidei dogmata totque disciplinæ ac reformationis capita statuta, ut merito veluti quoddam doctrinæ Christi compendium et disciplinæ ecclesiasticæ codex irrefragabilis habeatur — 5) Tandem *Vaticanum* incœptum anno 1869, sed ob temporum iniquitatem anno sequenti suspensum. In sessione tertia promulgata fuit dogmatica Constitutio de Deo rerum omnium Creatore, de revelatione, de fide, de fide et ratione. In quarta publicata fuit Bulla dogmatica de institutione, perpetuitate, natura Primatus b. Petri in romanis Pontificibus, deque eorum infallibilitate in definienda doctrina de fide et moribus (V. *Scavini*, l. IV, nn. 76 et seqq.: et dicenda infra n. 965).

115. **Bullæ, Brevia, Rescripta pontificia**. Bullæ, Brevia ac Rescripta Pontificum edita post Sixtum IV, qui cessit e vita 3 augusti 1484, constituunt jus novissimum, cum ab eo tempore non amplius inserta fuerint in Corpore Juris.

Bullarum nomine veniunt Pontificum Constitutiones sic dictæ a bulla, seu sigillo exhibente hinc ss. Petri et Pauli imagines, illinc nomen Pontificis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt (1). *Brevium* vero nomine intelliguntur Pontificiæ Constitutiones, quæ per Secretarium Brevium expediuntur pro negotiis, ut plurimum, non ita gravibus sub sigillo rubro, in quo impressa est imago divi Petri piscationem agentis; ideo dicuntur expediri *sub anulo Piscatoris* — Bullæ et Brevia obligant omnes

consuetudine fieri quidem potest, ut aliquod caput Decreti etiam mendosum legis acquirat firmitatem; sed hæc inductio ad alia capita extendi nequit, quia consuetudo cadit in factis legitimis conditionibus vallatis, non vero in erroribus in locum veritatis sufficiendis. »

(1) Bullæ *dimidiæ* dicuntur si a Pontifice ferantur nondum consecrato. Etiam *Encyclicæ* appellantur; est a græca voce *en* in, et *cyclos* ciclo (circolare).

sub gravi in re gravi; sunt enim Apostolicæ Sedis sanctiones, quæ accipiendæ sunt tanquam ipsius divi Petri voce firmatæ *(S. Alph.,* l. I, n. 105).

Rescripta sunt rogatorum Pontificum responsa: alia dantur instar epistolarum familiarium, et ideo vim non habent obligandi, etsi reverenda. Alia dantur instar decretorum; de hisce ajebat d. Augustinus: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est.*

116. **Congregationes Romanæ.** Sunt illi spectatissimi cœtus ex Cardinalibus potissimum constituti, quibus Pontifex certa tradit Ecclesiæ universæ negotia ministranda ac definienda. Earum declarationes efferri ordinarie solent, consulto Pontifice.

Prima est *Congregatio Concilii (Tridentini);* pro illius observantia a Pio IV e V primum instituta. Quæ dein a Sixto V, Constitutione *Immensa* 1587, donata est potestate Concilii decreta interpretandi, maxime morum aut disciplinæ reformationem respicientia. Ad hanc Congregationem fit recursus pro confirmandis judicibus et examinatoribus prosynodalibus, pro Missarum condonatione et reductione, pro facultate alibi celebrandi, pro Ordinibus conferendis quoad tempus, titulum, etc. *(Scavini,* l. I, n. 335; *Acta S. Sedis*, t. IX, pag. 551).

Secunda est *Congregatio Episcoporum et Regularium;* ab anno 1576 habetur circiter erecta, quæ in bonam Diœceseon administrationem intendit: quæque hodie etiam Regularium utriusque sexus controversias dirimit. Ad hanc fit recursus pro venditione, locatione bonorum ecclesiasticorum, pro sæcularizatione Regularium, etc. Huc accedit alia Congregatio *super statum Regularium* a Pio IX Encyclica *Ubi primum* 1847 instituta, cujus est statuere quæ ad cujusque religiosæ familiæ incolumitatem conferunt.

Tertia est *Congregatio de Propaganda* (fide) a Gregorio XV 1622 fundata, cujus est munus in propagationem Catholicæ fidei incumbere. Ad eam pertinet celeberrimum Collegium Romæ fundatum ab Urbano VIII, 1627, *de Propaganda fide*, in quo pro missionibus in terris infidelium alumni instituuntur (1) *(Scavini,* l. I, n. 336).

Quarta est *Congregatio Sacrorum Rituum*, quam Sixtus V instituit (anno 1587). Ejus est quæ ad Liturgiam sacram pertinent definire, dubia declarando. Beatificatio et Canonizatio Sanctorum inter officia hujus Congregationis referuntur. Item ad eam fit recursus pro coronis benedicendis (V. *Scavini,* l. I, n. 338).

Quinta est *Congregatio Indicis* (librorum prohibitorum) a Pio V primum erecta; hæc curam gerit librorum, qui in lucem eduntur ne quid inter fideles propagetur contra fidem et bonos mores.

Sexta est *Congregatio Sancti Officii*, et dicitur *Suprema* a Paulo III fundata. Hujus officium est inquirere (ideo dicitur etiam *Congregatio Sanctæ universalis Inquisitionis)*, et cognoscere de hæresi, de hæresis suspicione et aliis irreligiositatibus, libros etiam

(1) Huic Congregationi res religiosæ Orientalium commissæ erant; cum tamen ejusdem curæ majores fierent in dies, Pius IX Literis *Romani Pontificis* (6 jan. 1862) instituit specialem Congregationem sub titulo *de Propaganda fide pro negotiis ritus Orientalis,* quæ Orientalium libris corrigendis, omnibusque Orientalium negotiis tractandis unice operam navet.

hac de re damnando. Item fert sententias doctrinales circa dubia sibi proposita: sic plura edidit quoad usuram et magnetismum. Ad hanc fit recursus pro obtinenda dispensatione in mixtis matrimoniis, pro dispensatione a jejunio et cibis esurialibus, ad quam tamen requiritur medicorum jurata attestatio. Præsidem habet ipsum Pontificem si res est de negotio gravi (1).

Septima *Congregatio Indulgentiarum ac Reliquiarum* a Clemente IX (1669) erecta; Indulgentias vulgat, Reliquias probat, ac dirimit quæstiones hac de re.

Octava *Congregatio*, ab Urbano VIII instituta, *Immunitatis* ecclesiasticæ realis, personalis et localis. Ejus porro causas resolvit (2).

117. **Auctoritas Ss. Congregationum.** Declarationes et decreta *S. Rituum Congregationis* uti oracula Pontificis sunt habenda ex Bulla *Immensa* Sixti V, et ex ipsius Congregationis responso 20 maji 1846 a Pio IX confirmato. Et vim habent non obstante contraria consuetudine, etsi Romæ aut in Diœcesibus promulgata non sint, modo subscripta a S. C. præfecto et secretario, et ejusdem sigillo munita (hac autem authenticitate gaudet Gardelliana Collectio) — Item videtur dicendum de declarationibus *Congregationis Concilii Tridentini*, quia, ut ait Monacelli, cum fiant auctoritate a Papa Cardinalibus tradita illud interpretandi, eorum decreta non differunt a lege declarata; et ideo non sunt novæ leges, sed ipsæ leges Concilii

(1) Llorante numerat triginta quatuor millia sexcentos quinquaginta septem homines ab hispanica Inquisitione brachio sæculari traditos, a quo misere necati sunt. Sed præterquam quod hic numerus certe exageratus est, meminisse juvat quod Inquisitio per annos tercentum illic perduravit et quidem temporibus difficillimis ob reformatorum petulantiam, et quidem auctoritate principum, non Romanæ Ecclesiæ quæ mitius agere volebat. Cæterum etiam dato quod tot fuerint illius tribunalis victimæ, semper verum erit, quod hispanica Inquisitio per tria sæcula non effudit tertiam partem sanguinis quam profudit Lutherus solus paucis mensibus; non quartam effudit partem, quam sparsit Genevæ calvinisticum concistorium; non vigesimam quintam partem quam in Gallia effudit gubernium *terroris* ita dictum; et vix duplum illius, qui uno mense effusus fuit in provincia Nanetesi a Carnier. Demum quid sunt Inquisitionis occisiones comparatæ trucidationibus Angliæ, Sveciæ, Norviciæ, Hollandiæ, Daniæ, Russiæ, etc.? Tamen hæc omnia pro nihilo habentur; sed vix de Inquisitione sermo fit, quammaxime politicorum fumus fumat, totus illorum zelus contra istam est, et sedent super eam omnia maledicta.

Omnes in societate inquirunt: *inquirit* dominus, ne in bonis suis detrimentum patiatur; *inquirit* paterfamilias, ne filiis suis obveniat malum; *inquirit* princeps ad tuendum societatis bonum. Et non poterit inquirere Ecclesia ad catholicam fidem illibatam servandam, ad fideles a venenatis pascuis arcendos? Attamen nulla ratio etsi evidentissima contra incredulos ac libertinos valet; sol nox est; historica documenta pro nihilo sunt; eorum antesignani vestigia premunt, cujus impium erat effatum: *Calumniare, calumniare, aliquid semper remanet* (V. *Scavini*, l. 1, n. 337. Scotton, *Il sincero cristiano ed i suoi doveri verso G. Cristo, la Chiesa e lo Stato.* Boccalandro, *Storia dell'Inquisizione*; Torino. Properzi Geremia, *L'intolleranza e la crudeltà della Chiesa cattolica al tribunale della storia*; Genova. Giovannini, *La forza della verità sull'errore*; Bologna).

(2) Pro Congregatione S. Officii intus epistola dirigitur ad Papam; foris *ad Cardinalem secretarium S. Officii*. Pro Congregatione Rituum, Concilii, Episcoporum et Regularium, litera dirigitur *ad Cardinalem illarum Præfectum; Romam.* Cæterum de eadem re diversæ Congregationes cognoscere solent.

prius obscuræ et dubiæ aut male intellectæ (V. Benedictus XIV, *Notific.* x; et Acta S. Sedis, *t.* x, *append.* 3[a]).

Quoad declarationes vero aliarum Congregationum sunt qui docent cum Laymano illas etsi magni ponderis, cum sint sapientissimorum responsa, attamen non obligare universe, nisi sint editæ et promulgatæ pro tota Ecclesia de mandato Pontificis: tunc enim tantum ipse loquitur ut Ecclesiæ caput et doctor. Verum commune est inter Canonistas (cui quidem sententiæ favet romana praxis et jurisprudentia) declarationes omnium Sacrarum Congregationum non solum vim obtinere respectu locorum aut personarum proponentium; sed vim legis universalis habere in utroque foro, et obligare omnes in casibus decisivis et similibus seu identicis, semel ac constat illas authenticas esse saltem evulgatione aut usu plurium annorum, vel relatione auctorum. Nam similium est similis ratio et causa. Sane illæ interpretationes seu declarationes sunt legales cum fiant nomine et auctoritate legislatoris: siquidem illarum *voce*, ut ait Benedictus XIV, Sedes apostolica *suas declarat sententias;* Notific. LXXVI. Vid. *Scavini,* l. 1, n. 333 (1).

118. **De sacris tribunalibus penes Pontificem.** Sunt: I. *S. Pœnitentiaria.* Tribunal gratiosum antiquum, quod gratias elargitur præcipue in foro interno pro occultis casibus (2). Ex Benedicto XIV Bulla *Pastor bonus* S. Pœnitentiaria in foro interno absolvit a casibus et censuris reservatis, absolvit hæreticos occultos, dispensat in occultis irregularitatibus, cum homicidis, cum male promotis, relaxat juramenta, et vota simplicia dispensando commutat, divinum Officium commutando dispensat;

(1) *S. Alph.,* lib. I, n. 106, in hanc sententiam descendit suis limitationibus, ut videre est penes Bouix, *De Curia Romana,* p. III. Item in Opusc. *Il Vicario capitolare, il Capitolo e il Clero di Milano,* osservazioni di Neodico; Milano, 1862.
Quanto in honore habendæ sint RR. Congregationum declarationes fassus est vel ipse hæreticus Leibnitius, qui habet: *utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, veluti Rituum, Inquisitionis, Indicis,* etc.; *nam talia a me minime spernuntur.* Hinc merito Pius IX in *Syllabo* hanc damnavit propositionem n. 12: *Apostolicæ Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.* (Quoad executionem decretorum v. Scavini, l. I, n. 342).

(2) Si agitur de casibus occultis reticendum est verum pœnitentis nomen. Aliter est si res sit externi fori, v. g. si agatur de absolvendo a censura qui bona Ecclesiæ usurpavit; tunc verum nomen occupatoris est indicandum.
Semper autem declinanda sunt vera locorum nomina, et personarum ad quas rescriptum est dirigendum. Supplex libellus potest confici et mitti ab ipso confessario vel pœnitente, nisi uti velint, ut securius agant, ope Curiæ episcopalis. At si agatur de casibus conscientiæ occultis, nefas est uti procuratoribus, ipsis factum enarrando, ut supplicem libellum conficiant S. Pœnitentiariæ exhibendum *(Acta S. Sedis,* t. VII, p. 208).

dispensat in impedimentis matrimonii, etc. Ad Pœnitentiariam etiam pertinet solvere dubia practica quæ ipsi proponuntur.

II. *Dataria* sic dicta, quia datam apponit gratiis Pontificiis, est amplissimus tribunal, ac veluti organum mentis et vocis Papæ. Ad hoc autem tribunal pertinent Cathedralium erectiones, uniones, suppressiones; insignium concessiones, beneficiorum reservatorum collationes, coadjutoriæ permissiones. Ad illud item dispensationes pro foro externo super matrimonii impedimentis, irregularitatibus, votis et juramentis.

III. *Fabrica S. Petri.* Est Congregatio cui committitur reductio Missarum, legatorum, piarumque fundationum, ut dispenset, componat ac provideat in Domino. De his tamen etiam S. Congregatio Episcoporum et Regularium ac etiam Concilii cognoscere solet.

IV. *Rota (Sacra).* Tribunal contentiosum, de cujus origine non satis constat; in quo pro toto orbe controversiæ maxime beneficiales discutiuntur. Illius decisiones maximi sunt ponderis; attamen partes litigantes tantum obligant. Judices *Auditores Rotæ* dicuntur; ex Sixto IV duodecim sunt: octo itali, duo hispani, unus gallus, unus germanus *(S. Alph.,* lib. I, n. 106).

V. *Cancellaria.* Est tribunal gratiæ per quod Literæ apostolicæ conficiuntur, scribuntur et expediuntur; antiquitate præstat. Illi præest Cardinalis. Hoc tribunal suas regulas habet. Quæ regulæ Cancellariæ dicuntur a Cancellario Romanæ Curiæ, qui iis sicut firmis regulis uti debet; quæ quidem maxime respiciunt reservationes beneficiorum. Primus illas scripto mandavit Joannes XXII; sequentes Pontifices et præcipue Nicolaus V eas numero auxerunt; adeo ut modo septuaginta duæ recenseantur. Sede suprema vacante, nullius habentur roboris, illæ præsertim reservationes, quæ obtinent ratione mensis, quo beneficia vacant. Sed Sede plena, illico confirmantur et obligant, nisi iis per Concordata, privilegia vel legitimas consuetudines derogatum sit (1).

VI. Est etiam *Secretaria Brevium,* quæ expediuntur sub anulo Piscatoris. Pro Missa ante auroram, pro altari privilegiato, pro papali indulgentia, benedictione in articulo mortis, benedictione paramentorum, pro Oratorio privato, etc., litera dirigitur ad Cardinalem Præfectum Secretariæ Brevium. Vide Moroni, *Dizionario ecc.* V°. Brevi.

(1) Scavini, l. III, n. 626; et l. I, n. 347 regulas singulas exponit.

119. Q. *An Moralista debeat esse versatus in Jure canonico?*

R. Utique; nam *Theologis, qui Pontificum Canones ignorant, nimis multa desunt ad usus Theologiæ necessaria,* inquit Melchior Canus (De loc. th., l. VIII, c. 6). Et Cœlestinus Papa: *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* (Cap. *Nulli,* dist. 38) (1).

APPENDIX

Circa modum respondendi a Romanis Congregationibus.

120. Ad evitandas longiores verborum circumlocutiones, nonnullos respondendi modos Sacræ Congregationes Romanæ induxerunt. Qui cum non sint ita obvii, explicantur:

Dilata, seu differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis, vel etiam quia desiderantur alia documenta.

Affirmative et amplius: negative et amplius, seu cum res fuerit in S. Congregatione plus æquo discussa, et plenis votis prout jacet decisa, nonnisi rarissime de novo admittitur tale quæsitum.

Nihil, seu non admittitur petitio utpote incongrua. *Relatum,* est quando supplex libellus relatus Pontifici exauditus non fuit. *Lectum,* cum lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, et non fuit admissum. *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis, quin gratia concedatur; dicitur etiam: *Non proposita.*

Detur decretum generale, est quando agitur de re gravi, quæ a pluribus negligitur. *Spectare ad Episcopum,* vel *orator adeat Episcopum,* ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes.

Non congruere, non expedire, id est Congregatio non putat quod conveniat concedere vel decisionem emittere.

Aliquando Sacra Pœnitentiaria interrogata respondet: *Orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat.* Quid hæc verba importent ipsa Pœnitentiaria anno 1857 interrogata respondit: « Quando Pœnitentiaria respondet *rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat*, non tribuit aliquam facultatem, sed simpliciter remittit oratorem ad Ordinarium qui si habet facultatem in casu, provideat juxta propriam prudentiam; si non habet facultatem sed putat rem tueri, illam petitionem commendat tribunali competenti. »

Per Summaria precum: hac formula indicatur non agi de aliquo gravi dubio, vel de causa contentiosa (quando enim de hac agitur usurpatur forma *ponantur in Folio).*

In decretis, in decisis: est quando orator iterat preces, et S. C. iterum decernit standum esse in jam data resolutione.

Ad mentem: est quando præter dubii solutionem aliquid aliud censet S. Congregatio animadvertendum vel declarandum. Quod aliquando tantum manifestatur illis, ad quos responsio dirigitur; ali-

(1) Ex hac ignorantia evenit ut pauci de clero Ecclesiæ jura perspecta habeant; et pauci valeant in hac temporum calamitate illa defendere ac tueri.

quando in ipsius dubii solutione publice declaratur; et tunc additur: *Mens est,* etc.

Nihil transeat; est cum partes procuratore constituto volunt procedendi formam ad unguem servari.

Utatur jure suo; id est cum sit de ordinario jure et potestate Episcopi providere in casu, provideat, si ipsi in Domino videbitur; neque enim ad id tenetur.

Facto verbo cum Sanctissimo: hæc clausula ponitur, si S. Congregatio gratiæ concedendæ facultatem non habet; et ideo injungitur Secretario ut rescriptum referat Pontifici, qui judicium Congregationis adprobare solet et gratiam concedere. Hæc formula æquivalet huic: *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.*

Clausula in Pontificiis rescriptis adjecta: *Sub dependentia Ordinarii,* eo modo est interpretanda, ut Ordinarius rerum omnium quæ in rescripto comprehenduntur certior fiat, et veram realemque pervigilantiam exerceat. Hæc tamen potestas non eo usque extenditur, ut quævis præpediatur subjectis ordinaria administratio.

Aperitio oris est venia quam impetrare oportet a S. Pontifice, antequam quis disceptare adhuc possit super lite ad quam finiendam decreta pontificia jam lata fuerant.

Sacræ Congregationes, si quando controversiæ generice et indeterminate sibi proponuntur, respondere solent: *Providebitur in casibus particularibus:* vel per alias formulas idem sonantes. Tunc casus determinate est proponendus, cum omnibus adjunctis specialibus.

Si post primam gratiam obtentam alia de novo postulatur vel ejus extensio, quam S. Congregatio non censet esse concedendam, respondet: *Gaudeat impetratis,* id est gratia jam obtenta contentus sit.

Reportare rescriptum, idem est ac reddere rescriptum S. Congregationi, a qua idem prodiit, ut inter acta reponatur, aut laceretur, aut deleatur, ita ut perinde sit ac si concessum et expeditum non fuisset.

S. Pœnitentiaria practicum S. Sedis Tribunal, non semper dubia resolvit, sed petentes mittit aliquando ad prudentiæ moralis leges per responsum: *Consulat probatos auctores;* non enim semper expedit dubia auctoritate resolvere. Neque sine causa Ecclesia in diœcesium constitutione statuit in singulis Canonicum Pœnitentiarium et Theologum, qui tum scientia proprio studio acquisita, tum ex notitia auctorum qui usu recepti in Ecclesia sint, quique ideo dicuntur *probati auctores,* tum ex consultatione virorum qui in singulis diœcesibus scientia et prudentia præstant, duce Episcopo, valeant suas dare opiniones, quibus acquiesci prudenter possit. *Avanzini.*

Q. *Quare Congregationum responsiones non semper sunt inter se conformes?*

R. Hoc evenit si agatur vel de casibus singularibus qui ob diversas locorum rerumque circumstantias diversimode resolvuntur; vel de rebus dubiis, si nondum facta sit discussio. Quo in casu si illico sit respondendum, solent Congregationes communiori sententiæ adhærere (doctrinaliter, non decisive); quin intendant quidpiam veritati detrahere, ut notat Benedictus XIV, *De Synodo,* l. VI, c. 6, n. 4.

Item aliquando ob peculiares rationes ad lites, scandala, odia sopienda, decisiones fulminantur, ut dicunt, *a posteriori,* non *a priori,* id est non secundum jus strictum et nude consideratum; sed habita ratione illius casus specialis. Quando hoc evenit, decisio datur cum addito, v. g. *affirmative* vel *negative, ut jacet, ut in casu,* etc.; et istæ decisiones generatim typis demandari non solent, cum pro norma generali inservire nequeant (v. *alia plura apud* Scavini, l. I, n. 340).

NOTA. S. Rituum Congregatio ordinarie non respondet per literas privatorum supplicationibus circa rem liturgicam; unde si quis privatus aliquid postulet, in Urbe statuat qui nomine ipsius agat. Item dictæ supplicationes a proprio Ordinario subscriptæ esse debent.

Art. 2. — De Auctore Legis civilis.

121. **Principia**. Certum est potestates sæculares suprema auctoritate gaudentes, habere jus ferendi leges, circa res mere civiles, et subditos in conscientia obligandi, si illæ justæ sint; idque Suarez dicit esse de fide, vel saltem fidei proximum. Apostolus enim scribit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (Rom. XIII). Quibus verbis et jus ferendi leges asseritur, et simul omnes contra legitimos principes tumultus et seditiones rigorose prohibentur. Hinc Pius IX in Syllabo damnavit hanc n. 63 propositionem: *Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.* Onus autem obediendi in subditis supponit in principibus jus imperandi, ideo et leges ferendi *(S. Alph.,* l. I, n. 106).

122. Dictum est 1): *Circa res mere civiles;* non enim possunt condere leges ecclesiasticas; quia nemo potest exercere jurisdictionem, nisi circa res suo regimini subjectas. Neque principibus, sed Apostolis eorumque successoribus dumtaxat commissa sunt quæ sunt Ecclesiæ; iisque solis dixit Christus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Hinc Pius IX in *Syllabo* proscripsit sub n. 39 propositionem: *Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.*

2) *Si leges justæ sint.* Ad rem d. Bernardus: *Quod jubet homo, prohibet Deus; et ego audiam hominem surdus Deo?* (ep. VII). Hinc Catechismus R. *At vero si quid improbe, si quid impie imperent, quum id non ex potestate, sed ex injustitia atque animi perversitate agant, omnino non sunt audiendi* (p. 4, c. 5) (1).

3) *Potestates suprema auctoritate gaudentes*, nempe qui jurisdictionem externam habent in communitate perfecta, uti imperator pro suo imperio, rex pro suo regno, respublica pro suis subditis, et

(1) Attamen aliquando per accidens (ut ait d. Thomas) legibus injustis obedire tenemur, nempe ad evitandum scandalum vel turbationem, propter quod homo juri suo cedere debet; at dummodo leges non sint injustæ per contrarietatem ad bonum divinum seu animæ, sed solum per contrarietatem ad bonum humanum vel ex fine, ut si leges imponantur nimis onerosæ, neque ad communem utilitatem; vel ex auctore ut si lex feratur ultra commissam potestatem; vel ex forma, ut si inæqualiter onera dispensentur (1, 2, q. 96, a. 4).

civitates ab aliena jurisdictione exemptæ pro suo territorio (1). In guberniis tamen *repræsentativis* potestas legislativa ad solum regem non pertinet, sed etiam ad legatos tum a rege tum a populo electos.

123. **Tyranni et usurpatores.** Qui justo titulo possidet regnum, sed illud male administrat, injustitias et immanitates committendo, tyrannus *administratione* seu *regimine* dicitur. Ipsi profecto obtemperandum est (si præcipiat quæ sine peccato præstari queant) clamante d. Petro: *Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis* (Ep. I, c. 2). Tunc remedium quod d. Thomas suggerit, est ad Deum recurrere, et a peccatis cessare; *quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem* (De reg. Princ., l. I, c. 6) (2).

Quoad usurpatorem autem, qui per vim invadit et usurpat alterius Regnum (et tyrannus *titulo* dici solet), in ipso invasionis actu non est illi obtemperandum, cum ex una parte nullum jus habeat; ex altera nulla sit ratio boni publici ut ei debeamus subito cedere; et ideo possumus imo debemus, si fieri potest, eum repellere (3).

Si vero injuste occupato alieno Statu, jam illum usurpator pacifice teneat, tunc tenemur ejus legibus bonum publicum et honestum promoventibus obtemperare. Neque ideo aliquid detrahitur legitimo principi; cum usurpatori per se nullum jus tribuat factum materiale occupationis. Sed ei obediendum est ad vitanda gravissima mala, quæ aliter orirentur; non enim diu societas sine supremo ordinante stare potest: *si non habeant justum principatum* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 6) *sed usurpatum, non tenentur eis subditi obedire, nisi forte per accidens propter vitandum scandalum vel periculum* (*S. Alph., Ho. Ap.,* tr. VIII, n. 13).

(1) Communitas seu societas alia est *perfecta*, quæ nempe sibi sufficit ad conciliandam et conservandam pacem ac tranquillitatem publicam uti Ecclesia, regnum, diœcesis. *Imperfecta* quæ ad prædictum finem sibi non sufficit, ut familia, parœcia; quæ ideo leges proprie dictas non potest ferre, sed particularia tantum præcepta.

(2) Sæpe Dominus propter peccata populi permittit flagitia principum, quibus vel tyrannice populus ipse gubernatur, vel in bella et seditiones conjicitur, vel mensura peccatorum ejus impletur, ut ultio divina subsequatur. Pari modo *propter peccata populi facit regnare hominem hypocritam* (Job XXXIV; Is. III), et dat principes insipientes, imbelles, effœminatos qui nec sciant nec possint populum regere vel adversus hostes tueri. Exempla plurima habemus in Scripturis et historiis humanis. *Lessius,* De perfectionibus moribusque divinis.

(3) De *causis, mediis, fine ac remediis revolutionis agit Scavini,* l. I, nn. 360, etc. Et l. IV, App. 34, 35 et 36 *de modo se gerendi in invasionibus, de juramento fidelitatis et concursu ad publica officia.*

124. **Legum civilium collectio.** Olim jus civile seu legum civilium collectio *Jure Romano* continebatur, quod dicitur etiam *Jus commune,* quia vim fere ubique habuit ad nostra usque tempora. Dixi *olim;* nunc enim singula fere gubernia, excepto Pontificio, proprium habent jus civile modernum.

I. *Jus Romanum.* Corpus est juris civilis, seu complexus legum, quas Justinianus imperator sæculo VI, opera præsertim Triboniani, jurisconsulti celeberrimi, in unum collegit et edidit. Constat tomis duobus: Primus continet: *a*) *Institutiones*, seu Elementa Juris universi in quatuor libros distributa; *b*) Leges collectas ex veterum Jurisconsultorum scriptis: hæc collectio appellatur *Digestum*, quia auctor in ordinem *digessit* universa, quæ pertinent ad Jus civile. A Græcis nuncupatur *Pandecta* (a græco *pan* omne, et *dechomai* continere), quasi omnia complectens quæ Jurisprudentiam spectant.

Secundus tomus continet collectionem decisionum quas postea edidit idem imperator sub *Codicis* nomine. Codici accedunt Constitutiones recentiores, quas vocant *Authenticas,* et *Novellas,* quasi nempe de novo editas (1).

II. *Jus civile modernum.* Apud nos obtinet civilis Codex italicus in articulos distributus qui cœpit obligare anno 1866. Cui addendi alii speciales codices, uti *pœnalis*, *processus* tum civilis tum criminalis, *militaris, maritimus, commercialis,* etc.; et leges quæ in dies fiunt et promulgantur in tabulis publicis (vulgo *Bollettino, Raccolta delle leggi).*

125. Leges autem civiles a legitima auctoritate manantes, obligant in conscientia, nisi sint ab Ecclesia reprobatæ, aut correctæ. Hinc Benedictus XIV cum communi docet judicem ecclesiasticum in quæstionibus, in quibus a jure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare juri civili. Si res ita se habet, necesse est profecto, ut Moralista sufficientem juris civilis scientiam habeat; nam, ex eodem Pontifice jus canonicum et civile ita se mutuo adjuvant, ut qui *primum nosse cupit, alterius scientiam sibi comparare debeat (De Syn.*, l. IX, c. 14). Quæ necessitas urget præcipue confessarios et parochos quoad fidelium directionem in testamentis conficiendis, contractibus ineundis, etc. *(S. Alph.,* l. I, n. 106).

126. *Nemo ergo,* ad rem cl. Archiep. Neapoli G. Sanfelice, *putet se plurimum posse in canonica jurisprudentia proficere et valere, nisi civilis juris studio operam quoque dederit* (Fundamenta Juris canonici, par. II) — Civiles porro leges suis locis in hoc Compendio brevi adnotantur, non ut ipsæ probentur si extra fines suos exorbitent; sed ut prudenter quisque se gerere valeat, dando quidem quæ sunt Cæsaris, Cæsari; at non negando quæ sunt Dei, Deo: nam Deus ante omnia; *a Jove principium*, erat vel ipsorum paganorum effatum. Quod maxime hac tristissima ætate animadvertendum est;

(1) Institutiones sic citantur: *Inst. de mand.* § 1 *mandantis,* id est: Institutiones sub titulo *de mandato,* § primo, incipiente *Mandantis.* — Pandectæ sic: l. VII, § 4 *sed cum de pactis,* id est: Lege septima, § quarto, incipiente *Sed cum,* in Digestis seu Pandectis sub titulo *de pactis.* — Codex sic: *L. creditor c. d. usuris,* id est: Lege quæ incipit *Creditor* in Codice, titulo *de usuris.* — Authenticæ sic: *Nov.* XXII, c. I, id est; vigesima Novella secunda, capite primo.

Codici adjuncti sunt *libri feudorum* (qui *jura militaria* vocabantur). Sic citantur: *lib.* 1 *f., tit.* VII, *c. un.* Libro primo feudorum, titulo septimo, capite unico.

nam olim jus ecclesiasticum et civile amicas sibi manus dabant ad Ecclesiæ et societatis bonum; sed hodie leges civiles a damnato rationalismo informatæ Ecclesiam et societatem subvertere nituntur, dum rationem humanam religioni divinitus revelatæ substituunt, et civilia a lege divina et ecclesiastica independentia omnino faciunt (Vid. *Scavini,* l. I, n. 354).

CAPUT SECUNDUM

De Legis humanæ Objecto et Subjecto.

127. **Objectum legis humanæ.** Omnes generatim actus qui possunt ab humana lege licite præcipi vel prohiberi ad publicum bonum, constituunt materiam seu objectum legis humanæ.

128. **Lex humana quoad actus heroicos.** Actus virtutum heroici sunt qui, habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt; seu heroicitas *est opus excellens et perarduum,* uti si puer rigorose jejunaret. Lex porro humana non potest omnibus præscribere actus heroicos; nam ipsa debet accommodari communi hominum conditioni, et esse moraliter possibilis majori saltem ejusdem parti; atqui exercere actus heroicos non est nisi paucorum. Item lex humana non potest omnia vitia cohibere ex Angelico (1, 2, *q.* 96); sed solum graviora a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere.

Attamen sic exigente bono communi aliquando lex humana etiam actus heroicos præcipere potest. Sic militi juste præcipit, ne stationem deserat etiam imminente vitæ periculo.

129. **Lex humana quoad actus internos.** Si sermo est de illis internis actibus, qui cum externis necessario conjunguntur, et efficiunt quid unum, adeo ut secus actus externi non haberent suum valorem, certum est legislatorem humanum illos præcipere et prohibere posse indirecte, quatenus per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis; uti est animi consensus in venditione, cordis contritio in Confessione. Sane si legislator humanus cogere potest ad actum externum validum, ad validum contractum, ad validam Confessionem, item obligare poterit ad ea, quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt.

Si vero sermo est de iis internis actibus, qui cum externis necessario non conjunguntur, quoad legislatorem civilem consentiunt omnes, eundem non posse præcipere vel prohibere in

se actus internos; quia etiam sine his obtinet finem suum, nempe tranquillitatem reipublicæ. Sic qui solvit tributum, etiamsi invitus, satisfacit. Quod si agatur de legislatore ecclesiastico, alii affirmant; nam id necessarium est ad bonum animarum. Sed alii probabilius negant cum d. Thoma et Benedicto XIV juxta communem sententiam ut hic ait. Ratio, quia legislator humanus nequit valide judicare de internis, cum neque valeat illa cognoscere. Hinc cum excommunicantur *credentes* hæreticis, per illud *credere* accipere debemus, quod id exterius appareat *(S. Alph.,* l. I, nn. 45, 100) (1).

130. *Quid* (quæres) *si actus externi occulti sint, potest eos præcipere lex humana et prohibere?* — Affirmative, quia potestatem habet quidquid externum est dirigendi; et ideo *omnes exteriores actus, etiam occulti, licet per accidens non cadant sub judicio, cadunt sub lege* ex d. Thoma *(S. Alph.,* l. I, n. 100).

Casus. Martenius sacerdos gravi admissa culpa, ab Episcopo damnatur tum ad solvenda decem scuta in certam piam causam, tum exercitiis spiritualibus vacandum in quodam monasterio per decem dies. Quid ille? scuta non tribuit; in monasterio se confert, sed simulans vacare exercitiis, tempus in profanis lectionibus et otiositate impendit, innixus principio quod oratio mentalis est actus mere internus qui ab humana auctoritate non potest præcipi — R. *Martenius graviter deliquit:* 1) *pœnitentiam non adimplendo, res enim est per se gravis et sub gravi præcepta ut supponitur;* 2) *exercitia parvipendendo, quia juste fuit ad illa damnatus et res gravis est. Exercitia autem non sunt quid mere interni; et ideo potest illa superior præcipere, et ideo etiam ut rite agantur.* Elbel.

131. **Lex humana quoad actus præteritos.** Lex humana nequit se extendere ad actus præteritos qui pravi non fuerint; neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio ubi non est lex. Neque, stricte loquendo, ratione rescissionis, quatenus nova lex præteritos actus invalidet, cum jam obtinuerint suam firmitatem. Excipe casum specialissimum a nova lege expressum ad bonum commune. Sane nimium turbaretur societas, si actus juxta veterem legem legitime consummati per novam pro libito mutarentur. Hinc vulgare illud: *Lex non respicit retro;* consonant leges civiles (*a.* 2).

(1) Neque obstat quod actus mere internos bene possunt præcipere Prælati regulares et confessarii. Quippe illis parendum est ex voto; his vero, quia Christi personam gerunt.

Neque item obstat quod Ecclesia possit aliquid concedere sub conditione actus interni, v. g. dispensationem ab impedimento, modo sponsi copulam non habuerint cum intentione illam facilius obtinendi. Nam in potestate cujusque est quem velit suis beneficiis modum imponere. *Summula Reatina.*

132. **Subjectus legis humanæ.** Omnes et solos subditos rationis usum habitualiter habentes obligat lex humana.

1. *Omnes subditos*, hoc est contra quosdam, qui vel christianos vel justos excludebant. Apostolus neminem excludit, cum dicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom. XIII). Unde quando ait I Tim. I: *Lex justo non est posita*, id solum innuit, justum non agere ex timore legis, sed ex legis amore. — Imo vel ipsi legislatores tenentur suis legibus ex quadam æquitate, et ratione boni exempli. Non tamen tenentur quoad vim coactivam, nam nullus proprie cogitur a seipso; nisi tamen agatur de contractibus, vel de iis legislatoribus qui a se ipsis non habent potestatem independentem, ut evenit in regno democratico ac constitutionali (*S. Alph.*, l. I, n. 155).

2. *Solos subditos*; quia potestas legislativa in iis, ad quos se extendit, subjectionem importat; subjectio autem non datur, nisi in subditis. Hinc non baptizati tenentur quidem præceptis Evangelicis, habita illorum notitia, quia subditi sunt Deo, qui legem Evangelicam omnibus gentibus indici præcepit; sed non tenentur legibus Ecclesiasticis, quia Ecclesiæ non subjiciuntur. Quapropter non peccaret, secluso scandalo et legis Ecclesiasticæ contemptu, qui carnes die vetito iisdem suppeditaret.

3. *Rationis usum habitualiter habentes*; ratio quia homines habitualiter usu rationis carentes legibus dirigi nequeunt. Hinc secluso scandalo et legis contemptu, fas est carnes ad manducandum ministrare pueris et perpetuo amentibus. Id tamen erit illicitum agere cum ebriis atque ad tempus delirantibus; quia si illi sunt omnino exleges, non isti, qui sunt capaces rationis et directionis et solum accidentaliter privantur usu (1).

133. An vero pueri teneantur ad Ecclesiæ leges, nondum expleto septennio, si usum rationis adepti sint, alii communius et probabilius cum Suarez affirmant; nam eo ipso quo quis usum rationis habet, legi subditur cum ejus observantiæ capax evadat. Alii tamen negant (nisi agatur de præcepto annuæ Confessionis, pro qua caput *Omnis* exigit discretionem, non ætatem). Nam lex non attendit nisi ad id quod communiter et in pluribus accidit, ut ait d. Thomas: porro certum est pueros ordinarie ante septennium usu rationis non pollere. Quæ sententia, cum haud immerito probabilis sit, non erunt inquietandi

(1) Mente captus *amens* dicitur, si insanit quoad omnia; *demens* vel *monomaniacus*, si quoad unam vel aliam rem tantum. Tamen communi usu promiscue usurpari solent hæc nomina.

qui hujusmodi pueris, v. g. carnes die vetito exhibent; etsi præstet ut ab ungulis jugum Domini portare assuescant *(S. Alph.,* l. I, n. 155; l. III, n. 270).

In dubio autem rationis usus, post septennium præsumptio stat pro ejus adeptione, et consequenter pro obligatione, si excipias quæ adhuc illo puero non conveniunt, uti communio Paschalis et jejunium. Sed ante septennium in dubio non præsumitur puer obligari; possidet enim qua jam potitur, libertas *(S. Alph.,* l. III, n. 1012).

134. *Resolve:* I. Excommunicati Ecclesiæ legibus subduntur quamvis de Ecclesia ejecti; secus ex malitia sua commodum reportarent. Excipe nisi excommunicatio illis interdicat exercitium illorum actuum, qui alioquin præciperentur, v. g. interesse Missæ.

II. Hæretici, schismatici et omnes baptizati, etsi catholici non sint, rigorose et per se legibus Ecclesiæ obligantur; nam quamvis rebelles, semper per baptismum sunt Ecclesiæ subditi. Neque obstat quod sint ab ejus corpore abscissi; nam abscissi sunt quoad communionem, non quoad characterem quem ex baptismo indelebiliter tenent. Addunt tamen cum Gury, quod isti per accidens non videntur peccare catholicæ Ecclesiæ leges violando, quia fere nesciunt se ex conditione sua ad illas servandas teneri.

III. Ecclesiastici legibus civilibus obligantur, si leges justæ sint, et non adversentur immunitatibus illis, quas Tridentinum appellat *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutas* (sess. XXV, c. 20 de R.), id est quæ non repugnant eorum statui. Omnes enim partes communitatis politicæ legibus politicis obligantur; atqui tales sunt clerici. Hinc Apostolus, (Rom. XIII), sine ullo personarum discrimine, inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Imo præstat, ut ecclesiastici aliis exemplo sint reddendo nempe quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.

135. *Dei ordinatione* ecclesiastici exempti sunt a potestate sæculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones prælatorum, etc.; siquidem Ecclesiæ, non sæcularibus hæc fuit tributa potestas. *Canonicis* autem *sanctionibus* exempti sunt ab oneribus tributorum, militiæ, tutelæ; et gaudent privilegiis competentiæ, fori, canonis, etc. (v. dicenda t. II, n. 801). Certe negari non potest, quidquid statuant leges civiles, vel ipsi naturali æquitati consentaneum esse, ut sacris ministeriis deputati, non omnino cæteris æquiparentur hominibus. In ipsa republica ejus repræsentator pluribus gaudet supra cæteros; idque merito; nam illius

dignitas vilesceret, si ab aliis non distingueretur. Nonne apud ipsos gentiles eorum sacerdotes in honore habebantur? Romæ ipsi erant a juramento liberi, in Ægypto a tributis soluti, in Græcia negotiorum consultores, in Asia præsides judiciorum, in Gallia præceptorum, magistri, etc. (*S. Alph.*, *Homo Apost.*, tr. xx, n. 18; *Scavini*, l. I, n. 354. Cercià; *Lezioni di diritto canonico*) (1).

Hinc jure Pius IX in *Syllabo* damnat has propositiones: n. 30: *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.* N. 31: *Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.* N. 32: *Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta* (Pœnæ contra violatores vide n. 576).

136. **Peregrini quoad leges** (2). Si sermo est de legibus personalibus, quæ nempe personas immediate afficiunt, certum est eas obligare peregrinos, advenas et vagos ubicumque, hoc ipso quod non eorum territorio sed eorum personis adhæreant. Hinc sacerdos in sua Diœcesi suspensus a Missa, neque in Diœcesi aliena poterit celebrare.

Si vero sermo est de legibus, quæ afficiunt loca, et dicuntur *locales,* communissime docent eos minime ligari a legibus sui territorii, a quo discesserunt. Nam legislatoris jurisdictio ita est proprio territorio affixa, ut extra illud se extendere nequeat. Hinc qui moratur in loco ubi lex jejunii non est, potest ibi licite comedere, quamvis in patria jejunium indictum sit, etiamsi jejunium sit de jure communi; nam est consuetudo universim inducta ut peregrini gaudeant privilegiis locorum, ubi sunt.

(1) Dices: *Lex pro omnibus est æqualis.* R. « L'eguaglianza dei cittadini dinanzi alla legge non significa già che un'unica legge debba regolare indistintamente i rapporti di tutti i cittadini; ma bensì, che tutti i cittadini sono soggetti alla legge generale, o speciale che li riguarda, qualunque sia il loro grado sociale. » *Cassazione di Torino,* 7 sett. 1871. Ex quo apparet, quam facile sit creare exceptiones, speciales leges condendo, adeo ut in fumum evanescat adeo magnificata æqualitas.

« Io reputo falso l'altisonante apoftegma, attesochè per mille rispetti la legge non è uguale: sia perchè vi sono leggi disuguaglianti, sia perchè sono infiniti gli arbitrj, i privilegi legali o illegali, le esenzioni, le parzialità; sia perchè impossibile questa livella morale, come è impossibile la dinamica e la metrica. » *La religione e la milizia, risposta a quesiti di sommo interesse;* Roma, 1873.

(2) *Peregrinus* dicitur qui extra territorium suum per aliquod tempus versatur animo ad suum redeundi. *Vagus* qui nullibi fixum habet domicilium. *Advena* qui alicubi quasi-domicilium acquirit ut famuli: quasi-domicilium in civili dicitur *residentia* (a. 16). *Incola* qui in loco domicilium habet; est autem domicilium locus perpetuæ habitationis.

Domicilium triplex distingui potest: *originis,* seu locus in quo quis ortus est; *habitationis,* seu locus quem quis eligit ad perpetuo commorandum diversum a loco originis; *necessitatis* in quo quis coactus est perpetuo morari pœnæ causa, ut relegatus, carcere inclusus.

Hinc peregrini qui primis quadragesimæ diebus Mediolanum se conferunt, non tenentur jejunare, cum ibi nondum jejunium indictum sit.

Et hoc etiamsi discederent a patria ad eximendum se a lege, ut plurimi docent contra alios (nisi adsit specialis prohibitio, uti adest quoad matrimonia contrahenda ac casus reservatos ex dicendis). Tunc enim utuntur jure suo, neque fraus aut dolus, sed loci conditio illis favet (*S. Alph.*, l. I, n. 157).

137. Peregrinus tamen ante discessum e proprio territorio juxta alios tenetur observare leges ibi vigentes, si illas implere commode valeat; quia præceptum actu obligans actu impleri debet, si postea non potest. Verum id alii negant, nisi lex continuatim obliget; unde non tenetur quis mane audire Missam die festo, si ante prandium venturus sit in locum, ubi non adest illud Missam audiendi præceptum. Si enim domi mansisset, legis implementum differre poterat usque ad illud temporis punctum, quo discessit. Si tamen ibidem unum tantum esset Sacrum ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire; quia ante ejus discessum esset consummata obligatio. Licet prima sententia non appareat probabilior, suaderi poterit uti pia.

Dixi *nisi lex continuatim obliget;* si enim lex proprii territorii omnibus momentis urgeat, omnibus momentis implenda est. Sic si in tua Parœcia speciale jejunium indictum sit, non potes illud frangere carnes manducando quamdiu in ea manes; nam hæc abstinentia continuo urget; nec excusat privilegium loci, quo venturus es; quia eo nondum venisti (*S. Alph.*, l. I, n. 157).

138. Peregrinus autem tenetur legibus loci quo venit: 1) Si secus agendo eveniat scandalum; ut si lex loci eo die prohibeat servilia, ea exercere publice non potest; nam scriptum est Matth. XVIII: *Væ illi per quem scandalum venit.*

2) Si agatur de legibus Juris communi, a quibus peregrinus in sua patria esset tantum per privilegium exemptus: nam per discessum privilegium amittit; cum loco affixum sit. Hinc civis mediolanensis, qui in patria sua primis quatuor diebus quadragesimæ non jejunat ex speciali privilegio, si illis diebus pergat ubi de Jure communi viget jejunii lex, tenetur jejunare (1).

(1) Qui legi communi jam in suo territorio satisfecerit, probabilius non iterum satisfacere tenetur adveniens in locum ubi idem præceptum serius urget. Sic Italus qui in patria jejunavit vigilia s. Petri, non tenetur item jejunare in Gallia ubi reperitur quando fit jejunium ad sabbatum sequens ibidem translatum; quia non datur obligatio bis in idem; fiat tamen sine scandalo. *Gury.*

3) Si agatur vel de contractibus, quia in iis quisque sortitur forum loci, ubi contrahit, ut confusio evitetur juxta illud: *Locus regit actum.* Vel de delictis, quia delinquens generatim loquendo sortitur forum ubi deliquit; nam æquum est, ut scelera puniantur ubique.

Hisce casibus exceptis, disputant utrum peregrini teneantur legibus particularibus loci in quo versantur. Alii affirmant satis probabiliter cum Antoine. Alii tamen probabilius ac communius negant cum s. Antonino, quia leges non obligant nisi subditos; atqui peregrini (quod fortius valet de vagis) non sunt subditi. Hinc qui pergit in locum ubi speciale jejunium præceptum est, non tenetur jejunare, modo illud etiam in sua patria non vigeat; neque cuiquam scandalo sit *(S. Alph.,* l. I, n. 156).

Casus. Titius valetudinis curandæ gratia in alia parœcia hiemavit; ibi tamen neque festa neque jejunia particularia hujus loci servat utpote alienigena — R. *Peccavit graviter si diuturna habitatione in loco extraneo, ibi quasi-domicilium acquisiverit; quia tunc fit illius loci subditus. Secus non, sed semper remoto scandalo.* S. Alphonsus.

CAPUT TERTIUM

De Legis humanæ obligatione; de Lege pœnali et irritante.

139. **Legis humanæ obligatio.** Lex quælibet per se obligat in conscientia: superiores enim constituti sunt a Deo cum potestate præcipiendi. Hinc illud Rom. XIII: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1).

Si lex specialis vigeat tum in sua patria, tum in territorio ubi brevi quis moratur, juxta alios ad illam tenetur, ne dicatur sine lege; juxta alios vero non tenetur, quia a suo territorio discessit, in alieno autem territorio neque quasi-domicilium habet, ut ei subdatur.

(1) *An leges obligent graviter legislatorem?* Si monarcha delinquit contra propriam legem occulte absque scandalo, non desunt qui cum Laymano eum graviter peccare contendunt; cum sit agere contra naturalem æquitatem in re gravi. Attamen probabiliter alii cum Lessio eum a mortali excusant, si non agatur de materia justitiæ, in qua oportet servare æqualitatem; quia non vi propriæ legis tenetur, cum sibi nequeat imperare; sed tantum ex quadam decentia, quæ si obligat, non potest obligare nisi sub levi. Tanto minus incurrit pœnam latam in transgressores, etsi publice monarcha delinquat; ut enim ait Angelicus: *Nullus proprie cogitur a seipso; rex autem non habet vim coactivam, nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Ps.* L: Tibi soli pec-

140. *Conditiones ad legis vim.* Sunt præcipuæ: 1) Ut lex *justa* sit; *quod enim fit injuste, nec jure fieri potest,* ait Augustinus *(De Civ. Dei,* l. XIX, c. 21). Et d. Thomas *leges* (injustæ) *magis sunt violentiæ quam leges* (1, 2, q. 95) — 2) Ut sit *possibilis*, quod enim est impossibile non potest cadere sub libertate, ideo neque sub lege — 3) Ut sit *proportionata* viribus multitudinis; et in bonum commune, cum id constituat finem primarium legis, et ne sit in destructionem quod esse debet in ædificationem — 4) Ut clare *enuncietur;* nam quamdiu latet vel dubia est, non ligat; ut enim ait Angelicus: *Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti* (S. Alph., lib. I, n. 140; et supra nn. 74 et 79).

141. **Principia.** Lex humana obligat sub gravi in materia gravi, sub levi in levi materia, nisi aliter suadeant rerum adjuncta. Quare in re sub omni respectu levi nequit superior obligare sub gravi; ne dicatur obligare contra rectam rationem et bonum commune. Attamen probabilius potest obligare sub levi in materia gravi; tum quia id aliquando expedit ne graventur subditi; tum quia materia gravis etiam minoris obligationis capax est. Censetur autem superior obligare sub gravi:

1. *Ex gravitate finis,* quem intendit, etsi res præcepta sit in se levis. Sic abstinentia a pomo in Paradiso terrestri erat in se levis, sed ex circumstantia finis ad quem conferebat, erat gravissimi momenti; per eam enim homo suam a Deo dependentiam profitebatur. Et lex civilis sub capitis pœna prohibet quandoque militibus levia furta, ratione gravium damnorum, quæ secus timerentur.

2. *Ex gravitate materiæ*, si nempe sit gravis vel ratione quantitatis, ut est materia notabilis in furto; vel ratione qualitatis, ut est hostia consecrata; vel ratione alterius circumstantiæ gravis.

3. *Ex gravitate verborum,* quibus utitur legislator. Ut si præcipiat aut vetet *sub indignatione Dei, sub minatione divini judicii, in virtute sanctæ obedientiæ, ex tota potestate.*

4. *Ex gravitate pœnæ* transgressoribus legis mixtæ impositæ; cum pœna culpæ proportionetur: talis esset pœna exilii perpetui, excommunicationis latæ sententiæ, etc.

cavi, *dicit Glossa*, quod rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet (l. 2, q. 96, a. 5, ad 3). Ex hoc consequitur, quod si Episcopus, qui sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibuit, v. g. ne clerici cauponas ingrediantur, ipse eas ingrediatur, suspensionem non incurrit *(S. Alph.,* l. I, n. 154; *Scavini,* l. I, n. 352).

5. *Ex communi prudentum judicio* ac *probata consuetudine,* quæ est *optima legum interpres (S. Alph.,* l. I, n. 144; l. VII, 313).

142. **Lex fundata in præsumptione**. Duplex distinguitur præsumptio: alia *facti;* alia *juris* seu periculi. Prima est qua legislator credit aliquod factum particulare intervenisse, v. g. damnum, super quo proinde disponit. Secunda est qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat in tali agendi ratione generaliter adesse mali periculum, v. g. doli et fraudis, etsi id non eveniat; ideo non attendit factum, sed habet pro ratione periculum generale alicujus mali.

Principia. Si lex fundatur in præsumptione alicujus facti particularis, culpæ, fraudis, damnificationis, et factum non subsistat, lex illa non obligat. Nam tota ratio obligationis in solo facto fundatur, quod cum non existat, superior obligare non intendit: tunc valet axioma: *Præsumptio cedit veritati.* Unde v. g. si tuum animal non intulit damnum, sed juridice probetur intulisse, non teneris solvere etiam post sententiam, præciso scandalo. Et poteris te compensare si solvere debuisti; quia tunc sententia esset certo injusta falsum præsumendo.

Si vero lex fundatur in præsumptione periculi generalis culpæ, fraudum, etc.; ipsa semper obligat si juridice damnum probetur, etsi absit culpa theologica; adest enim generale periculum, ad quod avertendum, bonum commune exigit ut omnes stabiliter obligentur, ut ita homines reddantur cautiores et diligentiores ad damna efficaciter impedienda. Hinc teneris ad solvendam pœnam ad quam condemnaris pro damno vere illato a tuo animali, etsi damnum illud sine tua culpa theologica evenit, modo tamen non evenerit culpa alterius *(S. Alph.,* l. I, n. 100).

Casus. Custos ovium inadvertenter somno corripitur; interim grex in vineam alterius totus dilabitur; inde pastor ad mulctam et damnorum compensationem judicialiter damnatur. Qui insuper novam sententiam subire cogitur; ejus enim asellus e stabulo a fure subductus, ab hujusce manibus fugiens in alienos agros venit eosque damnificavit. Pastor judicans has sententias injustas esse, sibi clam compensat. R. *In primo casu injuste egit se compensando, factum enim damnificationis est verum, et adfuit in pastore culpa saltem juridica quæ ad justam sententiam sufficit. In secundo casu potuit se compensare, cum adsit omnino præsumptio, quod pastor omni culpa etiam juridica careat, nam ob quamcunque diligentiam non potuit impedire damnum; quia ex tertii culpa illatum est.* Suarez, s. Alphonsus.

143. **Legis difficultas**. Si incommodum quod timetur ex legis observantia est multum ponderabile, lex humana ordinarie loquendo non obligat, ut apud omnes receptum est. Imo neque

ipsa lex divino-positiva, uti patet ex Christo adprobante factum Davidis, qui in necessitate gravi comederat panes Propositionis, quorum esus laicis gravissime erat a Deo prohibitus *(Matth.,* l. II).

Dixi *ordinarie loquendo;* sunt enim casus, in quibus lex humana cum quovis damno (ipsius etiam vitæ) potest obligare: 1) Quando id postulat bonum publicum, cui bonum privatum cedere debet. Sic miles excubias agens mori potius debet, quam silere, hoste adventante — 2) Quando legis violatio cederet in contemptum Dei, Religionis, Ecclesiæ aut Ecclesiasticæ potestatis: hæc enim plus refert tueri, quam privatum bonum. Sic Eleazarus mori potius recte elegit, quam carnem porcinam manducare; cum ad id cogeretur in contemptum legis *(S. Alph.,* l. I, n. 176) (1).

144. *Casus.* Quid si pater incredulus et impius diceret filiis suis: *volo ut die veneris carnes manducetis, idque in contemptu Papæ et Ecclesiæ? Filii a carnibus debentne omnino abstinere?* — Respondet Frassinetti: « Videtur quod non; si enim ipsi responderent: *pater, scias quod nos carnes manducamus, quia alios cibos nobis minime tribuis, ideo manducamus carnes quia hoc casu nobis illas edere licet:* tunc ex parte ipsorum nullus contemptus, imo protestationem contra contemptum emitterent. Simili modo, si fidei inimicus mortem nobis minaretur, quia in Religionis nostræ contemptum nolumus cibos prohibitos manducare, vel die vetito solvere jejunium, etc.; si respondemus, *nos manducabimus quia in necessitatis casu id licitum est,* tunc nullus amplius contemptus adesset. Imo aperte profitemur nos leges Ecclesiæ venerari, sed eas in casu ideo non observamus, quia notum nobis est quod leges Ecclesiæ non obligant cum tanto damno ac periculo. »

145. **Legis contemptus.** Si contemptus sit formalis, seu si afficiat directe legem, ipsam contemnendo qua lex est, vel legislatorem qua superior est, erit mortalis, etsi præceptum sit leve; quia tunc contemnitur ipsa auctoritas quæ a Deo est. Secus vero dicendum si contemptus sit materialis, nempe si contemnatur res præcepta vel ex passione, vel quia parvi æstimatur aut inopportuna, vel ex indignatione contra superiorem, qua est singularis persona, v. g. quia indocta, rudis, imprudens. Tunc de se non est culpa mortalis, nisi judicium sit graviter temerarium. Hinc dicunt raro contingere peccatum mortale ratione contemptus *(S. Alph.,* l. I, n. 142).

146. **Lex pure pœnalis.** Ea est quæ obligat tantum ad

(1) Ceterum si lex sit de se justa, et tamen quidam subditi plus æquo graventur, lex adhuc erit valida et obligabit alios. Illi vero qui injuste gravantur, non obligabuntur quoad excessum, nisi per accidens ratione scandali vel perturbationis, ad quæ vitanda quisque debet propriis juribus cedere (D. Thomas, 2, 2, q. 60, a. 5).

pœnam. Non potest dari lex pure pœnalis hoc sensu, ut nullomodo obliget in conscientia, quia præceptum superioris, si non obligaret, non esset verum præceptum sed consilium. Potest tamen dari lex pure ac mere pœnalis, quæ nempe obliget in conscientia non quidem ad aliquid faciendum vel omittendum sub peccato; sed tantum ad pœnam solvendam, si lex violata fuit et pœna applicata. Hinc d. Thomas: *Non omnia quæ ordinantur in lege traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad pœnam* (2, 2, q. 186, a. 9).

Idque dignosci poterit ex verbis legis, et communi sensu doctorum: tales habentur communiter leges prohibentes sub pœna cæsiones lignorum, herbarum quæ sunt communitatis. Item leges vetantes piscationem, venationem; vel quæ annonam in urbem inferre prohibent, non soluto vectigali; vel quæ aleas et ludos interdicunt (*S. Alph.*, l. I, n. 147; l. III, nn. 615 et 885).

Leges tamen ecclesiasticæ, si excipias regulas multorum Ordinum religiosorum, non sunt puræ pœnales; sed culpam supponunt, et plerumque gravem. Ecclesia enim, etsi possit absolute loquendo pœnam tantum statuere, id tamen non solet, si nulla adest culpa; nam illius leges salutem animarum potissimum respiciunt. In iis ergo expedit, ut conscientia primario et directe obligetur.

147. **Lex mixta**. Ea est quæ obligat sub culpa et sub pœna: et sic ordinarie accipitur lex. Pœna autem:

1. Alia est *activa*, quæ nequit exequi sine aliqua delinquentis actione: uti pecuniæ solutio. Alia *privativa*, quæ consistit in mera privatione alicujus rei: uti suspensio, quæ sacerdotem privat facultate munia sacra obeundi.

2. Alia est *latæ sententiæ*, quæ *ipso facto*, id est sola criminis patratione incurritur. Alia *ferendæ sententiæ*, quam lex non infligit, sed infligendam decernit per judicem.

3. Alia est *condemnatoria*, per quam reus certa pœna a superiore mulctatur. Alia *declaratoria* criminis patrati; per eam nempe judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod pœna a lege jam statuta ipso facto incurritur (1).

4. Alia est *conditionalis*, si privat aliquo jure sub data

(1) Usu receptum est, quando agitur de pœna gravi et ardua, qua nempe quis debeat se expoliare de re pacifice possessa, ut non incurratur ante sententiam judicis, etsi in lege cautum sit, ut illa incurratur *ipso facto, nulla declaratione præmissa*. Quia nimis rigidum est, ut reus pœnas ex seipso exequatur et bonis possessis se privet. Ideo et pœnæ privativæ quæ jus aliquod jam quæsitum adimunt, regulariter egent judicis sententia, exceptis censuris, irregularitatibus, et illis quæ a judice irrogari non possunt cum crimen sit omnino occultum (ne lex

conditione. Alia tandem est *inhabilitans,* si inhabilem facit ad aliquid obtinendum.

148. **Pœna conventionalis**. An ante sententiam pœna conventionalis apposita in contractibus sit solvenda ab eo qui deficit datæ fidei, alii affirmant, si petatur ab altera parte, nec sit exorbitans; est æquitati conforme, quia quisque tenetur stare pactis ante sententiam quamcunque.

Sed negant alii: quia, uti dicunt, nemo censetur sibi imponere pœnam, nisi secundum dispositionem juris circa leges pœnarum; hæ porro ordinarie non contrahuntur, nisi post sententiam. Cum res dubia sit, non est obligandus pœnitens citra conventionem, ut statim pœnam solvat *(S. Alph.,* l. I, n. 150).

149. **Ignorantia legis**. Coram lege civili ignorantia legis generatim non excusat etsi inculpabilis, quia hæc respicit factum; secus omnes transgressores illam adducere possent contra bonum societatis. Quoad leges vero ecclesiasticas quæ præcipue animam ligant, qui legem inculpabiliter ignorat, excusatur et a culpa et ab illius pœna; quia nemo debet puniri nisi in eo, in quo peccavit *(S. Alph.,* l. I, n. 169).

Qui vero scit legem, sed ignorat pœnam adnexam, ab ista generatim non excusatur, cum sit in culpa. Excipe nisi agatur de censura, vel irregularitate ex delicto; nam tunc requiritur etiam scientia pœnæ *(ex dicendis* n. 507; *et* t. II, n. 839).

150. **Lex irritans**. Ea est quæ actum nullum et invalidum facit. Alia est *pœnalis,* quæ irritat actum in pœnam peccati, et ideo si non adsit culpa, nec irritatio. Alia *legalis,* quæ actum irritat ob bonum publicum, et ideo obtinet etiamsi adsit ignorantia invincibilis — Lex irritans differt *a prohibente tantum,* quia hæc reddit actum quem prohibet illicitum, sed non invalidum. Huc facit illud: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Differt a lege *inhabilitante,* quia hæc directe respicit personam quam ad actum inhabilem facit; illa respicit immediate actum quem invalidum declarat.

151. Utrum leges actum irritantes obtineant etiam in conscientia ante judicis sententiam, adeo ut teneamur sub culpa abstinere a ponendo tali actu, affirma si leges sint irritantes

inutilis evadat): ideo v. g. conjux incestuosus amittit ipso jure petendi jus *(S. Alph.,* l. I, n. 149; l. VI, nn. 112, 472).

Adhuc tamen differt pœna sententiæ ferendæ a pœna latæ sententiæ. Nam illa vim habet tantum a die quo inflicta fuerit; hæc vero semel facta delicti declaratione, retrahitur ad diem patrati criminis quoad suos effectus.

simul et inhabilitantes, ut generatim sunt leges Ecclesiæ. Secus autem videtur dicendum, si lex sit irritans tantum: quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut contingit in pluribus contractibus civilibus ex inducta consuetudine, qui declarantur nulli pleno jure, si initi sint sine certis solemnitatibus. Ideo non peccat qui actus illos tentat, si tamen paratus obedire judici, cum nullos declarat.

CAPUT QUARTUM

De Legis humanæ promulgatione, observantia et executione.

152. **Promulgatio.** Definitur *publica legis denuntiatio facta auctoritate superioris ad subditos obligandos.* Hæc absolute necessaria est ad legis vim. Pulcre Angelicus: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducatur ex ipsa promulgatione* (1, 2, q. 90, a. 4). Hinc vulgare illud: *Leges instituuntur cum promulgantur.* Quare si quis sciret legem aliquam mox esse promulgandam, non tenetur nondum facta promulgatione, illam adimplere. Item est si dubium sit de promulgatione; quia cum non sit sufficienter intimata, lex dubia est, et ideo non obligat *(S. Alph.,* l. I, n. 97).

Qui factam legis promulgationem invincibiliter ignorat, excusatur a culpa coram Deo ex defectu cognitionis; non vero ex defectu legis, quæ utpote promulgata vim habet obligandi.

153. Leges civiles apud nos post decimumquintum diem ab illarum inscriptione in officiali Collectione et ejus annuntiatione in Diario officiali statim obligant, nisi aliter statutum sit in lege ipsa (a. I, *proœm.).*

Leges episcopales communi usu obligant diœcesanos statim a promulgatione in urbe episcopali — Tandem leges Pontificiæ obligant omnes fideles per promulgationem Romæ factam, prout est in usu a sex saltem sæculis (1). Si secus esset indirecte R. Pontifici legum ferendarum potestas adimeretur, cum queat

(1) Leges tamen quæ jurisdictionem auferunt, v. g. in sacramento Pœnitentiæ, vel infirmant aliquem contractum suapte natura validum (non tamen ob omissas juris solemnitates) probabiliter ex præsumpta Pontificis voluntate non obligant, nisi postquam fuerint in Diœcesibus promulgatæ. Alioquin ipsæ redundarent in detrimentum plurimorum qui illas invincibiliter ignorant *(S. Alph.,* l. I, n. 96).

hæc promulgatio in provinciis impediri, et de facto hac tempestate in aliquibus regnis, ab harum libera promulgatione impediantur Episcopi, adeo ut in Syllabo damnari debuerit hæc n. 28 propositio: *Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas literas promulgare.* Et in Encycl. *Quanta cura* damnatur assertio: *Ecclesiæ leges non obligant in conscientia nisi promulgentur a civili potestate.* Item: *Acta et Decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigent sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis* (1).

154. **Legis acceptatio**. Semel facta promulgatione, lex sive ecclesiastica sive civilis obligat, nec ad hoc requiritur populi acceptatio. Patet 1) ex propositione damnata ab Alexandro VII: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam* — 2) Ex ratione: si populi acceptatio requireretur, legislatorum auctoritas illusoria esset; esset enim non regere, sed regi.

Limitant 1) si lex per decennium non fuerit acceptata, ratione contrariæ consuetudinis — 2) Si sanior et major pars legem non observet; et ex circumstantiis præsumatur, principem non instando pro observantia nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet — 3) Si lex sit valde difficilis, et tales insuper sint circumstantiæ, ut si a principe præcognitæ essent, sine dubio legem non tulisset. Hæc pro foro conscientiæ; at generatim in foro externo transgressores puniuntur *(S. Alph., Ho. Ap.,* tract. II, n. 11; *Op. Mor.,* l. I, n. 139).

155. *Resolve:* 1) Lex Ecclesiæ obligat, etsi a civili gubernio non sit acceptata; nam Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non a potestate civili. 2) Episcopi tenentur acceptare leges Pontificum; quia ipsis subjiciuntur. Quod si graves obstent rationes, debent illas S. Sedi exponere, et demum illius decisioni acquiescere ex Benedicto XIV *(De Syn.,* l. IX, c. 8).

156. **Legis adimplementum**. Ad legis præcepto satisfaciendum non requiritur: 1) Ut lex impleatur ex motivo caritatis neque in statu gratiæ, nisi id præcipiatur ex natura rei, ut in sumptione Eucharistiæ. Nam ponendo opus, jam totum ponitur quod a legislatore præcipitur sive illud ponatur in statu gratiæ sive non. Hinc a s. Pio V damnata fuit hæc Baji propositio: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine caritate.* Ideo qui

(1) Cæterum possunt, ut patet, Pontifices suam voluntatem patefacere Romæ et alibi; non enim locus facit legem, sed legislatoris voluntas.

in peccato recitat Horas, jejunat, Sacrum audit, satisfacit præcepto *(S. Alph., Ho. Ap.,* tr. III, n. 28).

Non requiritur: 2) intentio præcepto satisfaciendi, hoc est ut res fiat, quia præcipitur; sed dumtaxat ut fiat quod præcipitur. Sic qui rite in festo Missæ interest ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, nec tenetur ad aliam Missam: totum enim præstat quod lex constituit. Imo adhuc adimpletur lex si is qui præstat opus præceptum, habeat intentionem expresse non satisfaciendi. Nam semel opere posito, non amplius est in potestate operantis, ut lex dicatur non impleta. Aliter tamen esset si opus præcipiatur expresse ob finem peculiarem, v. g. jejunium ad lucrandum jubilæum: tunc non satisfacit qui ex sola divotione jejunat diebus ad illud acquirendum præscriptis *(D. Thomas,* 1, 2, q. 100, a. 9).

Neque requiritur: 3) intentio implendi finem præcepti, quia non finis, sed solummodo actus præcipitur. Hinc axioma: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.* Ad rem D. Thomas in 4, D. 15, q. 3, a. 4: *Statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti.*

Sed id solum satis est, si agatur de præceptis *positivis*, ut res præcepta ponatur humano modo; quia cum lex præcipit hominibus positivum actum, profecto requirit actum humanum. Porro actus humanus debet esse conjunctus cum voluntate et libertate operantis, id est ut velit sive intendat ponere hic et nunc opus quod est præceptum, v. g. Sacrum audire (etsi ideo expresse non intendat satisfacere præcepto). Hinc dici non potest satisfecisse præcepto de audienda Missa qui Missæ ebrius aut dormiens interfuerit. Si vero agatur de præceptis *negativis,* sufficit simplex omissio actus prohibiti, cum jam totum ponatur quod præcipitur. Sic qui tota die dormierit sine esu et potu, dici non potest jejunium violasse *(S. Alph.,* l. I, n. 165) (1).

157. Per unum actum potest satisfieri diversis legibus, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges præcipitur, neque agatur de materia justitiæ, neque alia sit legislatoris mens. Sic si festum de præcepto occurrat in dominica, satis

(1) *Quid* (dices) *de servo vel discipulo, qui metu domini vel magistri Sacrum devote audit; quod tamen, cessante metu, sic non audiret?* — Licet iste peccet mala illa voluntate, satisfacit tamen præcepto; quia talis metus utpote solummodo reverentialis non tollit libertatem. Item dicendum est quamvis omnino coactus assistat Missæ, si tamen non desit attentio requisita; nam substantiam operis præcepti adhuc ponit, sed peccaret ob malam voluntatem.

est semel Sacro adesse. Tunc enim per unum actum censetur impleri totum quod præcipitur, quando præcepta cadunt in eandem materiam ob idem motivum. Hinc si Cajo debeas centum ex contractu, et ea voveas restituere, et ad ea restituenda te obligaverit confessarius, centum semel restituendo satisfacis tribus illis obligationibus, nempe justitiæ, voti et præcepti confessarii; cum obligationes diversæ unam respiciant materiam idemque motivum.

Dixi 1: *Modo non agatur de materia justitiæ.* Nam si Cajo debeas centum ex emptione, centum ex mutuo, non satisfacis centum reddendo; quia illæ obligationes cadunt quidem in eandem justitiæ materiam, sed habent diversa motiva; ideo biscentum debes.

Dixi 2: *Nec alia sit legislatoris mens:* mens autem legislatoris colligi potest ex natura operis præcepti, ex circumstantiis, ex communi piorum sensu, etc. Hinc qui tenetur jejunare ex voto aut pœnitentia, non satisfacit jejunando die quo currit jejunium vigiliæ, cum hæc præcepta habeant motiva diversa; bene tamen satisfaceret, si illud jejunium ex voto vel pœnitentia statutum esset per mensem, in quo incidit vigilia cum jejunio; quia in ea facti specie talis censetur præcipientis voluntas. Item qui in festo audit Sacrum, et tempore ejusdem Sacri orationes voto aut pœnitentia debitas vel divinum Officium recitat, duplici præcepto satisfacit uno tempore; neque enim unus actus alium excludit: et talis est praxis timoratorum, nec contradicunt confessarii *(S. Alph.,* l. I, n. 166).

158. **Quando leges adimplendæ.** Si leges tempus, diem et horam implementi determinant, servandæ sunt tempore definito, uti patet. Secus impleri debent ubi primum commode poterunt; alioquin illarum implementum de die in diem posset differri, et tandem omitti: quod est absurdum. Si vero tempore præstabilito non fuerit legi satisfactum, non amplius adest obligatio satisfaciendi, si illa temporis præfinitio sit ad finiendam obligationem utpote alligatam tali diei tantummodo. Hinc qui sine causa Missam non audivit tali die determinato, peccavit, sed non ideo tenetur aliud Sacrum postea audire. Aliter est si tempus non fuerit constitutum nisi ad sollicitandam obligationem; ideo qui in Paschate non communicavit, non ideo a communione liberatur; tunc in nostra sententia lex adhuc et semper urget *(S. Alph.,* l. III, n. 220).

159. Quod si eodem tempore duo occurrant præcepta quæ

simul impleri nequeant, præceptum gravius observandum est, cum prævaleat. Hinc præceptum naturale præferendum est præcepto positivo, divinum humano, ecclesiasticum civili utpote præstantius: *hoc naturalis ordo requirit*, ait Angelicus, *quod inferiora superioribus subdantur* (Contra gent., l. III). Hinc in Syllabo damnata est n. 42 propositio: *In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.*

160. Qui totum præceptum implere nequit, non tenetur partem implere quam potest, si præcepti materia indivisibilis est: sic qui vovit Romam petere ad visitanda Limina Apostolorum, si certo scit se eo pervenire non posse, non tenetur ne in parte quidem iter suscipere; quia nec finis nec ratio voti servaretur.

Si vero materia præcepti est divisibilis, qui nequit totum implere, tenetur ad partem, si hæc notabilis sit, et in ea aliquo adhuc modo servetur præceptum; sicut enim *utile per inutile non vitiatur*, ita neque *pars possibilis per impossibilem*. Hinc qui vovit jejunare tribus diebus, si non potest totidem jejunare, tenetur eo quo potest die, si tunc certo valeat.

161. **Causæ excusantes a lege.** Causæ excusantes aliæ sunt *eximentes*, aliæ *impedientes*, aliæ *deobligantes*.

Eximentes sunt illæ quæ totaliter subtrahunt a dominio legis, uti si quis se conferat extra locum ubi lex viget: hæ totaliter et generatim a lege liberant (v. supra *de peregrinis* n. 136).

Impedientes sunt quæ subditum sub lege manentem ab ejus impletione liberant. Huc venit tum *ignorantia* legis invincibilis, voluntas enim non potest ferri in incognitum; tum *impotentia*, nam impossibilium nulla obligatio; tum *gravis difficultas*, ut receptum est *(S. Alph.*, l. I, nn. 168, 175, etc.).

Tandem *deobligantes* aliæ legi *directe* opponuntur, nempe si quis eo fine illas ponit, ut a lege implenda se subtrahat; aliæ *indirecte*, si quis moveatur ex alio motivo ad eas ponendas, inde tamen præviso obice. Iterum istæ causæ possunt esse vel *proximæ*, vel *præsentes*, vel *remotæ*, prout lex, cui causæ illæ opponuntur, vel jam obligat hic et nunc; vel proxime obligabit, puta in die; vel nonnisi post notabile tempus. Quo posito en:

Principia. 1. Licet sine peccato apponere causas totaliter eximentes a legis humanæ observantia (etiam directe et proxime, in nostra sententia), nisi obstet specialis prohibitio. Hoc enim est jure suo uti; et ideo licet se subtrahere a dominio legis peregrinando ad locum ubi lex non viget *(ex dictis* n. 136).

2. Non licet sine gravi ratione, ex communi sententia cum

d. Thoma, causas impedientes legis implementum (sive præsentes sive proximæ tantum sint) neque indirecte apponere aut non removere. Sic peccat qui somno se tradit paullo ante vel ipso tempore audiendi Sacrum, si inde prævideat ejus omissionem: adhuc enim esset sub legis influxu. Item peccat graviter qui sine gravi causa laborem suscipit incompossibilem cum jejunio ad quod tenetur; lex enim, quæ jejunium præscribit, consequenter præscribit etiam ne absque rationabili proportionata causa apponantur quæ illi adversantur.

3. Directe non licet causas impedientes ponere vel non tollere etsi remotas. Hinc carcere detenti aut excommunicati peccant, si ideo præcise non curant liberari, ne liberati teneantur ad Missæ præceptum; vellent enim ex animo legis infractionem.

4. Licet apponere vel non tollere (etiam sine gravi ratione) causas remotas indirecte tantum impedientes legis implementum. Ita plures, in quorum sententia non peccat contra præceptum audiendi Sacrum qui iter aggreditur feria quinta, prævidens fore ut sequenti dominica illud audire non possit. Ratio est, inquit Suarez, *quia præcepta positiva ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proxime et quasi eodem tempore moraliter loquendo sequuntur. Ex quo etiam efficitur, ut quando non sunt directe volitæ, raro imputentur ad culpam; quia ista præcepta positiva non cum tanto rigore obligant.* Legislator enim non censetur velle libertatem adeo coarctare (*S. Alphonsus*, l. I, n. 152; l. III, n. 1045) (1).

162. **Legibus renuntiatio.** Si leges primario latæ sint in bonum communitatis, nemo potest illis renuntiare; quia bonum publicum semper est firmum. Hinc clericus nequit renuntiare privilegio fori, ubi et in quibus illud vigeat; cum id inductum sit in decus totius Ordinis clericalis.

(1) Frassinetti excipit casum quo quis e loco discederet ideo præcise, ne valeat Missam sequenti dominica audire; et tunc peccaret etsi discederet feria secunda, ut patet. Sed quoad cæteros casus, quocumque die quis discederet etiam in sabbato ob aliquam causam, contendit illum non posse de peccato damnari; tum quia non est certum quod Ecclesia quæ obligat fideles ad Missam cum morantur in loco ubi Missam audire possunt, obliget etiam ad ibi morandum ut illam audiant; tum quia secus essent damnandi (quod tamen non fit) navigantes qui sine gravi causa iter aggrediuntur ultimis hebdomadæ diebus.

Attamen s. Alphonsus habet: « Merito reprobant Salmanticenses illud quod adhuc probabile putat Tamburini (et ei consentit Viva) posse aliquem proficisci in sabbato ad venandum in nemore longinquo, licet in dominica ibi non possit audire Missam.... Qui vero die Jovis venatum iret, communiter excusatur apud Viva. » (L. III, n. 301).

Si vero leges respiciant primario bonum privati, tunc potest privatus illis renuntiare: secus non esset favere, sed onus illi imponere. Hinc hæres ordinarie renuntiare potest hæreditatem sibi delatam.

CAPUT QUINTUM

De Legis Interpretatione, Epikeja et Mutatione.

163. **Legis interpretatio.** Est interpretatio *explicatio sensus in lege contenti.* Per se loquendo locum habet in omni lege humana; nam impossibile est, ut omnes casus comprehendat. Imo et in lege naturali, ubi actio possit ex circumstantiis malitia denudari: sic negamus ensem domino qui illo sit certo abusurus, licet jure naturæ res clamet ad dominum.

Porro *ejus est legem interpretari cujus est legem condere (S. Alph.,* l. I, n. 200).

164. *Divisio.* Interpretatio legis: 1. Alia est *simplex,* alia per *epikiam.* Prima est pura, et quasi literalis expositio verborum legis, quæ obscuritatem vel ambiguitatem aliquam pati videatur. Altera est benigna ac rationalis declaratio, qua casus aliquis ob peculiares circumstantias censetur non comprehendi sub lege, etsi legis verba sint generalia et perspicua.

2. Alia est *declaratoria,* quæ verba legis obscura declarat. Alia *ampliativa,* quæ legem ad similes casus extendit. Alia *restrictiva,* quæ legem restringit, et coarctat ad aliquos tantum.

3. Alia *authentica,* alia *usualis* et alia *doctrinalis,* prout fit ab ipso superiore, vel a consuetudine, quæ *est optima legum interpres ;* vel a viris doctis. Hæc ultima etsi magnam habeat probabilitatem, non tamen habet vim legis, cum non procedat a legislatore.

165. *Regulæ interpretationis:* 1) Verba legis sunt accipienda juxta propriam significationem, nisi absurdum sequatur — 2) In dubio de vero sensu attendendum est ad casus similes, atque ad generalia juris principia — 3) Leges pœnales et quæ jura ac favores restringunt, in dubio stricte sunt accipiendæ. Concordat jus civile *a.* 3 *et* 4 *(S. Alph.,* l. I, n. 200).

166. **Legis extensio.** Lex extendi potest de casu ad casum, si eadem et adæquata ratio ita concurrit, ut si non extenderetur, legislator argui posset de imprudentia vel injustitia. Tunc

valet illud juris: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Id evenit:

1) In *correlatis.* Sic lex, quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum conjugale uxori adulteræ, censetur item eximere uxorem erga adulterum maritum; quia maritus et uxor sunt in hac re correlata, et æque jus habent.

2) In *æquiparatis.* Sic ova et lacticinia in jure æquiparantur quoad jejunium; ideo quod de primis valet, intelligitur etiam de secundis.

3) In *connexis.* Sic cum testamentum sit revocabile, quibus permittitur testamenti confectio, et illius revocatio permissa est.

4) In *contentis.* Sic s. Pius V permittens monialibus e monasterio egressum ob incendium aut epidemiam, censetur id concedere etiam ob inundationem et hostium invasionem; cum eadem omnino sit ratio *(S. Alph.*, l. I, n. 201).

Hic notamus duo axiomata: 1) *In manifestis nullus est interpretationi locus.* 2) *Non sunt mutanda quæ interpretationem semper certam habuerunt.*

167. **Epikeja.** Hæc est admittenda; cum non sit possibile, ut lex omnes casus comprehendat; legislatores enim attendunt ad id quod in pluribus accidit. Et ideo ad æquitatem pertinet, ut legislator censeatur relaxare de sua lege, speciali casu interveniente: porro ad hoc ordinatur epikeja quæ idem sonat ac *æquitas (D. Thomas,* 2, 2, q. 120) (1).

Id autem locum habet si observatio legis fiat: 1) *Peccaminosa;* hinc juste denegas domino suum gladium apud te depositum, si illo uti velit ad homicidium patrandum — 2) *Damnosa reipublicæ:* hinc possunt cives arma capere contra hostes extemplo civitatem invadentes, licet generatim sit prohibitum arma gestare — 3) *Onerosa nimis ac dura,* sic non teneris Missam audire die festo de præcepto cum tuo gravi detrimento *(S. Alph.*, l. I, n. 201).

168. **Mutatio Legis.** Lex humana, ait Angelicus (1, 2, *q.* 97), in tantum recte mutatur, in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur; ad hoc enim lex lata est. Id vero contingit per dispensationem, cessationem, privilegium, atque consuetudinem.

(1) § 8 de judice: « *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatem, quam stricti juris rationem.* »

Art. I. — **De Legis Dispensatione.**

169. **Legis dispensatio.** Definitur *legitima legis relaxatio in casu particulari.* Differt ergo a legis irritatione, abrogatione et cessatione, quia in hisce lex pro omnibus extinguitur; in dispensatione vero tantum pro aliquibus.

170. Dispensatio alia est *totalis*, alia *partialis*, prout vel eximit a tota lege vel a parte tantum. Alia *tacita* vel *præsumpta;* alia *expressa*, prout vel ab aliquo facto deducitur aut præsumitur, vel verbis expressis declaratur. Alia *necessaria,* alia *libera,* prout in jure a superiore decernitur tribuenda, tali extante causa; vel ejus voluntati relinquitur.

171. **Principia** I. Ad *licitam* dispensationem causa requiritur; secus superior non esset fidelis administrator, et prudens, ut ex Evangelio tradit d. Thomas (l. 2, q. 97, a. 4). Quo in casu peccat et qui illam petit et qui illa scienter concedit; non tamen graviter, secluso scandalo et aliorum damno, et modo non agatur de delegato ad dispensandum *(S. Alph.,* lib. I, nn. 178, 180) (1).

II. Causæ legitimæ dispensationis tres vulgo assignantur: 1) *Pietas:* sic dispensatur ab operibus servilibus in festo qui laboribus incumbit ad divinum cultum pertinentibus — 2) *Utilitas:* sic dispensatur a simplici castitatis voto qui matrimonium contrahere velit ad succurrendum familiæ — 3) *Difficultas:* sic dispensatur a jejunio qui illud servare nequit absque satis gravi incommodo. Quæ difficultas non debet esse tanta ut veram impotentiam inducat; quia tunc de se lex cessaret. Id autem definire non omnium est, sed sapientis judicium requiritur. Cæterum præstat, ut res tota superiori exponatur, ad quem maxime spectat judicare de causæ justitia; inferioris vero est modo bona fide causam exposuerit, judicium superioris expectare, et illi acquiescere *(S. Alph.*, l. I, n. 192; *Ho. Ap.*, tract. III, n. 51).

III. Ad *validam* dispensationem nulla requiritur causa ex parte concedentis, si dispensat in sua vel in inferioris lege; nam qui potest ligare, potest etiam ad libitum solvere. At causa requiritur ad validitatem in eo qui dispensat in lege superioris; non enim præsumitur accepisse potestatem temere dispensandi. Ex parte vero petentis, requiritur ut vera causa adsit; nam su-

(1) Dispensationes ac privilegia quæ prodeunt a S. Sede nisi literis de more expeditis, in foro externo non suffragantur ex Gregorio XV Const. *Romani Pontificis.* Attamen verius valent in foro conscientiæ ex Clem. 2 *de sepulcr.*

perior non dispensat nisi sub tacita conditione: *Si preces veritate nitantur (S. Alph.,* l. I, n. 185).

IV. Duplex est dispensandi potestas, ordinaria et delegata. *Ordinaria* est quæ alicui competit ex vi officii sui, qualem habet ipse legis legislator. *Delegata* est illa quæ competit inferiori ex concessione illius qui habet ordinariam: quæ delegatio si in jure sit scripta æquiparari solet generatim ordinariæ; secus si tota sit hic et nunc a superiore, et tunc dicitur *pure delegata.*

V. Legislator potest dispensare in lege sua; qui enim potest ligare potest etiam solvere; item in lege sui prædecessoris, quia pari gaudet facultate et juxta juris principium *successor et antecessor pro una persona reputantur;* tanto magis in lege sui inferioris, cujus potestas est ipsi subordinata *(D. Thomas,* 1, 2, q. 97).

172. *Resolve* I. Papa dispensare potest in omni jure ecclesiastico, imo in iis etiam legibus, quas Apostoli ediderunt uti Ecclesiæ Præsides; ut est jejunium Quadragesimale. Imo potest dispensare in præceptis ipsis divinis, si jus divinum oriatur a voluntate humana, uti in votis et juramentis. Nam tunc Papa non tollit jus divinum, sed aufert fundamentum talis obligationis, declarando id quod quis vovit et juravit non esse in iis circumstantiis congruam materiam; seu, ut ait Angelicus, *dijudicat quid sit magis virtuosum et Deo magis acceptum* (2, 2, q. 88, a. 12). Communius tamen et probabilius negant ipsum posse dispensare in iis quæ absolute a Dei voluntate pendent; quia inferior nihil potest in lege superioris; etsi valde probabiliter possit in aliquo casu particulari, ut in matrimonio rato, declarare legem divinam non obligare. Talis enim potestas videtur illi necessaria pro bono communi Ecclesiæ, propter tot varias circumstantias contingentes *(S. Alph.,* l. I, n. 196).

II. Episcopus potestate ordinaria potest dispensare in omnibus Statutis episcopalibus sive intra sive extra Synodum latis independenter a Capitulo et a Clero (1). Item a statutis Episcopalibus etsi Synodalibus valet dispensare etiam Capitulum cathedrale seu Vicarius capitularis, Sede vacante; cum succedat in locum Episcopi. Non tamen generalis Episcopi Vicarius sine speciali delegatione; cum id non habeat de suo jure ordinario, ut commune est *(S. Alph.,* l. I, n. 190)

(1) Imo Episcopus potest dispensare in sua Diœcesi a legibus latis in Concilio provinciali, modo non sint in ipso Concilio specialiter reservatæ. Hoc enim valde expedit ad bonum fidelium. Benedictus XIV *De Syn.*, l. XIII, c. 5.

III. Inferior non potest dispensare in lege sui superioris: hinc Clemens VIII: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Excipe nisi hæc potestas vel ab ipso superiore vel a jure, vel a consuetudine sit illi delegata. Sic Parochi ex consuetudine possunt dispensare cum suis subditis (singulariter tamen, non pro tota parœcia, et transeunter) etiam præsente Episcopo, in necessitatibus frequentibus circa jejunium, et in abstinentia a laboribus diebus festivis. Sic usu inductum est, ut confessarii omnes solvant a censuris minime reservatis. Sic Episcopo communiter tribuunt potestatem dispensandi in lege pontificia:

1) Quoties in ipsa lege additur, *ut in ea possit dispensari vel donec dispensetur.* Quod item obtinet si potestas dispensandi a legitima consuetudine firmetur — 2) Si urget dispensandi necessitas, aut magna utilitas, nec facile recurri potest ad Papam — 3) In casibus frequenter occurrentibus, sed cum particularibus, in jejuniis, in observantia festorum *(S. Alph.*, l. I, n. 193).

173. *Notandum.* Qui delegatam tenet dispensandi facultatem, potest eam subdelegare non tantum si delegatio sit ad universitatem causarum; sed etiam si sit ad aliquem actum specialem, si procedat a romano Pontifice, vel ejus Congregationibus (*v. supra* n. 105). Verum excipe: 1) Si agatur de dispensando irregulares vel in matrimonii impedimentis. 2) Si non jam jurisdictio, sed mera executio, seu nudum ministerium sit commissum. 3) Si delegatio sit facta alicui ratione illius specialis industriæ, vel si præcipiatur ut ipse tantum cognoscat et agat, vel pro suo arbitrio determinet. Quibus in casibus, si v. g. Episcopus sit delegatus, ejus Vicarius non potest se ingerere; et idem currit e converso; quia in causis sic delegatis Episcopus et Vicarius non faciunt unum tribunal.

Si vero dispensatio sit commissa *Ordinario diœcesis,* tunc et Episcopo et ejus Vicario generali competit illam exequi; nam sub *Ordinarii* nomine veniunt omnes qui habent jurisdictionem ordinariam ut sunt Vicarii et Provicarii generales. Qua ratione item deducunt ipsos posse etiam exequi ea omnia quæ Tridentinum de jure proprio committit Ordinario exequenda; item est si Concilium Episcopo facultatem tribuit ut agat *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatus;* per illud *etiam* jam innuitur Episcopos jure ordinario proprio potestatem habuisse (V. *Ferraris,* V°. Delegare; *s. Alph.,* l. VII, n. 224; *Scavini,* l. I, n. 367).

174. An vero Episcopus valide dispensare possit non subditos seu *peregrinos* in votis, juramentis, communibus Ecclesiæ præceptis, sunt qui probabiliter affirmant, quia ipsi fiunt subditi superioris illius loci ubi sunt. Sententia tamen communissima et probabilior negat; nam nemo fit alterius Episcopi subditus nisi ratione domicilii vel quasi-domicilii. Neque obstat, quod ipsi absolvi valeant a peccatis ab alieno Episcopo; ideo enim valide absolvuntur, quia ex voluntate Ecclesiæ eo ipso, quo in

tribunali Pœnitentiæ Episcopo loci vel ejus delegato se sistunt, fiunt illius subditi: quod dici nequit de dispensationibus.

Ratio diversitatis esse potest, quia absolutio sacramentalis præsentiam requirit, unde mirum non est si hæc dari debeat ab Episcopo loci ubi peregrinus confitetur; sed relaxatio voti, juramenti, etc., adhuc dari potest a proprio Episcopo, etsi ejus subditus longe distet (1). Receptum tamen est, ut *vagi* dispensentur a superioribus loci ubi sunt hic et nunc; secus non haberent a quo dispensentur (*S. Alph.*, l. I, n. 158; l. III, nn. 262 et 332; l. VII, n. 79).

175. **Dispensatio vitiosa.** Dispensatio tripliciter vitiari potest, *vitio personarum, vitio precum* et *vitio formæ.*

I. *Vitio personarum*, quæ si inhabiles sint sive ad concedendum, sive ad obtinendum, dispensatio irrita est. Item probabilius si erratum sit in nomine Diœcesis. Si vero error contingat in nomine vel pronomine supplicantis, Pyrrus Corradus docet ex stylo Romanæ Curiæ illam vitiari, ac ideo iterum recurrendum pro erroris correctione (prout in usu est). Id tamen Rosa, Dejustis et Croix restringunt dumtaxat ad dispensationem in forma pauperum, et si error diversam personam indicet. At si v. g. dictum fuerit *Antoninus* pro *Antonio*, vel si is qui duo nomina habet, alterutro nuncupatus fuerit, vel si Oratoribus rite nominatis, error in repetitione eorum obrepserit, nihil obest. Item est si mutatio in una litera consistat, quin mutetur sensus (2).

II. *Vitio precum*, hoc evenit maxime, si falsum narretur vel verum reticeatur: in primo casu habetur *obreptio*, in secundo *subrectio.* Porro si obreptio vel subreptio versetur circa causam principalem, dispensatio erit invalida; quia nullus effectus sine vera causa. Si vero sit circa causam tantummodo impulsivam ex jure canonico erit valida, modo tamen id factum non fuerit malitiose (*S. Alph.*, l. I, n. 195).

III. *Vitio formæ*, si nempe dispensatio non sit exarata, ea formula, qua ex stylo Curiæ fieri solet, et ideo suspicionem de falso ingerat; tunc veritas est indaganda. Item ex jure canonico est irrita dispensatio si error in latinitate occurrat, gravis tamen et manifestus.

(1) Hinc missionarii qui in finitimis Diœcesis regionibus piis exercitiis operam dant; et multo magis confessarii ad fideles audiendos in Sanctuariis deputati facultates obtineant a S. Sede, ut omnibus ex variis Diœcesibus convenientibus præsto esse possint; non vero a loci Episcopo, nisi hic facultatem habeat pontificia etiam indulta communicandi.

(2) Si defectus dispensationis sit sanabilis, novæ Literæ apostolicæ peti possunt quæ appellantur *Perinde valere*, quæ efficiunt ut primæ literæ perinde valeant ac si ab initio rite impetratæ fuissent.

176. **Resolutiones**. I. Valet dispensatio alicui improbo concessa quem dispensator probum putavit, etsi cognita improbitate, non fuisset illum dispensaturus, si causa adsit dispensandi. Tunc probitas reputatur tantum causa impulsiva.

II. Valet, etsi concedatur in mala fide, ut cum dispensator putat causam non adesse, quæ revera adest; nam valor non pendet a cognitione, sed ab existentia causæ. Item valet si causa finalis tempore petitionis sit falsa, sed vera fiat tempore concessionis; quia a concessione dispensatio obtinet.

III. Valet dispensatio concessa a primario superiore, licet ab alio jam denegata, etsi de negatione mentio non fiat. Imo valet etsi a primario negata, fuerit a secundario superiore concessa; quia potestas inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat.

IV. Advertunt recte Salmanticenses, non bene se gerere Prælatos qui ad se confugientes in dubio pro dispensatione, illorum conscientiæ relinquunt; sic conscientiarum tranquillitati non provident. Consultius erit ut aperte dispensent, vel dispensationem denegent; semper autem clare loquantur, ne novo dubio fiat locus.

V. Potest legislator secum dispensare directe a sua lege; item et delegatus, si tamen obtinuit facultatem generalem alios dispensandi. Quia dispensatio est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga seipsum exerceri potest.

VI. Valet dispensatio tacita vel præsumpta, si aliquo signo prudenter colligi possit. Item est, si sit metu extorta, si tamen existat causa, nec defuerit animus dispensandi.

VII. In dubio an casus in quo versaris, indigeat dispensatione, non teneris dispensationem petere, cum possideat tua libertas; etsi consultius sit adire superiorem ob majorem animi tranquillitatem (1). In dubio vero an causa allegata fuerit motiva aut impulsiva tantum, valida censenda est dispensatio data; cum in dubio jura faveant valori actus (2). Cæterum dispensatio non est ultro quam verba sonant extendenda; cum enim ipsa sit quasi vulnus legis, stricte est sumenda, nisi sit debita, vel data ex motu proprio superioris, vel sit inserta in corpore juris, vel nisi concedatur communitati aut in bonum publicum (*S. Alph.*, l. I, nn. 192, 194).

177. **Cessatio dispensationis**. Cessat data dispensatio:

I. Per renuntiationem dispensati: potest enim quilibet cedere juri suo. Sed requiritur ut dispensator illam acceptet.

II. Per revocationem dispensantis; *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Si revocatio sit facta a superiore in lege sua, valida est etiam sine causa, quia obligatio et deobligatio a legislatoris voluntate pendent: peccat tamen

(1) Aliud est si dubites an causa quam habes sit sufficiens ad te liberandum a lege; tunc teneris ad legem, quia possidet lex antecedenter ad tuam libertatem (*S. Alph.*, l. I, n. 97).

(2) Excipe nisi agatur de dispensatione matrimonii; nam in dubio, an casus indigeat dispensari, dispensatio petenda est, nec standum pro libertate; quia cum matrimonium sit sacramentum non potest contrahi cum materia dubia excepto casu necessitatis, ne illud exponatur periculo nullitatis (*S. Alph.*, l. VI, n. 902).

quia agit inordinate. Non cessat autem dispensatio ob revocationem injustam factam a delegato; quia revocandi facultas non est in ejus arbitraria potestate.

III. Cessat dispensatio, cessante totaliter causa finali ante illius executionem. Nam tunc preces non nituntur veritate.

Dixi 1) *Cessante totaliter causa finali*. Hinc si causa finalis, v. g. dispensandi in impedimento matrimonii, sit legitimatio prolis et reparatio scandali vel damni, si proles moriatur, vel fœtus ejectus fuit, adhuc sustinetur dispensatio, nempe ad damnum vel scandalum reparandum; non enim causa cessat totaliter — 2) *Ante dispensationis executionem*. Si enim causa finalis cessaverit post executionem dispensationis a mandatario factam, dispensatio non cessat si unico actu censeatur perfecta et consummata, ut est ea quæ tollit inhabilitatem, impedimentum aut votum; in his enim censetur dispensatio absolute concessa, pro semper et tota simul.

E contrario cessat dispensatio, si habeat tractum successivum ratione materiæ; eo enim in casu dispensatio censetur concessa sub clausula *si causa perduret*. Unde si quis dispensetur ab Officio vel a jejunio ob infirmitatem, dispensatio cessabit, si plene convaluerit (*S. Alph.*, l. I, n. 196).

Art. 2. — De Legis Cessatione, de Privilegio ac Consuetudine.

178. **Cessatio legis.** Legis cessatio est *ipsius extinctio;* potest autem lex cessare ab extrinseco et ab intrinseco.

1. Cessat *ab extrinseco* tam *per derogationem*, si nempe pars legis tantummodo tollatur; quam per *abrogationem*, si tota lex extinguatur. Quod evenit per revocationem legislatoris, per contrariam consuetudinem, ac per legem posteriorem priori legi repugnantem.

2. Cessat *ab intrinseco*, quando propter speciales circumstantias evadit injusta, nam injustitia non ligat: hinc subito irruente fera licet contra ipsam arma capere, etsi lex arma vetet. Item quando respectu totius communitatis cessat totaliter causa finalis et adæquata legis; tunc valet illud: *Cessante causa, cessat etiam effectus*. Quare si jejunium unice fuerit indictum ad pacem obtinendam, pace obtenta, cessat lex jejunii etiam sine superioris declaratione.

Quod si finis adæquatus, nempe totalis legis cessat tantum in casu particulari, id est respectu aliquot personarum, tunc

si finis totalis cesset *contrarie*, nimirum si lex alicui reddatur nociva, vel admodum difficilis et ardua, commune est eam non obligare. Hinc si quis jejunii die non habeat nisi carnes ad vescendum, cessat prohibitio abstinendi ab illis.

Si vero finis totalis in particulari cesset tantum *privative*, uti si lex generalis pro casu particulari aut illa persona esset inutilis tantum, communius est, legem adhuc obligare. Quia quamvis cesset finis legis in particulari, non cessat tamen in communi; et semper adest periculum hallucinationis, qua quisque in casu proprio facile decipi potest. Hinc etsi quis prudenter judicet nullum obstare impedimentum ad matrimonium contrahendum, adhuc tenetur ad denuntiationes *(S. Alph.*, l. I, n. 199).

179. **Privilegium**. Est *gratia specialis et permanens certis personis, rebus vel locis a superiore concessa, contra vel præter legem.* Clausula hæc in illius concessione: *Supplentes singulos defectus,* intelligitur tantum de defectibus accidentalibus; non de substantialibus. Hinc si supplicatio esset fraudulenta, illa clausula non valeret; et corrueret privilegium *(S. Alph.*, l. I de privil., n. 4).

180. Privilegium est quædam quasi donatio; ideo acceptatio requiritur. Neque enim beneficia conferuntur nescientibus, et tanto minus invitis.

181. *Divisio.* Multiplex distinguitur privilegium:

I. Aliud est *reale* seu locale, aliud *personale.* Primum directe conceditur alicui rei, v. g. loco et transit ad successores in eadem re: hoc favet etiam peregrinis ex consuetudine generali; sic Itali transeuntes per Hispaniam carnibus vesci possunt in sabbato. Aliud vero est quod conceditur immediate personæ ratione sui ipsius, ob scientiam, dignitatem, etc. Hoc extinguitur cum eadem persona.

II. Aliud est *gratiosum* quod procedit principaliter ex liberalitate concedentis; et sine causa revocari potest. *Remuneratorium* aliud, quod conceditur ratione meritorum ; hoc revocari nequit sine gravi causa et tantum sub compensatione.

III. Aliud est *favorabile* quod privilegiato confert commodum, et nemini affert incommodum: tale est privilegium vescendi carnibus in Quadragesima. Hoc autem (sicut illud quod conceditur *motu proprio)* in dubio late interpretatur; quia *beneficium principis late accipiendum est* — Aliud *odiosum* quod uni confert commodum, alteri præjudicium; dicitur *odiosum* respectu aliorum: talis est exemptio a solvendis tributis, quæ gravat alios. Est strictæ interpretationis.

IV. Aliud est *contra,* aliud *ultra* vel *præter* legem; aliud *ad instar*. Privilegium *contra legem* derogat juri communi, ut exemptio a solvendis decimis. *Ultra* vel *præter legem* concedit favores in jure non expressos, ut est potestas absolvendi a reservatis. Privilegium *ad instar* locum habet, quando quæ uni sunt concessa, alteri communicantur *(S. Alph.,* l. I de privil., n. 14).

182. *Extinctio privilegii.* Etsi privilegium habeat, ut sit mansurum, et ideo per se non extinguatur morte concedentis, cum sit gratia facta; attamen pluribus modis cessare potest:

1) *Lapsu temporis* præscripti, vel *cessante causa* ob quam fuit limitate concessum — 2) *Libera renuntiatione* acceptata; excipe nisi privilegium respiciat bonum communitatis, cui privatus renuntiare nequit — 3) Per *non usum* aut *usum contrarium* spatio ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum et si occasio obtulerit illo utendi — 4) Per *abusum,* accedente sententia superioris declaratoria — 5) Per concedentis aut ejus successoris *revocationem,* uti per novam legem omnino contrariam, si hæc lex aliter nequeat effectum suum sortiri. Si in privilegiorum revocatione dicatur *ex certa scientia*, *ex motu proprio, de plenitudine potestatis,* vel si certo constet de legislatoris voluntate, cessant omnia privilegia *(S. Alph.,* Ho. Ap., tr. XX, n. 11).

183. **Consuetudo**. Prout legis vim habet pressius definiri potest: *Jus moribus receptum (moribus,* idest *usu).* Porro consuetudo legitime invecta, quousque non tollatur contraria consuetudine aut lege, in utroque foro pro lege habetur et obligat in conscientia, ut docent unanimiter cum d. Thoma: *Tunc manifestatur per consuetudinem, quod lex ulterius non sit utilis; sicut etiam manifestaretur, si lex contraria promulgaretur* (1. 2, q. 97). Et Gregorius Magnus (ad Decent. Eugubin.): *Ex singulis quibusque ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta, sunt observanda.* Imo laudabiles atque probatæ consuetudines (antiquæ videlicet et immemorabiles, ut explicat Catalani) obtinent etiam contra *Cæremoniale,* ut pluries declaravit S. Rituum C.

184. Consuetudo igitur legitime præscripta legem imitatur, et obligat aut universaliter quoad omnes si sit generalis, aut quoad diœcesim et curiam diœcesanam si sit particularis. Hæc particularis consuetudo comprehendit *stylum Curiæ,* qui sumitur pro observantia consueta in aliquo loco et pro jure non scripto, et ita legem particularem imitatur adeo ut sententia contra stylum Curiæ

lata nulla habeatur. Stylus enim in Curiis romanis observandus est pro lege ex Paulo III, Bulla *Cum gravissimæ*, et ita communiter tradunt doctores. Imo observandus in quacunque Curia, modo rationabilis sit, legitime introductus nec a superiori auctoritate reprobatus; et tunc consuetudines, sive stylos particulares etiam contra stylum romanæ Curiæ admittunt. Hinc s. Gregorius (Can. LXXX de cons., dist. 4): *In una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.* Ferrari (1).

185. *Divisio.* Consuetudo alia dicitur *juxta legem*, alia *præter legem*, alia *contra legem*. 1[a]) Legi conformis est, et eam magis explicat; hinc consuetudo dicitur *optima legum interpres*. 2[a]). Inducit novum jus, quod antea non existebat. 3[a]) Abrogat legem jam latam; et suo nomine dicitur *desuetudo* (*S. Alph.*, l. I, n. 290).

186. **Principia**. Ut consuetudo fiat lex, requiritur:

I. Ut introducatur a *majori parte* communitatis per actus plures, notorios, uniformes et constantes, et quidem cum intentione et voluntate se obligandi vel consuetudinem introducendi. Ideo actus positi per vim, ignorantiam vel errorem non valent ad illam inducendam. Item nulla evadit consuetudo, si populus aliquid agat ex devotione, uti est usus Salutationem Angelicam ter in die recitandi, tres Missas in die Nativitatis audiendi, in ingressu templi aquam benedictam sumendi. Intentio autem se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo a longo tempore constanter observetur, vel cum incommodo satis gravi, aut si ita sentiant viri pii.

II. Ut sit *rationalis*, nempe ut sit de materia, quæ possit per legem humanam imperari. Hinc non datur consuetudo contra legem naturalem et bonos mores; hæc enim respicit honestatem, quæ impræscriptibilis est. Neque contra legem divinam, quam Christus voluit perduraturam ad mundi finem: *Christus*, ait d. Augustinus, *se legem, non consuetudinem dixit.* Et d. Thomas: *Lex naturalis et divina procedit a voluntate divina, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis* (1, 2, q. 79, a. 3).

III. Ut adsit *consensus legislatoris:* vel legalis juridicus, ut si expresse ipse adprobet consuetudines; vel tacitus, ut si consuetudini cum potest, legislator non contradicat; scire enim debet eam passim induci.

(1) Et Pius IX Allocut. *Ubi primum* 17 dec. 1847: *Habemus equidem in pretio peculiares traditiones; sed eas tantum quæ a catholicæ Ecclesiæ sensu non discrepent, præsertim vero illas reveremur et firmissime tuemur quæ cum aliarum ecclesiarum traditione, atque in primis cum hac sancta romana Ecclesia plane congruant.*

IV. Ut duret *tempore requisito.* Ubi notandum, si consuetudo inducitur via conniventiæ (quod evenit, quando legislator videt legem passim non recipi et dissimulat, cum possit facile urgere observantiam), tunc docet Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 5, *nullum temporis spatium esse necessarium, sed statim consuetudinem obtinere.*

Si vero inducitur vi ordinariæ præscriptionis, alii decem annos sufficere docent contra leges civiles, quia hoc tempus in jure dicitur *longævum, diuturnum, inveteratum ac plurium annorum:* sed contra leges ecclesiasticas requirunt quadraginta annos. Attamen plures (in quorum sententiam evidenter inclinat laudatus Pontifex) rationabiliter dicunt sufficere decem annos pro utraque lege; cum nulla in jure fiat legis distinctio, et textus contrarii loquantur tantum de præscribendo Ecclesiæ immobilia (*S. Alph.*, l. I, nn. 107 et 139).

Casus. Teobaldus parochus audiens in confessione fideles suos se accusare si in aliqua die omittant recitationem Ss. Rosarii, concludit hanc consuetudinem in legem transiisse, et ideo in catechesi docet peccatum esse talem omissionem — R. *Eo ipso quod fideles se accusent de hac omissione concludi nequit consuetudinem in legem transiisse. Id enim fieri solet a timoratis etiam de iis quæ sunt meræ devotionis, consilium nescientibus interdum a præcepto distinguere. Parochus ideo temere ac male ovibus suis loquitur, cum imponat onus ad quod non tenentur; ideo magis si talis omissio illi non innotescat nisi ex confessione. Debuit potius in ipsa confessione monere pœnitentes de veritate rei.* Episc. Bersani.

187. **Abrogatio consuetudinis.** 1). Consuetudo generalis abrogatur per subsequentem contrariam legem generalem, etsi nulla fiat mentio de consuetudine. Id enim apertissime deducitur ex c. I *de consuetudinibus in* 6.

2) Consuetudo particularis sed non immemorabilis, sufficienter abrogatur per clausulam generalem *nulla obstante consuetudine*, aut alia simili. Est sententia communis, penes Bouix; et ita fuit resolutum a Rota 17 junii 1609 (1).

3) Consuetudo immemorabilis seu centenaria generatim non derogatur per clausulam: *non obstante quacunque consuetudine.* Est sententia communis, et firmatur ex S. C. Concilii declarationibus. Dixi *generatim;* nam excipe: 1. Si lex declaret irrationales seu reprobet quaslibet consuetudines sibi contrarias — 2. Si ratio ob quam legislator declarat se legem ferre, æque directe militet contra consuetudines immemorabiles — 3. Si verba æquipollenter etiam tales consuetudines reprobent, ut si dicatur: *ex motu proprio, ex certa scientia cassamus, annullamus*, etc.; aut *non obstante quovis titulo, quæsito colore ac prætenso et asserto privilegio*, etc.; aut

(1) Episcopi autem per eorum leges abrogant quamcunque consuetudinem particularem; quia præsumitur ipsi plenam habere notitiam consuetudinum diœcesum suarum (*S. Alph.*, l. I, n. 109).

non obstantibus regulis de jure quæsito non tollendo, cæterisque etiam speciali mentione dignis (1).

188. Præstat autem malas consuetudines abrogare; at magna prudentia et maturitate opus est, et habenda ratio temporis, loci ac personarum. Nam non raro, uti observat Augustinus, *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, maxime si consuetudo alte radices egerit et universalis sit. Tunc *quod possumus exigendum est, non quod optamus*, ut monet Benedictus XIV Constit. *Paternæ* (Scavini, l. I, n. 374 ; l. IV, n. 7).

Hoc notent maxime nuperi parochi, qui zelo, non secundum prudentiam, inflammati, subito et pertinaciter, nullo petito consilio, abusus evellere contendunt; atque ita sæpe non medelam præbent, sed vulnus exasperant. Videant ne forsan de nobis sit usurpandum quod notat Kempis : *Volumus, quod stricte alii corrigantur, et ipsi corrigi nolumus; displicet larga aliorum licentia, et tamen nobis nolumus negari quod petimus; alios restringi per statuta volumus, et ipsi nullatenus patimur amplius cohiberi.*

(1) Item decreta S. Rituum Congr. derogant cuicunque contrariæ consuetudini etiam immemorabili; S. R. C. 11 sept. 1847. Attamen si tales consuetudines non cedant in deformitatem cultus, et ex mutatione timeatur turbatio, recurratur ad Rituum C. pro illarum probatione (v. t. II, n. 567).

Lex civilis statuit: « Nelle materie che formano soggetto del nuovo Codice, cessano di aver forza dal giorno dell'attuazione del medesimo tutte le altre leggi generali e speciali; come pure gli usi e le consuetudini a cui il Codice stesso espressamente non si riferisce (*lex prælimin.* an. 1866, a. 48). » Cæterum generatim ex hodierna praxi leges civiles de novo latæ omnes omnium locorum contrarias consuetudines censentur abrogare, in foro saltem externo; etsi de iis non fiat specialis abrogationis mentio. Excipe, nisi agatur de materia commercii, ubi mercatorum stylus et consuetudo prævalent juri communi (C. comm., a. 89).



DISPUTATIO SECUNDA

DE SANCTÆ ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

189. Quamvis plura sint quæ Ecclesia præcipit in Jure canonico, in Conciliis, et passim in aliis Ordinationibus, sex tamen præcipua in Catechismis proponuntur ab universis fidelibus, sub gravi observanda. Quæ his versiculis includuntur:

Festa colas præsens Sacro; Jejunia serves;
Annua sit Confessio; sit Communio Pascha;
Solvantur Decimæ; Vetito ne Tempore nubas (1).

CAPUT PRIMUM.

De primo Ecclesiæ præcepto, seu de auditione Missæ.

190. **Præceptum Missæ.** Omnes fideles rationis usum habentes qui moraliter advertere possunt ad Missam, cujuscunque sint status, ætatis et conditionis, etiam sacerdotes non celebrantes, sub gravi tenentur Missam audire diebus festis. Id probat universalis Ecclesiæ praxis et juris præscriptio.

Ideo tenentur etiam cæci, aut surdi tantummodo; quia Sacrificio moraliter præsentes esse possunt illi *audiendo*, isti *videndo* sacerdotem sacrificantem, vel saltem cum cæteris Missam audien-

(1) De 3 præcepto sermo erit in Tract. de *pœnitentia*. De 4 in Tract. de *Eucharistia*. De 6 erit in Tract. de *Matrimonio*.

Propositio Synodi Pistoriensis (n. 74), quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis, jejuniisve celebrandis, aut inductum Missæ audiendæ præceptum abrogare, *damnata est uti falsa, Conciliorum generalium et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens*. Bulla, *Auctorem fidei*.

Quæ præcepta certum est, per se obligare sub gravi; sunt enim res maximi momenti ac a legitima potestate. *Res maximi momenti,* cum Dei cultum, animæ nostræ salutem, aliorumque jura tueantur, ut patet discurrendo per singula; nihilque in eis sit futile ac inane. Hinc Angelicus, *impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret* (Suppl. q. xxv, a. 2). Et sunt *a legitima potestate,* ab Ecclesia sancta Dei. Hinc illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Iterum: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Et Augustinus: *nec habebit Deum patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem* (De serm. ad catech., c. 13). V. Scavini, l. I, n. 380.

tibus se conjungendo. Idem valet de surdo-mutis, cum videant. Attamen cæci simul et surdi, hoc præcepto non tenentur; quia eorum præsentia non esset nisi pure physica et materialis *(S. Alph.*, l. III, n. 308).

191. **Præsentia ad Missam**. Ad Missæ auditionem talis requiritur præsentia quæ sufficiat, ut quis Sacrificio humano modo interesse, et cum aliis audientibus moraliter conjungi dicatur et habeatur unus ex illis.

Hinc 1) Commune est eum satisfacere, qui Missam audit in choro post altare, vel post parietem sive columnas Ecclesiæ, ex sacrario, vel per fenestram templi (etiamsi sacerdos celebrans non conspiciatur); si per alios advertatur quod fit.

2) Commune est etiam illos satisfacere qui ad breve tempus recedunt ab Ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc., vel ut pulsent campanas; cum hæc ordinentur ad Sacrificium.

3) Satisfacit qui Missam audit ex fenestra domus, licet via interjecta, modo altare aut assistentes videat aut partes Missæ distinguat, et parva sit distantia (id est minor 30 passibus); quia tunc censetur adhuc moraliter præsens.

4) Probabile est etiam satisfacere illum, qui in magna Basilica moratur dum in aliqua capella distantissima fit Sacrum, si potest advertere quid agat sacerdos; quia satis moraliter assistit *(S. Alph.*, l. III, n. 312).

192. **Quomodo Missa audienda**. Ad satisfaciendum præcepto Missa ab uno sacerdote integra et uti actio sacra audienda est.

1. *Ab uno sacerdote.* Hinc Innocentius XI damnavit propositionem: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis sacerdotibus audit.* Quid si audiat non simul, sed successive? Si quis audiat Missam ab uno sacerdote usque ad consecrationem exclusive, et ab altero sacerdote a consecratione usque ad finem, puto probabiliter satisfacere; nam ab uno sacerdote totum ponitur quod primario essentiam sacrificii constituit. Si vero audiat ab uno usque ad consecrationem inclusive, et ab altero usque ad finem, probabilius non satisfacit; nam Ecclesia præcipit auditionem Missæ, quæ sit unum et integrum Sacrificium; sed non dicitur unum sacrificium illa Missa, quæ ab uno sacerdote celebratur usque ad consecrationem, et ab alio usque ad finem.

2. *Integra;* quia ab Ecclesia præcipitur auditio Missæ non quoad Sacrificium tantum, sed quoad totam liturgiam: qui ergo omittit partem notabilem, non satisfacit præcepto. Probabilius

autem non est pars notabilis omittere usque ad initium Evangelii. Imo plures probabiliter dicunt non esse grave omittere ab initio usque ad Offertorium exclusive; modo reliqua Sacrificii pars audiatur usque ad ultimum Evangelium inclusive; nam olim Missa ab Offertorio incipiebat, teste s. Isidoro. Item neque grave est prætermittere omnia, quæ post sacerdotis communionem sequuntur, etsi fuerint omissa, quæ præcedunt Epistolam; cum ea neque ad essentiam pertineant, neque constituant partem liturgiæ notabilem (1).

3. *Uti actio sacra*, nempe necessaria est intentio (non tamen explicita) Missam audiendi uti actionem religiosam, ut sic dici possit actus humanus in ordine ad id quod præcipitur. Hinc qui ex mera curiositate Sacro interesset, non satisfaceret. Dixi: *non tamen explicita*, sufficit enim virtualis, nempe intentio quæ habetur cum quis pergit ad Missam ut eam audiat uti fieri solet a fidelibus, quin expresse hic et nunc illam intendat audire uti rem sacram *(S. Alph.,* l. I, n. 311).

193. *An* (quæres) *præter intentionem ex parte voluntatis requiratur etiam attentio ex parte intellectus in Missa audienda?* R. Attentio est *advertentia ad aliquid:* unde attentio ad Missam est advertentia ad illius auditionem. Duplex est: alia *externa*, quæ in eo consistit, ut qui Sacrum audit non ponat actionem impedientem mentis applicationem ad Missam, seu cum illa applicatione incompossibilem, adeo ut rogatus possit testari quid fiat. Alia est *interna*, qua quis advertit, et animum applicat vel ad verba et actiones sacerdotis, vel ad sensum et mysteria, quæ per actiones et verba significantur, vel saltem ad Deum animum elevat precibus ac pia aliqua meditatione.

194. *Principia*. Certum est, necessariam esse *attentionem externam:* cum illius defectus impediat Missæ attendere humano modo. Hinc non satisfacit qui tempore Missæ scribit, pingit, legit libros profanos; imo etiam sacros, si sint historiarum, et legat vel sola eruditionis vel curiositatis vel studii causa. Item neque qui alia objecta fixe ac cogitabundus considerat, v. g. altaris ornatus, picturas, etc.; neque qui per notabile tempus de re seria confabulatur, ridet, ludit aut dormit etiam involuntarie. Dormitans tamen interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non peccat graviter, modo rationem sibi reddere possit

(1) Qui veniret post consecrationem, reliqua audire tenetur; cum enim possideat præceptum, eo modo quo potest, implendum est *(S. Alph.*, Ho. Ap., *tr.* VI, n. 35).

quod reapse Sacro assistat, etsi vexatus a somno non satis attendat ad significationem.

Quod vero pertinet ad *internam attentionem*, sententia communior, probabilior et suadenda cum Angelico docet ipsam quoque requiri; prout actio tam grandis postulat. Attamen attentio virtualis sufficit, si nempe quis sub initio habuerit intentionem attendendi, et illam expresse non mutet. Imo post factum (recte monet) nemo anxius esse debet ob hujus defectum, quia sufficit habuisse intentionem generalem *(S. Alph.*, l. I, n. 313) (1).

Casus. Lucius Missam de præcepto audivit quidem, sed ex vanitate et curiositate, imo pravis desideriis adhærendo. R. *Satisfecit si vere Missam audire voluerit, et nullum actum cum auditione incompossibilem posuerit; licet peccaverit venialiter per se ratione vanitatis et curiositatis, et graviter ratione pravorum desideriorum; peccatum enim non impedit quin opus præceptum ponatur.* S. Alph.

195. **Resolutiones.** I. Ut dicatur quis præcepto Missæ non satisfecisse, requiritur non solum ut voluntarie se distrahat per notabile tempus, sed etiam ut plene advertat, se distrahi et tamen adhuc in illa evagatione moretur. Si secus esset sexcentis anxietatibus locus foret.

II. Satisfaciunt collectores eleemosynæ, cantores, musici, attollentes folles, etc., si aliquo modo attendere studeant. Quia tales actiones Sacrificio inserviunt, ad Dei cultum referuntur, nec incompossibiles videntur cum attentione sufficienti.

III. Qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat conscientiam discutiendo, ex communi Doctorum Missæ præcepto satisfacit; sicut satifacit qui recitat Horas canonicas debitas.

IV. Quoad illum, qui eo tempore persolvendæ Confessioni per notabile intervallum incumbit, an satisfaciat præcepto Missæ sunt qui affirmant dicentes quod per Confessionem honoratur Deus. At cum communi negandum, quia Confessio sacramentalis suapte natura distrahit pœnitentem ab attentione ad Missam necessario requisita, ut experientia probat. Non sufficit autem quod Confessio ordinetur ad obsequium Dei, nisi etiam id sit cum conditione Missæ compatibili. Alioquin quilibet posset dum audit Missam consulere theologum circa casum suæ conscientiæ *(S. Alphonsus*, l. III, n. 314) (2).

(1) D. Thomas, *in* 4 *Dist.* 15, q. 4, a. 2. Quomodo autem dirigendus scrupulosus quoad Missæ auditionem vide Scavini, lib. IV Append. *De speciali nonnullorum pœnitentium directione.* Notandum: etsi ad Missam non sit necessaria vocalis oratio, nam etiam sine illa assistentia religiosa haberi potest; tamen rudibus maxime suadendum, ut aliquas orationes recitent, v. g. ipsis consuetas, vel rosarium, vel actus fidei, spei, etc. ne distractionibus exponantur.

(2) Excipiunt Lessius et Croix, si agatur de famulis, qui aliter non confiterentur; *tunc enim saltem præsumitur, quod Ecclesia consentiat.*

196. **Locus ad Missæ auditionem.** In qualibet ecclesia Missa ad præcepto satisfaciendum audiri potest, modo non sit Capella seu Oratorium privatum; quia, ut ait Benedictus XIV, contraria consuetudine in toto orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem (1).

Dixi: *modo non sit Capella seu Oratorium privatum;* quia ex Pontificum decretis ibi Missam audientes præcepto non satisfaciunt, nisi sint domini aut eorum conjuncti vel domestici, qui actu habitent in eadem domo eorumque expensis vivant. Imo et pro his omnibus ordinarie excipiuntur principales solemnitates; nisi concessio a Pontifice facta causa infirmitatis (2).

NOTA: Baptismus, Pœnitentia, Matrimonium, Eucharistia (etiam in Missa) in Oratorio privato ministrari nequit sine Ordinarii licentia; ex Benedicto XIV Constit. *Magno.*

197. Non tamen uti privata sunt habenda: 1) Oratoria benedicta et designata ad usus sacros, licet erecta in domibus privatis; si ingressus omnibus pateat a via publica.

2) Oratoria erecta in seminariis, conservatoriis, publicis carceribus, hospitalibus, monasteriis, in ecclesiasticis Congregationibus et domibus religiosorum: sic fert praxis universalis.

3) Oratoria in Palatiis Episcoporum ac Cardinalium. Imo Episcopi possunt celebrare vel celebrare facere, se præsentibus, in omnibus domibus (etiam extra Diœcesim) ubi degunt causa visitationis aut itineris, aut moræ extra Diœcesim a jure vel a Sancta Sede permissæ. Ex Bulla *Apostolici* Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII *(S. Alph.*, l. III, n. 319).

198. **Causæ excusantes a Missa.** Præter legitimi superioris dispensationem, excusat:

I. *Impotentia* tum physica, tum moralis. Ideo excusantur qui gravi morbo laborant, aut a morbo ipso convalescunt, quando prudenter timeant grave damnum. Et si dubitetur, an tale damnum sit satis grave, standum est judicio prudentis. Quod si adhuc

(1) Episcopus non potest pœnis adigere fideles ad Missam et concionem audiendam in parochia; sed ex Tridentino (sess. XXIII) monendus est populus ut frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis et majoribus festis accedat, ut uberius participet de fructu Missæ quæ pro eo applicatur. Adde in ea Vigiliæ, festa per hebdomadam promulgantur, proclamationes fiunt, opportuna monita tribuuntur, et verbum Dei enunciatur.

(2) Merito affirmant teneri dominum uti privilegio Oratorii privati, si aliter non potest in festo adire Ecclesiam publicam, et commode sacerdotem habere potest. Non quidem vi privilegii; quia per se nemo illo tenetur uti. Sed vi præcepti quod obligat ad audiendam Missam omnes qui sine gravi incommodo illam audire possunt *(S. Alph.*, l. III, n. 319; l. VI, n. 359). *De Oratoriis publicis et privatis*, vide Scavini, l. IV, ubi plurima.

dubium perduret, valde probabile est piam matrem Ecclesiam in tali casu non obligare; nam prævalet jus naturale salutis incolumitatem servandi. Excusantur quoque muliones, rhedarii, molitores, si grave damnum subituri sint. Item famuli, uxores quæ ex accessu ad Ecclesiam timerent gravem domini vel mariti indignationem. Item qui notabiliter distant a templo, habita ratione loci, personæ ac temporis. Generatim unius bonæ horæ seu quinque quadrantium iter pedibus agentes excusantur, et etiam minus si esset molestia nivis, imbris vel alia causa satis momentosa; et ideo præstat ut prudenter instruantur fideles, qui hac de causa non raro Sacrum omittunt, sed cum conscientia peccati.

II. *Caritas:* sic excusatur qui nequit Missam audire, quia deserat infirmum in gravi periculo vel anxietate, etiamsi esset alius assistens, sed infirmus putaret hunc minime sibi sufficere. Item excusantur illi, qui aliter non possunt impedire rixas, furta, etc.

III. *Officium:* sic excusantur *milites* si toto fere tempore matutino, militaribus exercitiis occupentur. *Pastores* gregum; *laborantes* in fusoriis, si labor ante festum incœptus interrumpi nequit. *Matres, nutrices* et similes, quæ assistunt pueris, si eos domi relinquere nequeunt sine periculo, et in templo sine aliorum perturbatione continere non valeant (1).

IV. *Consuetudo* legitima. Sic alicubi receptum est, ut ad aliquod tempus excusentur uxores, matres, sorores ob luctum defuncti viri, filiæ, sororis. Item puerperæ, ac mulieres non habentes vestes decentes, vel famulam aut sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, nec summo mane et in ecclesia remota Sacrum audire possunt. Idem dicunt communiter de puella inhoneste prægnante, ratione scandali et infamiæ. Quæ tamen omnes si jam domo exeant, non facile excusandæ — Potest etiam aliquando excusari puella, si una tantum sit Missa, et in ea sint proclamandæ ejus nuptiæ (*S. Alph.*, l. III, n. 326).

Q. *An jactura lucri notabilis extraordinarii et transitorii excuset a Sacro audiendo?* Alii probabiliter negant; sed alii forte magis probabiliter affirmant; et merito, ait Bouvier; ne dicamus legem Ecclesiæ obligare cum magno damno (*S. Alph.*, l. III, nn. 301, 324; et infra n. 763).

Casus. Tibullus paterfamilias in blasphemias erumpit, quoties ejus

(1) Si autem in parœcia plures Missæ celebrantur, et plures sunt custodes parvulorum aut gregis, alii primam audire tenentur, alii vero successivas. Quod si una tantum sit Missa, alterna vice ei interesse curent.

uxor et filii ad Missam audiendam se conferant. Qui ideo dubitant an debeant illam omittere.

R. *Si res non progrediatur ultra verba, nulla esset habenda ratio. Item neque sufficiens est ad dispensandum molestia quam exhibent illorum verborum auditus, secus daretur ansa blasphemantibus ad terrendos, ac cogendos sibi subjectos. Quare pro praxi si uxor et filii non alia gravia damna sustinere cogantur, aut vexationes, hortandi ut eorum religiosa munia adimpleant, non obstantibus illis imprecationibus ac blasphemiis. Aliter res se haberet, si id raro tantum eveniret; tunc enim ex una parte non grave damnum paterentur animæ omittendo uno vel alio festo Missam, ex alia impedirent gravia illa peccata. Hæc resolutio valet pro casibus similibus, uti si paterfamilias hac ratione quæreret, ut eorum subjecti die vetito carnes manducarent, non jejunarent in quadragesima, Sacramenta non susciperent juxta Ecclesiæ præceptum, vel propriam necessitatem, etc.* Frassinetti.

CAPUT SECUNDUM

De secundo Ecclesiæ præcepto seu de abstinentia a carne, et de jejunio.

200. **Abstinentia a carne extra jejunium.** Extat in Ecclesia præceptum generale sub mortali obligans omnes fideles rationis compotes, ad abstinendum certis diebus ab esu carnium. Constat ex variis Pontificum Constitutionibus, ex universali consuetudine et unanimi consensu. Hoc præceptum præter tempus jejunii urget diebus veneris et sabbati cujuslibet hebdomadæ. Excipe si dies isti incidant in Nativitate Domini, vel si alicubi adsit contrarius legitimus usus vel privilegium pro aliquo die (*S. Alph.*, l. III, n. 1030).

201. **Jejunium ecclesiasticum.** Generatim præcipitur:

1) In *Quadragesima* ex Apostolica institutione — 2) In *Quatuor anni Temporibus,* quæ item ab Apostolis initium ducere tradit Eusebius — 3) In *vigiliis* quoad nos Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini — 4) In feriis *quarta* et *sexta Adventus* qui Nativitatem Domini antecedit; idque a Pio VI 27 maji 1786 statutum est pro pluribus festorum vigiliis quæ fuerunt abrogatæ (V. *Angelicus*, 2, 2, q. 147, a. 5).

202. **Principia.** Fideles omnes nisi speciali et legitima causa eximantur, ex Ecclesiæ præcepto tenentur ad jejunandum statutis diebus; et quidem sub gravi, cum sit opus virtutis in suo

genere grave. Hinc damnata est ab Alexandro VII propositio: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.*

Obligat autem: 1) Ad *abstinentiam a carnibus* (idem est de jusculo ex carne); et quandoque etiam ab ovis et lacticiniis. 2) Ad *unicam refectionem;* sed admittitur ex Ecclesiæ indulgentia ac legitima consuetudine, vespertina collatiuncula. 3) Ad *certum refectionis tempus (S. Alph.,* l. III, n. 10).

203. **Abstinentia a carne in die jejunii.** Jejunii diebus sine speciali indulto abstinentia a carne omnibus et qui jejunio non tenentur præscripta est. Ex d. Thoma nomine *carnis* veniunt omnia animalia in terra nascentia et respirantia; non igitur pisces, nempe ranæ, limacæ, cammari, testudines et lutræ; nam ut pisces habentur *(S. Alph.,* l. III, n. 1011).

204. **Laridum et sagimen.** Non est dubitandum, laridum suinum, vel alterius animalis sagimen, ut anserinum *(grasso d'oca)*, veras esse carnes. Ideo iis non licet uti diebus esurialibus, nec die veneris et sabbati, salva superioris facultate, vel legitima consuetudine quæ alicubi viget.

Verum quoad pauperes ac ruriculas nimis dura videtur sententia, quæ eos damnat de mortali, dum licito condimento carentes vel ob illius caritatem, frustulum sagiminis aut laridi adhibent ad epulas temperandas. In hac gravi necessitate probabiliorem censeo sententiam illorum qui laridum solidum vel liquidum *(lardo* o *strutto)* moderate permittunt, nempe semel in die ad pulmenti condimentum. Hoc tamen nonnisi singularibus personis concedendum est, habita ratione necessitatis; et ita a culpa plures liberabuntur, qui larido vel sagimine utuntur cum conscientia peccati (1).

205. **Indultum quoad carnes.** Si in jejunii die ex indulto permittantur carnes, hæc veniunt observanda ex Bulla *Libentissime* Benedicti XIV: 1) Carnes ad jejunium obligatis in unica comestione permittuntur — 2) Tunc nulli licet mandu-

(1) Præstat ut Episcopus ad plura præcavenda peccata hanc facultatem obtineat a S. Sede. Congregatio S. Officii hodie ad annum solet concedere ad jusculum condiendum laridum sive solidum, sive liquidum, nonnullis exceptis diebus, nempe die Cinerum, Quatuor Temporibus, Vigiliis Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis M. Virginis, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. Jesu Christi.

Nomine laridi Romæ intelligitur tota illa caro suina alba quæ potest liquari aut dissolvi. At non liceret uti larido pro obsonio; aliud enim est obsonium, aliud condimentum: primum inservit ad panem manducandum *(companatico);* aliud ad jusculum condiendum *(minestra).*

care pisces una cum carne, etsi ed jejunium non obligato. Quæ permixtio vetita est etiam in Dominicis Quadragesimæ, et aliis jejuniis per annum *(S. Alph.,* l. III, n. 1027).

206. **Prohibitio quoad ova et lacticinia.** Tempore Quadragesimæ prohibentur sub gravi ova et lacticinia, utpotequæ procedunt ab animalibus, nempe lacticinia ex gressilibus et ova ex avibus, ut ait d. Thomas (1). Hinc ab Alexandro VII damnata est propositio: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget* (obligat autem etiam in diebus dominicis Quadragesimæ, cum lex eos non excipiat) (2). Attamen pluribus in locis, si forsan pauci dies excipiantur, viget consuetudo contraria (3). Dispensati autem ad lacticinia censentur dispensati pro ovis; quia hæc habentur ut æquiparata. Dispensati vero ad carnes censentur dispensati etiam ad ova et lacticinia; quia cui conceditur plus conceditur etiam minus *(S. Alph.,* l. III, n. 1007) (4).

Extra tempus Quadragesimæ abstinentia ab ovis et lacticiniis nulla lege generali imponitur. At alicubi adest consuetudo habens vim legis, ut quibusdam diebus hæc abstinentia servetur uti Romæ Quatuor Temporibus *(S. Alph.,* l. III, n. 1009).

(1) *Ecclesia,* ait Angelicus (2, 2, q. 147, a. 8) *illos cibos jejunantibus interdixit qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium; et quæ ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, et ova ex avibus.*

(2) Et congruentius; hoc enim jejunium cæteris solemnius est, *tum* quia observatur ad imitationem Christi, tum quia sic disponimur ad Redemptionis nostræ Mysteria devote recolenda. Ita Angelicus, 2, 2, q. 147, a. 8.

(3) Alicubi hæc consuetudo cohonestatur facultate petita ab Episcopo vel Parocho, qui semper concedunt. Id præstat observari, saltem in signum subjectionis.

Addit Bouvier: *In Diœcesibus, ubi quotannis Episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet, si ex inadvertentia hanc dispensationem concedere negligeret, fideles manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollem; tum quia dispensationem præsumere possent; tum quia consuetudo legis derogans sat firma videtur, ut excuset* a tanto, *si non* a toto, id est a peccato mortali si non a veniali.

(4) In Literis concessionis, quæ ad Ordinarium mittuntur per Congregationem S. Officii, facta nonnullorum dierum reservatione additur: « Si compiacerà di dichiarare il potere avutone dalla S. Sede, inculcare ai suoi diocesani l' esatta osservanza del Quadragesimale digiuno, ed esortarli a compensare l' Indulto medesimo con altre pie opere; fra le quali piacerebbe a S. Santità, che Ella ingiungesse la visita in ogni settimana in qualche Chiesa designata da Lei. » Hanc autem visitationem injungunt Episcopi, et speciales etiam orationes vel eleemosynam; sed an sub gravi, sunt qui affirmant, quia dispensando Episcopi ex delegatione, censentur facere quandam commutationem, et proinde opus subrogatum repræsentat gravem obligationem abstinentiæ; et ita declaravit episcopus Montis-Pessulani 1861. Verum alii cum Gury generatim non agnoscunt hanc rigorosam commutationem; sed probabilius dicendum, Episcopos intendere principaliter dispensare, et accessorie aliquod opus pium in quandam satisfactionem levem imponere, et ita inter cæteros declaravit episcopus Montis-Regalensis 1844, et Viglebanensis 1870.

207. **Jejunii præstantia.** Merito Ecclesia jejunium et abstinentiam præscribit; est enim res bona et ad bonos fines conducit. *Res bona est*, cum illud Deus in veteri Lege præscripserit, ac Christus in nova exemplo suo commendaverit. *Ad fines bonos conducit;* nam 1) utile est ad carnem edomandam, subtrahit enim ligna foco. Hinc illud Pauli: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* — 2) Utile est ad cœlestium contemplationem: sic Moyses 40 dierum jejunio dignatus est colloquio Dei — 3) Utile est ad satisfaciendum Deo et ipsum placandum: hoc modo Ninivitæ, indicto jejunio, Deum placarunt (V. *Scavini, qui id exemplis probat,* l. I, nn. 384 etc).

208. Imo jejunium, prout aliquam mortificationem importat *cadit in communi sub præcepto legis naturæ,* ut ait Angelicus. Cum enim (canente Ecclesia) illud mirifice inserviat hominum bono, et Deus jejunio in nobis *vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur et præmia;* ideo unusquisque ex naturali ratione tenetur tantum jejunio uti, quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus (2, 2, q. 147, a. 3).

209. Opponunt Novatores: *Christus habet:* Quod intrat per os, non coinquinat hominem (Matth. XV); *inutiliter ergo cibi prohibentur. Hinc ipse Dominus ait:* Manducate quæ apponuntur vobis (Luc. X), *nulla facta ciborum vel dierum distinctione. Et Apostolus:* Omne, quod in macello venit, manducate (I Cor. X). *Imo abstinentiam a cibis Paulus expresse damnat dicens:* In novissimis diebus discedent quidam a fide, prohibentes nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit (Tim. IV).

R. Ad 1: Si quod intrat per os, nunquam coinquinat hominem, crapula et ebrietas quæ per os intrant, non coinquinarent. Igitur Christus loquitur de cibo et potu, prout sunt res corporales, quæ de sui natura non possunt animam, quæ spiritualis est, iniquinare: quamvis ratione adjunctæ concupiscentiæ aut inobedientiæ utique valeant maculare animam.

Ad 2: *Manducate quæ apponuntur vobis*, id est cum hospitio vos recipiunt ne quæratis sumptuosos cibos, sed iis, quæ apponuntur, contenti sitis; modo permissi et salutares. Neque enim si venenum apponeretur, ac carnes suillæ tunc prohibitæ, comedi voluit.

Ad 3: Quicquid *in macello venit* Paulus comedi dixit, ut fideles liberaret a sollicitudine inquirendi, utrum carnes illæ essent idolis immolatæ aut non; de hoc enim erat quæstio.

Ad 4: Apostolus eos damnat, qui se temperabant a cibis non ut concupiscentiam refrænarent; sed quia putabant carnes de se immundas esse, et earum creatorem non esse Deum, sed diabolum.

Art. 1. — De unica Refectione.

210. **De unica refectione in die.** En primaria jejunii conditio in qua maxime sita est ejus essentia; qua sublata de jejunio actum esset (1).

211. *Principia.* I. Qui refectionem diutius continuat, jejunii legem frangit; quia Ecclesia unam quidem refectionem permittit, sed uni ex ordinariis respondentem. Probabiliter dicunt illam posse continuari ad duas vel tres horas; verum res est resolvenda ex usu regionum et timoratorum judicio; est enim refectio ordinaria. Non tamen contra jejunium faceret qui nimium comederet, sed tantum contra temperantiam; cum nullibi quantitatem ciborum in una refectione Ecclesia taxaverit (*S. Alph.*, l. III, n. 1020).

II. Qui ex gravi causa unicam refectionem interrumpit, jejunium non violat; quia tunc nova refectio habetur uti prioris complementum. Neque præsumi potest Ecclesiam velle, ut quis semipransus maneat. Sic parocho qui incœpto prandio vocatur ut conferat Sacramenta infirmo in vitæ periculo, licebit post interruptionem, etsi diuturnam, prandium instaurare. Idem de mercatore qui comestionem interrumpit ad merces vendendas, ne subeat damnum. *Gousset.*

Si vero non adsit gravis interrumpendi causa, et interruptio sit notabilis, certum est jejunium graviter violari; quia tunc habentur refectiones multiplicatæ. Quanta autem esse debeat interruptio, non tam facile definitur. Profecto si interruptio duret integro horæ spatio sine gravi causa, consentiunt omnes non posse refectionem resumi (*S. Alph.*, l. III, n. 1020) (2).

III. Materia gravis quoad jejunii violationem juxta Salmanticenses in carnibus est octava pars unciæ, quæ circiter superat nucis avallanæ quantitatem; cum nimium nutriant. Quoad

(1) *Jejunium*, ait Angelicus (2, 2, q. 147 a. 6) *ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrœnandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio per quam homo potest naturæ satisfacere, et tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices.*

(2) Tamburini et Filliucius dicunt si nulla adsit causa non interrumpi prandium per quadrans cum dimidio (viginti duo horæ momenta, *minuti*). Imo Elbel id concedit etiam per semihoram. Cæterum hæc omnia moraliter accipienda sunt. Unde merito probabile est, quod ille qui jam surrexit e mensa animo non amplius comedendi, sine peccato poterit iterum ad comedendum redire, si aliud ferculum apponatur quod ille ignorabat, vel si convivæ adhuc comedant; quia moraliter censetur durare idem prandium (*S. Alph.*, l. III, n. 1020).

cæteros cibos censent materiam non esse notabilem nisi excedat uncias duas. Sunt tamen qui minus requirunt pro ovis et lacticiniis cum carnibus assimilentur *(S. Alph.*, l. III, n. 1029).

IV. Peccat mortaliter contra ecclesiasticum jejunium, qui sæpe in uno die parum cibi sumit, si parvæ illæ cibi portiones coalescunt in aliquid grave in ordine ad refectionem. Hinc Alexander VII damnavit propositionem : *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit (etsi notabilem quantitatem in fine comederit), non frangit jejunium.* Quod non currit de illis qui una vice aliquid sumunt, puta unciam panis, ne viribus deficiant, si prandium v. g. multum differri contingat ultra consuetum, ut evenit religiosis mensæ ministrantibus, lectoribus et famulis. Verum frustulum panis sumere ne potus noceat, vix semel aut bis in die permitti potest.

V. Qui pluries in die jejunii sumit in quantitate notabili carnes aut ova et lacticinia, certum est eum toties peccare, quoties manducat ; præceptum enim abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis est negativum ; ideoque obligat semper et pro semper, id est toto jejunii tempore. Qui vero pluries in die sumit cibos esuriales, nempe tempore jejunii permissos, unum dumtaxat mortale committit; quia jejunii natura in unica comestione consistit ex d. Thoma : ideo semel destructa formaliter ejus essentia, cessat jejunium. Hinc pœnitens si peccavit primo modo, debet explicare quoties id egerit. Non autem in secundo *(S. Alph.,* l. III, n. 1030).

Si quis autem inculpabiliter bis jam in die comederit, an teneatur abstinere a tertia refectione, sunt qui negant : quia essentia jejunii jam destructa est juxta illud : *Semel fractum semper fractum.* Sed aliis probabilius contrarium videtur : nam qui jejunium fregit bis comedendo sine advertentia, et ideo sine culpa, fregit materialiter, sed non formaliter. Unde cum primum advertit, tenetur a formali violatione abstinere *(S. Alph., Ho. Ap.*, tr. XII, n. 2) (1).

212. **Potiones quoad jejunium.** Potiones propriæ dictæ cum ordinentur ad sitim sedandam vel digestionem juvandam, jejunium non frangunt; hinc illud : *Liquidum jejunium non frangit.* Hujusmodi sunt aqua, vinum, cervisia, theum, caffeum, et aliæ simplices potiones etiamsi sint congelatæ, et quamvis olim

(1) Qui causa itineris mane jentaculum sumpsit, si postea non proficiscatur, tenetur jejunare, cum essentia jejunii non sit destructa ; si tamen reliquo die sine difficultate possit servare abstinentiam.

christiani a similibus potionibus abstinuerint; disciplina immutata fuit. Nec obstat quod quis vinum sumat ad sedandam famem; cum ad id ordinatum non sit. Porro *statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum; eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti* (D. Thomas in 4, d. 15, q. 3).

Aliter est de sumptione lactis: habet enim rationem cibi, etsi sorbeatur; cum potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referatur. Imo quoad lac et potiones lacte mixtas adest expressa prohibitio Clementis XIII, Bulla *Appetente* (1).

213. **Electuaria quoad jejunium.** Electuaria quæ confecta sunt ex electis rebus, v. g. ex sacharo et cedro, cerasis, malis citrinis, juniperis, ribesiis, moris, etc. (vulgo *conserve)*, sumpta prout sunt, sunt de genere ciborum et suapte natura nutriunt corpus; atque ideo si extra refectionem sumantur in magna quantitate, graviter jejunium lædunt (2). Esset autem tantum veniale illa sumere in modica quantitate; a quo etiam excusaret quælibet causa rationabilis, v. g. si sumantur ad ciborum digestionem, ad stomachum confortandum, oris fœtorem tollendum, vocem conservandam, etc.

Quod si electuaria sint multum aqua diluta ut in usu est, tunc veniunt nomine potionum *(S. Alph.,* l. III, n. 1019) (3).

214. *Chocolates* quoad jejunium. Si non sit aqua dilutus, certe frangit jejunium, graviter vel leviter pro quantitate; quia cibus est et per modum cibi sumitur, uti dulciola.

Si vero cum aqua mixtus, dilutus ac coctus sorbeatur, docent alii illum adhuc jejunium frangere; quia semper habet rationem cibi ad instar lactis et jusculi. Alii tamen probabilius negant, modo non sumatur instar densæ pultis et in magna quantitate. Pro ratione proferunt universalem consuetudinem (saltem extra Galliam), quæ negari non potest. Huic sententiæ (cui subscribo) favet Benedictus XIV *(Notific.* XV), modo suma-

(1) Quod tamen non videtur extendendum ad *serum* lactis proprie dictum, nempe ultima operatione obtentum; cum habeatur uti simplex potio. Neque amplius sit lac, sed aqua ex lacte.

(2) Idem de dulciolis *(confetti, caramelle)* quæ habent rationem cibi. Item peccat graviter eadem ratione qui in magna quantitate manducat poma, pira, uvas etiam confectas (vulgo *zibeb)*, popones *(melloni)*, mala citrina *(cedroni, aranci)*, etsi solum succus exprimatur *(S. Alph.*, l. III, nn. 1019, 1021).

(3) Huc facit illud Angelici: *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum; unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio* (2, 2, q. 147, a. 6).

tur semel tantum in die, et quoad quantitatem attendatur consuetudo recepta apud viros probatos, ut nempe uncia una cum dimidia in cyatho ordinario immittatur (*S. Alph.*, l. III, n. 1023).

Ad dubium: *An permitti possit, ut mane diebus jejunii in parva quantitate sumatur caffeum aut chocolates cum frustulo panis, ut fit in regione Canadensi?* S. Pœnitentiaria die 21 novembris anno 1845 respondit: *Eos qui talem usum sequuntur, non inquietandos.*

215. *An* (quæres) *liceat cauponi in die jejunii omnibus indiscriminatim petentibus præbere cibos et carnes?*

R. Sunt qui absolute negant; quia esset concurrere ad malum eorum qui jejunio tenentur. Sed probabilius mihi videtur affirmandum cum theologis satis communiter, etiamsi caupo certo sciat, personas cauponam ingredientes carere dispensatione; si tamen grave damnum timeat, habita ratione loci, ac petentium; et modo non fiat in formalem religionis contemptum. Nam ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille paratus est committere occasione a nobis præstita, sufficit gravis causa, quæ deobliget a præcepto caritatis. Billuart id confirmat illis Angelici verbis: *Licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam qua abuteretur non subtrahere, sed præbere, scilicet pro aliquo incommodo vitando.* Attamen non ita facile excusandus est caupo oppiduli, hac ratione quasi urgeat periculum diminutionis concurrentium; siquidem apud caupones similium locorum sacrum est, ut cibi vetiti nulli apponantur.

Opinamur, ait Gousset, eos etiam posse absolvi qui in mensa communi *(tavola rotonda)* diebus esurialibus carnes apponunt, si tamen sufficientem quoque quantitatem ciborum licitorum ministrent pro illis qui abstinentiam servant. Excusabiles enim sunt, cum experientia sciant plures esse qui interdictis epulis vesci volunt (*S. Alph.*, l. III, n. 1030).

Art. 2. — De Hora refectionis et Collatiuncula.

216. **Hora refectionis.** Refectio nostris temporibus ex universali consuetudine licite sumitur sub meridie (olim sumebatur sub vesperas). Hæc hora juxta alios non pertinet ad jejunii substantiam; sed id minime probabile censeo. Hora enim refectionis ita obligat, ut qui eam anticipat notabiliter sine causa satis gravi, mortaliter peccet; et jejunium violet. Probatur tum ex jure canonico juxta quod anticipantes *nullatenus*

jejunare credendi sunt; tum ex Angelico, qui ait: *Qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit;* tum ex ratione: cum hora multum pertineat ad rationem abstinentiæ (*S. Alphon., Ho. Ap.*, tr. XII, n. 21).

Dixi: 1) *Qui anticipat;* non enim peccaret posticipando refectionem; imo magis accederet ad antiquam consuetudinem, quæ ad jejunii finem melius conducit — 2) *Notabiliter;* etenim, ut ait idem Angelicus, *ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem.* Communiter censent gravem esse anticipationem unius integræ horæ — 3) *Sine causa;* causa enim facit licitum quod aliunde illicitum esset. Quæ causa debet esse satis gravis cum res sit de præcepto gravi, ut esset necessitas prædicandi, iter incipiendi, urgentis negotii concludendi, etc.

217. **Collatiuncula**. Circa illam, quam legitimam esse probat ubique locorum inducta consuetudo, notanda:

1. Hora sumendi refectiunculam ea videtur esse, qua jejunans solebat sumere cœnam, id est sub vesperam. Sumere tamen collatiunculam mane, et refectionem sub vesperas non excedit veniale ex communi sententia; quia non violatur substantia jejunii. A veniali autem excusat quælibet rationabilis causa, iter, officium, negotium, studium. Imo Gury merito addit: *Excusat etiam a veniali..... loci, aut conditionis consuetudo,* quæ hodie passim obtinet maxime apud mercatores et illos qui ad publicum munus intendunt.

2. Ad *quantitatem* ciborum quod attinet, octo unciæ hodie indiscriminatim habentur permissæ. Imo receptum est, excessum duarum unciarum (et ideo in totum decem uncias) esse materiam levem. Addit Gousset licere generatim sumere quantum quis prudenter judicat necessarium ne impediatur a propriis implendis officiis. Item habenda est ratio locorum quæ abundantiorem cibum exigunt, ut est Germanica regio (1).

3. Quoad ciborum *qualitatem* certum est excludi carnes, ova et lacticinia (2). Item dulciaria ovis confecta; nam ovorum sub-

(1) In Vigilia Nativitatis communiter admittitur collatiuncula duplo major ratione solemnitatis; advertit tamen Sanchez contra alios non posse excedere octo uncias, si collatiuncula fiat mane; quia festivitas incipit tantum a Vesperis. Ratione consuetudinis item duplicatam concedunt collatiunculam in Sabbato, si Nativitas incidat feria secunda. *Salmanticenses* (S. Alph., *Op. Mor.*, l. III, n. 1025).

(2) In montanis regionibus licet sero sumere parum casei vel ex consuetudine legitima vel ex privilegio. Non autem quia in refectione permissa sunt lacticinia, ideo licet in collatiuncula sumere caseum, ut aperte declaravit S. Pœnitentiaria sub Benedicto XIV.

stantia non deperditur, eo quod farina misceatur. Cibi autem hodie universim permissi sunt panis, olera, poma, pyra, ficus, uvæ, nuces, castaneæ, amygdalæ, mel, etc. Imo ex hodierna consuetudine etiam pisces sumi possunt, etsi recentes et magni, in parva tamen quantitate: quod vel in ipsis communitatibus religiosis passim obtinet.

Cæterum quoad collatiunculam observanda est maxime piorum doctorumque praxis: usus enim qui hanc cœnulam induxit, illam quoque moderatur *(S. Alph.,* l. III, n. 1025).

218. Ex hodierna disciplina licet in collatiuncula sumere panem cum aqua et oleo decoctum (vulgo *panata, pancotto).* Tunc tamen sumi non possunt octo panis unciæ in cœnula permissæ, sed tantum quatuor circiter, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua et oleo aliam naturam adquirit, et quid unum efficitur majoris ponderis et substantiæ: unde totum simul est ponderandum. Quod dictum est de pane decocto, idem est dicendum de aliis decoctionibus, v. g. ex hordeo, oryza. Idem de leguminibus coctis, quæ tamen cum minoris sint nutrimenti, majorem admittunt quantitatem.

Censeo autem posse permitti, ut quis actu quo se reficit, infusum panem in aqua aut vino statim ori admoveat: quia tunc non intervenit fermentatio *(S. Alph.,* l. III, 1029).

Art. 3. — De Causis a jejunio excusantibus.

219. Ab ecclesiastico jejunio excusant: 1) Superioris *dispensatio,* 2) *Impotentia,* 3) *Pietas* (S. Alph., l. III, n. 1031).

220. **Dispensatio a jejunio.** Possunt dispensare:

I. Summus Pontifex in Ecclesia universa, et quidem valide, etsi non adsit causa: cum dispenset in lege sua.

II. Episcopus in sua Diœcesi, sed cum causa, cum suis subditis in particulari (non universim pro tota nempe diœcesi) et transeunter potest dispensare, etsi agatur de solo esu carnium. Sic enim in jure limitatur ejus facultas (1).

III. Parochus ex recepta consuetudine potest cum suis parochianis in particulari seu individuatim dispensare (et valde probabiliter vel ipso præsente Episcopo). Hoc autem evenit quando non satis apparet utrum subditus in aliquo casu sufficientia rationum momenta habeat ad jejunium non servandum vel carnes comedendas. Idque possunt etiam vicarii parochorum qui

(1) Si jejunium caderet in Festum Patroni, recurrendum ad S. R. Congregationem, quæ quidem in casibus particularibus concedit arbitrio Episcopi, ut jejunium anticipetur in diebus non tantum Patroni universalis, sed Titularis et Patroni loci, et etiam nundinarum (S. R. C. 7. sept. 1816). Ita in Papiensi, Mediolanensi, Cremonensi, Derthonensi; 27 junii 1644; 21 julii 1675; 3 dec. 1672; 2 apr. 1677.

exercent jurisdictionem parochialem etsi subordinate, neque parocho expresse repugnante. Hoc etiam videtur concedendum confessario quoad suum pœnitentem, cum judex et doctor in tribunali Pœnitentiæ sedeat.

Medici tamen non habent ut dispensent et vere et proprie, cum nulla potestate in spiritualibus gaudeant; sed illorum est tantum declarare in conscientia an adsit sufficiens causa non jejunandi, vel carnes comedendi (*Scavini*, l. I, n. 396; *S. Alph.*, l. III, n. 1032).

221. **Impotentia**. Ratione impotentiæ excusantur a jejunio:

I. *Infirmi*, quibus jejunium graviter obesse potest, et proinde illis etiam carnes sunt permissæ. Vel ita *debiles*, qui uno prandio male se haberent, uti convalescentes. Vel si cibos licitos digerere nequeant: qua tamen in re cavenda hallucinatio, nec leve quodvis incommodum attendi debet; cum jejunium non ad solatium, sed ad mortificationem inductum sit. Item si ex errore domi paratæ sint in die jejunii dapes prohibitæ, nefas est illas comedere; nam satis suppleri potest per alias permissas, neque id reputatur incommodum grave adeo, ut liberet a tam gravi Ecclesiæ præcepto.

II. *Mulieres* prægnantes et nutrices: quibus permittitur etiam esus carnium si sint graciliores; imo etiam si sint robustæ, addit Gousset, si nempe talem experiantur appetentiam, cui sine gravi discrimine obsistere nequeunt; sed amoto scandalo (1).

III. *Uxores*, quibus a maritis jejunium interdicitur (nisi interdicatur in contemptum Religionis vel Ecclesiæ), et quæ jejunando paterentur gravem maritorum indignationem. Item *mariti*, qui jejunantes nequeunt debitum conjugale uxoribus solvere, ut merito docent cum Concina. Nam præceptum naturale justitiæ reddendi debitum, prævalet jejunandi (2).

IV. *Pauperes*, qui non habent cibos sufficientes ad se reficiendum pro tota die; illi maxime, *qui frustatim eleemosynam mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat;* d. Thomas. Item valde probabiliter non tenetur ad unicam refectionem qui non habet nisi panem et legumina.

V. *Milites,* sive in castris, sive in hospitiis, etiam tempore

(1) Sunt prægnantes quæ carnes manducant ob has insuperabiles appetentias, sed cum conscientia erronea; quas porro oportet instruere in hoc nullum adesse peccatum; curent tamen privatim manducare, ne alii scandalum patiantur.

(2) Aliter esset: 1) Si conjux redderetur tantum minus potens ad reddendum; quia non teneretur cum spirituali jactura *illud plus* curare. 2) Si tantum redderetur impotens ad petendum, petere enim non est necessitatis: excipe nisi teneretur petere, v. g. ad vitandum incontinentiæ periculum (*S. Alph.*, l. III, n. 1034).

pacis. Tum quia statis horis non possunt comedere; tum quia congruum non habent cibum pro jejunio; adde consuetudinem. Imo solent dispensari a carnibus, nonnullis diebus exceptis.

VI. *Adolescentes* usque ad annum vigesimum primum completum; nam ipsi crebriori indigent alimento, tum ad incrementum naturæ, tum ad virium robur. Idque ex consuetudine universali: quod locum habet, etsi aliquis adolescens esset robustus; quia hic attenditur quod ordinarie contingit *(D. Thomas*, 2-2, q. 147, a. 3) (1).

VII. *Senes*, qui ob virium imbecillitatem sine gravi incommodo jejunare nequeunt. Quod communiter admittunt etiam in dubio de validitate virium; quia præsumptio stat pro imbecillitate in tali ætate. Quoad illos vero, qui sunt certe robusti, utrum excusentur, alii negant; nam tunc non reputantur uti senes. Sed rationabiliter multi affirmant cum Roncaglia quoad illos qui 60[m] annum habent, etsi nondum completum (nam in favorabilibus annus incœptus habetur pro completo). Idque tum ex universali consuetudine: tum quia (et hæc est ratio potior) hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel in die alimentum sufficiens sumere. Et ea ætate homo decrescit; et si quod est salutis robur, apparens potius est, ut docet Galenus *(S. Alph.*, l. III, n. 1036; *Scavini, l.* I, n. 398) (2).

VIII. Qui exercent *opera admodum laboriosa*, etsi robusti sint; nam in praxi vix reperitur qui ex tali labore non graviter relaxetur. Neque refert si uno vel altero die labores intermittant; nam necesse habent vires reficere ad proximos labores sustinendos *(S. Alph.*, l. III, n. 1042).

Commune autem est excusari a jejunio artifices divites, qui alioquin sine gravi detrimento jejunii diebus a labore cessare possunt; nam interest reipublicæ, ne operarii quicunque sint intermittant exercere artes quibus ex officio suo incumbunt. Idque neque mens

(1) Qui 21 annum meridie complet, ex illa hora jejunio probabilius tenetur: nam præceptum obligat statim ac tempus obligationis advenit; et formaliter jejunium nondum fuit violatum *(S. Alph.*, l. III, n. 1035).

(2) Concludendum cum Pasqualigo: *Sicuti adolescentes quantumvis fortes excusantur a jejunio, quia eorum ætas est in incremento: ita etiam senes licet robusti excusabuntur, quia dum agunt annum sexagesimum, eorum ætas est in decremento* (Decis. 256, n. 7).

An fœminæ quinquagenariæ liberentur a jejunio affirmant Escobar, Pellizarius, Ballerini et alii: quia in fœminis antecedit senectus. Sed Layman, Croix, Elbel, etc., negant, excepto casu specialis debilitatis: quia experientia constat quod fœminæ, aliis præclusis, sine detrimento facilius jejunant, cum minori indigeant cibo. Primam sententiam non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere, dum video illam a pluribus ex benignioribus omnino rejectam *(S. Alph.*, l. III, n. 1037; et *Scavini,* l. I, n. 399).

est Ecclesiæ ut fideles ob jejunium ab ordinariis eorum occupationibus impediantur. Idque dicunt constare ex declaratione Eugenii IV (*S. Alphon.*, l. III, n. 1042).

222. Cæterum labor ut excuset debet esse talis, ut sine notabili corporis defatigatione exerceri nequeat. Hinc communiter excusantur *fossores, agricolæ, lapicidæ, figuli, textores lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ, remigantes, fabri-lignarii, ferrarii, murarii* et similes laborantes per majorem diei partem. Item *sutores, furnarii, pistores, coqui* dapes compluribus præparantes, si per totum fere diem laborare cogantur. Item *typographi* prælum versantes (non tamen typos componentes, nisi experiantur magnam defatigationem). Item *famuli* et *famulæ*, si tota fere die magnis incumbant laboribus.

Non tamen excusantur *ancillæ* lanam, vel linum fuso torquentes, aut similia exercentes. Neque *barbitonsores, sartores, pictores, notarii, molitores, architecti* et *sculptores*, nisi in casu speciali ob virium debilitatem vel ob laborem extraordinarium; cum per se tales artes non includant notabilem corporis defatigationem. Hinc hæc propositio ab Alexandro VII merito damnata est, utpote nimis generalis: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum die jejunii (S. Alph.*, l. III, n. 1044).

223. Quoad *itinerantes.* Iter suscipientes cum causa a jejunio excusantur, si graviter defatigentur, habita ratione temporis, personarum et itineris. Sic excusantur qui jugiter per diem inserviunt, v. g. ambulantes ad emendum, ad comitandum, ad literas ferendas. Qui vero iter agunt curru vel equo, ordinarie a jejunio non excusantur; et Alexander VII damnavit propositionem: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.* Excipe si iter sit arduum et extraordinarium, tempus asperum, æquitans debilis; tunc dici non potest *iter utcumque agi (S. Alph.*, l. III, n. 1047).

Attamen *si peregrinatio commode differri possit,* ait Angelicus, *non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda* (In 4, dis. 15, q. 3). Si tamen incœpto itinere, jejunii dies intercurrit, commune est cum Laymano, Sporer, Sanchez, minime itinerantem teneri ab itinere desistere, ut jejunet; ex rationabili epikea et benigno Ecclesiæ sensu.

224. **Pietas excusans a jejunio.** Excusantur qui præstant aliquod pietatis opus jejunio præstantius et Deo gratius; inferius bonum bono superiori tunc cedere debet. Ejus generis sunt opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia, et opera religionis, etiamsi sponte suscepta, ut docet d. Thomas (1). Hoc tamen intellige, si opera præstantiora differri commode nequeant. Secus valet adagium: *Unum facere, aliud non omittere.*

Hinc resolve: I. A jejunio excusantur *concionatores,* qui quotidie, vel fere quotidie in Quadragesima concionem habent; nam actio sic concionandi est valde laboriosa. Idque valet quamvis concio fiat cum lucro; est enim justum stipendium laboris, neque ideo impeditur utilitas audientium. An vero idem dicendum sit de illis, qui ter vel quater in hebdomada concionantur, v. g. in missionibus, pendet a majori vel minori defatigatione.

II. *Cantores* sive musici, qui jejunium observando vocem amitterent, nec possent rite proprium officium exercere.

III. *Lectores* scientiarum qui magno labore et studio indigent; non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et sæpius repetitas. Item *scholares* qui alioquin nequeunt suo officio incumbere. Palaus autem cum aliis ait, *magistros grammaticæ* qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare in Quadragesima plusquam tribus diebus per hebdomadam.

IV. *Advocati, judices* qui indigent magno studio. Item *medici, hospitalibus servientes* et *confessarii,* si tamen nequeant jejunare ob extraordinarium laborem, et complexionis debilitatem, sine gravi salutis detrimento.

225. Nonnulla notanda: 1) Ubi labor ex communi doctorum per se excusat, ut est labor artificum qui fit cum magna corporis defatigatione, in dubio præsumptio stat pro exemptione a jejunio. At ubi labor nonnisi per accidens excusat, præsumptio in dubio stat pro obligatione, ut si res esset de prædictis, nempe professoribus, cantoribus, advocatis, judicibus, medicis, hospitali servientibus, confessariis, cantoribus, lectoribus, magistris, studiosis ac concionatoribus.

2) Qui dubitat num possit sine gravi incommodo jejunare poterit jejunio eximi utriusque medici consilio ex Benedicto XIV Const. *Non ambigimus;* vel alterius si alter desit, vel boni cujusque viri, si desit uterque. Cæterum ex inducta consuetudine hodie fideles alicubi solius confessarii medici videlicet spiritualis, alicubi solius medici sæcularis contenti sunt, qui non sunt inquietandi (*Scavini,* l. I, n. 397).

3) Qui non habent causam sufficientem ut excusentur a quadragesimali jejunio, tamen putant bona fide se præcepto satisfacere bis

(1) Rationem addit idem Angelicus, 2, 2, q. 147, a 4: *Non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas.* Quæ animadversio loquendo generatim de causis a jejunio excusantibus haberi potest loco principii. *Cretoni.*

vel ter in hebdomada jejunando, reliquendi sunt in sua bona fide. ne forte omnia jejunia culpabiliter omittant *(S. Alph.*, l. III, n. 1049).

226. *Casus.* In quodam Collegio feria sexta præbetur alumnis pulmentum *(minestra, zuppa)* carnis jusculo conditum; et singulis sabbatis etiam carnes edendæ. Unus ex convictoribus renuens huic mori sese accommodare, interrogat suum Directorem — R. *Confessarius illi convictori respondeat ut Collegii præfecto maximam suam displicentiam demonstret volens uti catholicus Ecclesiæ catholicæ leges observare. Si id non proficiat ad parentes se convertat, ut a tali domo eum liberent, et iterum iterumque instet. Si nil obtineat, ei suadeat ut sit contentus cibis permissis tantum uti; at si opponat insufficientiam, ne utatur confessarius nimio rigore; sed tunc potest ille juvenis etiam carnibus vesci utpote in necessitate constitutus; at semper suam displicentiam reiteret, ne videatur consentire.* Diar. *Il Buon Pastore.*

APPENDIX

227. **Apostolicæ Sedis responsa circa jejunium** (1).

I. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam* X *et* XI *matutinam, prandium vero differendo ad* IV, *vel* V *horam vespertinam?*

S. Pœnitentiaria 19 jan. 1834 respondendum censuit: *Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua extet causa, pœnitentes qui hoc more utuntur non esse inquietandos.*

II. Ad Quæsitum: *Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiæ quoad carnes dispensatus, dispensationem ad omnes familiæ personas indiscriminatim extendere possint?*

S. Pœnitentiaria respondendum censuit: *Infirmitatem et aliud quodcunque rationale impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum impendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus.*

III. Ad Quæsitum: *Utrum cum paterfamilias a lege abstinentiæ quoad carnes tempore Quadragesimæ dispensatus, non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes parare, ejus filii aut familiares carnes edere possint?*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834 respondendum censuit: *Posse personis quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis; adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis*

(1) Hæc responsa præcipue a S. Pœnitentiaria data sunt; v. Opusculum Righetti, *Del Digiuno e della Quaresima*, et *Acta S. Sedis*. Quanti autem ea facienda sint vel ex eo liquet quod Benedictus XIV, Encyclica *Libentissime* mentionem faciens de quæstionibus quæ super jejunio proponebantur, habet: *Sacro Tribunali Nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene cumulateque, quoties opus fuerit, satisfecit.*

epulis, et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur (1).

IV. Q. 1. An supradicta resolutio valeat ubique terrarum ? 2. Dum dicitur *permitti posse*, petitur a quo ista permissio danda sit; et an sufficiat permissio data a simplici confessario?

S. Pœnitentiaria 27 maji 1863 respondit : *Ad primum affirmative; ad secundum sufficere permissionem factam a simplici confessario.*

V. An vi responsionis S. Pœnitentiariæ sic conceptæ : *Personis quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis*, etc., dispensato patrefamilias, intelligi debeant dispensati etiam cæteri ejusdem familiæ ?

Sacra Pœnitentiaria nunquam declaravit dispensationes concessas capitifamilias extendi ad totam familiam; sed tantum dedit directiones pro confessariis in actu practico circa eos qui sub potestate sunt, et debent vesci cibis a parentibus datis.

VI. An ratio, propterquam filiifamilias uti possunt cibis vetitis a patrefamilias exhibitis, sit eorum impotentia physica sive moralis observandi præceptum; seu potius indultum quo gaudet paterfamilias ?

Ratio permissionis, de qua in quæsitu, non est indultum patrisfamilias; sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi præceptum.

VII. Possuntne filiifamilias edere carnes tempore vetito, præsupposita ejusmodi facultate in ipsis parentibus vel in horum uno; et in casu affirmativo possuntne filii edere carnes sine offensione conscientiæ, cum non reperiantur in circumstantia duo prandia parandi?

Responsum est 20 apr. 1865: *Negative, loquendo speculative; practice vero confessarius dijudicare tenetur.*

VIII. Ad Quæsitum : *Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimæ, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, non secus ac in dominicis diebus ejusdem Quadragesimæ, in quibus non urget obligatio jejunii?*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1824, de mandato felicis recordationis Pii Papæ VII respondit: *Fideles qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima cum indultum concessum est, omnibus diebus in indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt* (2).

(1) Certum est (ait Righetti) quod conditio filiorum prorsus diversa est quoad præsentem casum a conditione famulorum, qui ordinarie loquendo non tam grave paterentur damnum si cibos a patrefamilias præstitos non comederent : ideo dicendum S. Pœnitentiariam solum filios comprehendisse in sua responsione. Verum est quod etiam de servis quæstio fit; sed responsio clare illos non nominat : quod si isti quoque sint intelligendi sub verbis *personis quæ sunt in potestate patrisfamilias*, restat videndum quomodo fuerit præcise casus expositus; nam potuerunt speciales circumstantiæ intervenire, quæ determinarent S. Pœnitentiariam ad æquiparandos servos ipsis filiis (ut si alium dominum sine gravi incommodo nequiverint invenire). *Scavini*, l. I, n. 392.

(2) Hæc tamen resolutio non applicatur pro regnis Belgii et Hollandiæ, quorum Episcopi ex Apostolica indulgentia dispensant, ut feria 2ª, 3ª et 5ª temporis Quadragesimæ fideles semel in die vescantur carnibus; illud *semel* est in rigore tenore ejus particularis Indulti. Ita S. Pœnitentiaria 27 maji 1863.

IX. An iis qui jejunare non tenentur ratione ætatis vel laboris æquiparandi sint qui ratione infirmæ valetudinis a jejunio excusantur, adeo ut illis quoque pluries in die vesci carnibus liceat?

S. Pœnitentiaria 27 junii 1863 declaravit: *Non licere* (1).

X. Ad Quæsitum: *Utrum ii, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur?*

S. Officii Congr. 23 junii 1875 ad dubium: *An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat qui ad unicam comestionem non tenentur, uti juvenes antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel laborem,* decrevit: *Omnes lex respicit, et obligat.*

XI. Ad Quæsitum: *Utrum dispensati ab esu carnium diebus veneris et sabbati per annum in quibus non urget obligatio jejunii, piscibus simul et carnibus promiscue uti possint?*

S. Pœnitentiaria 15 febr. 1834, proposito dubio diligenter perpenso factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis Suæ mandato respondit: *Permitti.*

XII. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii tempore Àdventus a Pio VI præscriptis, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium?*

S. Pœnitentiaria 8 jan. 1834, respondit: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem* (2).

XIII. Ad Quæsitum: *Utrum lege vetitæ permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo* salumi, *idest* acciughe, mosciame, caviale, aringa, tarantella, *aliaque his similia); vel an potius misceri possint ad instar nempe condimenti alterius ferculi?*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834, respondit: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

XIV. Ad Quæsitum: *Utrum tempore jejunii cui licitus est esus carnium, liceat miscere testacea marina, quæ improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur (idest* ostriche, telline, patelle, canolicchi, cappe, granchi, *etc.).*

S. Pœnitentiaria 16 januarii 1834, respondit: *Testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur*

(1) Rationem disparitatis aperit Card. Præfectus Congr. de Propaganda fide: « Si è che quelli possono usare dei cibi in forza soltanto dell'Indulto, il quale può subire minori o maggiori limitazioni; mentre gli infermi possono usare dei cibi vietati secondo lo stato della loro salute, ed il giudizio del medico. Così p. es. in alcuni giorni l'Indulto potrebbe non permettere il condimento grasso, ed in tal caso chi è dispensato dal digiuno per ragione d'età o di fatica deve astenersi dal condimento anzidetto; ma l'infermo anche nei giorni eccettuati può mangiar di grasso, se così esige lo stato di sua salute. » (V. *Archivio dell'ecclesiastico di Firenze,* t. III; *Il Monitore ecclesiastico di Cassano al Fonio e Policastro-Bussentino,* t. I, pag. 403).

(2) Idem est, si propter periculum morbi contagiosi usus carnium permittitur; ita expresse card. Marozzo episcopus Novariensis in sua *Notificatione* 15 sept., anno 1836, morbo *cholera* grassante. V. *Il Buon Pastore;* Lodi, t. I, p. 80.

(animali o pesci di mare col guscio), *vetari miscere cum carnibus quoties carnis et piscium mixtio vetita sit* (1).

XV. Ad Quæsitum: *Utrum dispensati quoad carnes, possint diebus jejunii valetudinis causa vesci solo jusculo carnium* (minestra); *et de cætero cibos esuriales edere ad legem abstinentiæ quoad fieri potest servandam?*

S. Pœnitentiaria die 8 februarii anno 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

XVI. Ad Quæsitum: *Utrum tempore jejunii liceat mixtio carnis cum leguminibus?*

S. Pœnitentiaria respondit: *Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est.*

XVII. Ad Quæsitum: *An dispensati quoad carnes in die jejunii, si solis utantur lacticiniis, possint pro condimento uti larido (vulgo* strutto) ?

S. Pœnitentiaria 8 februarii anno 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

XVIII. Ad Quæsitum: *Utrum, quum sive per Bullam* Cruciatæ, *sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo* strutto) *solo titulo condimenti, ii qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione?*

S. Pœnitentiaria 16 jan. 1834, de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo respondit: *Quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa vi indulti olei locum tenent; dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea adhiberi possint in unica comestione* (2).

XIX. An in comestione condimentorum (vulgo *di grasso)* intelligatur concessus usus condimenti ex adipe cujuscunque animalis?

S. Pœnitentiaria respondit: *Utendum tantum condimento suino.*

XX. An in diebus veneris et sabbati, quibus indulgentur condimenta (vulgo *di grasso),* possit jusculum carnis adhiberi?

S. Pœnitentiaria respondit: *Sub terminis* condimenti di grasso, *non comprehendi jusculum carnis coctæ.*

XXI. Ad dubium: *Utrum avis aquatilis, cui nomen fulica (vulgo* folaga) *inter pisces computanda sit, illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitæ sunt carnes? Religiosi Ordinis Minorum S. Francisci a Paula, quibus carnes omnino interdictæ sunt, ad*

(1) Nec vesci potest cum carne locusta (piscis marinus crusta fragili obtectus, qui vivit petrosis locis). Item nec castor, fiber, lutra: nam omnes pisces sunt. Nec cammari, ranæ *(granchi, ranocchie)*; nec cancri *(gamberi)*, nec testudines, limacæ, conchæ, etc. omnes veri pisces *(Piscium laudatio apud Scavini*, l. I, n. 388).

(2) Bulla *Cruciata*, quæ est indultum pontificium quod multa privilegia et gratias continet tum quoad cibos in jejuniis, tum quoad condonationem nonnullorum debitorum, tum quoad indulgentias, etc. primitus data fuit ab Urbano II, anno 1166 iis qui operam dabant ad expugnandos infideles in expeditione Terræ Sanctæ. Illa concessionis ratio cessavit, at in regno Siciliarum et Hispaniæ adhuc viget pro iis qui certas eleemosynas elargiuntur in pias causas impendendas. Quæ obtinet in Sicilia lucide exponitur in Lit. pastorali cl. Episcopi Calatanisiaden. 31 dec. 1873; quæ vero in Hispania obtinet absolutissimis commentariis donatur a cl. Josepho Morgades et Gili Ecclesiæ cathedralis Barcinonensis Can. Pœnitentiario, ut videre est in fine hujusce nostri Compendii Barcinonæ editi 1877, debita cum permissione.

tollendam perplexitatem, qua eorum conscientiæ hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio VII, ut sibi concederetur posse libere uti *eo cibo.*

Quibus per *S. Congregationem Regularis Disciplinæ* 22 febr. 1804 *Sanctissimus, veris existentibus narratis, benigne annuit* PRO GRATIA *juxta petita, Constitutionibus Ordinis aliisque omnibus non obstantibus* (1).

228. Episcopi Belgii expostularunt dispensationem in jejunio vigiliæ solemnitatis ss. Apostolorum Petri et Pauli. Quæ autem prædictos Episcopos ad id supplicandum impellit ratio, in eo est, quod fideles sibi commissos ad hoc jejunium servandum inducere difficulter possunt: quod inde maxime evenit quod jejunii istius obligatio in Belgio et Gallia in dubium vocetur; imo aliqui Galliæ Episcopi negant obligare, uti Bouvier.

S. Officii C. 25 maji 1853 rescribi mandavit: *Jejunium in pervigilio Festivitatis ss. Apostolorum esse servandum.*

CAPUT TERTIUM

De quinto Ecclesiæ Præcepto seu de Decimis.

229. **Decimæ.** Sunt fructus qui Ecclesiæ ministris solvuntur pro eorum sustentatione. Aliæ sunt *prædiales* si percipiantur ex fundis, et sunt parochi in cujus territorio prædia sita sunt. Aliæ *personales* si percipiantur ex rebus quas quis sua industria acquirit; et sunt parochi a quo Sacramenta recipiuntur, et ideo dicuntur etiam *sacramentales.*

230. **Principia.** Decimæ debitæ sunt tum ex religione in signum universalis Dei dominii; tum ex justitia, *qui* enim *altari inserviunt, de altari vivere debent.* Sunt autem solvendæ ex fructibus integris, non deductis expensis, ut docet Angelicus cum communi; 2, 2, q. 87.

Hinc in Concilio Constantiensi damnata fuit hæc propositio: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre;* et

(1) Consuetudine satis firmata fulicæ apud nos absque peccandi formidine comeduntur diebus abstinentiæ, licet Cartusianis unius alteriusve regionis, contrariæ responsiones nuper datæ sint a S. Pœnitentiaria. Cæterum uti animadvertit d. Thomas: *Circa abstinentiam* (et etiam circa jejunium) *diversæ consuetudines existunt apud diversos* (id est diversis diœcesibus et locis) *quas quisque observare debet, secundum morem eorum inter quos conversatur* (p. 2, q. 147, a. 3; et d. Hieronymus epist. *ad Lucinum).* Ita Opus *Manuale Mor. Theol. juxta principia s. Alphonsi et Gousset;* Mediolani 1850.

ex Tridentino qui eas subtrahunt vel impediunt sunt excommunicandi, nec absolvendi nisi restitutione secuta. Verum hodie pluribus in locis decimæ, conventionibus rite cum Ecclesia initis, extinctæ sunt (1). Item extingui possunt præscriptione, si tamen remaneant quæ ad cultum ac ministrorum victum necessaria sunt; hæc enim de jure naturali ac divino debentur (*Scavini*, l. I, nn. 283 et 405; *et dicenda* t. II, n. 90).

Vel ipsi clerici ad decimas tenentur non in quantum clerici, sed in quantum possident bona subjecta decimis: quæ bona possunt esse ipsa beneficia, si decimis erant subjecta antequam in beneficii dotem adsignarentur (*S Alph.*, *Ho. Ap.*, tr. XX, n. 85; et L. Ferraris). D. Thomas, 2, 2, q. 87, a. 4.

An Parochi et cæteri ecclesiastici qui damnificati fuerunt ob decimarum abolitionem a gubernio factam, possint percipere pensiones pro compensatione ab eodem gubernio ipsis assignatas? R. « Posse, juxta oraculum Ss. Domini, titulo meræ compensationis pro damno sibi a gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a gubernio assignatas; facta prius sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis Parochis seu ecclesiasticis in particulari, protestatione per hujusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut approbari decimarum abolitionem a gubernio factam', et caute monitis earundem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a gubernio latæ ab onere easdem solvendi liberatos » (S. Pœnit. 1860; v. *Scavini*, t. IV, n. 237).

APPENDIX PRIMA

De juribus Stolæ, Primitiis et Oblationibus.

231. **Jura Stolæ.** Sunt honoraria, quæ occasione funerum aliarumque functionum spiritualium pro parochorum maxime sustentatione ex justitia tribui debent. Caveant Parochi in illis exigendis ab omni tenacitate et avaritia: in hac re prudenter se gerant, neque se exhibeant nimis indulgentes in illis juribus remittendis ne successoribus suis præjudicium afferant, neque ita difficiles in illis postea donandis, si fideles revera indigeant: quod tunc una manu jure exigunt, alia si non totum aliquid gratis reddant (2). Quidquid sit, videant ne funera vel ordinaria

(1) Potestas sæcularis sicut non potest imponere decimas ecclesiasticas, sic nec ab iisdem quemquam liberare, neque etiam compensationem tribuendo, ut c. 25 de *decim.* declaravit Innocentius III ad Vercellensem Episcopum.

(2) Parochorum jura utpote quæ non individuo, sed cætui et officio tributa sunt, non præscribuntur consuetudine contraria, nisi centenaria concludentissime probata et inviolabiliter servata. Attamen modus servandus est in iis sustinendis; sunt enim qui fideles hac de re vexant cum religionis detrimento.

officia omittant ob denegata jura; sed illis adimpletis, hæc juridice poterunt postulare si convenit.

Item ne taxam lege vel consuetudine inductam proprio marte immutent; sed si necessitas vel æquitas id postulet, res tota componatur cum ecclesiastico superiore, ne dicteriis ac dissidiis locus detur; Episcopi est hæc decernere et lites dirimere. Hinc l. 5 Decr. 3 *Ad apostolicam, de sim.* Episcopis committitur ut laudabilem quoad jura stolæ consuetudinem per officium suum tueantur cohibendo et clericorum et laicorum excessum. Idque sane exigit vel dignitas ecclesiastici status ipsaque rerum natura, quæ tota circa spiritualia versatur; cum item res sit de ordine publico (1).

232. **Primitiæ.** Sunt primi rerum fructus, qui Ecclesiæ, et Ecclesiæ ministris tribuuntur sustinendis, quæ ideo ex justitia debitæ sunt. Nunc fere ubique primitiæ desierunt, cum alii redditus jure substituti fuerint.

233. **Oblationes.** Munera sunt sponte Deo et Ecclesiæ a fidelibus oblata. Si fideles videantur oblationes facere propter curam animarum, illæ cedunt Parocho loci; secus Ecclesiæ.

De oblationibus autem in Oratorio rurali B. Mariæ vel alterius Sancti factis, vel alicui imagini miraculosæ, nulla portio debetur Parocho, uti declaravit S. Concilii C. 22 apr. 1799; sed totum cedere debet ipsi Oratorio et loco pro eo ampliando, ornando, etc. Si vero ex usu, vel aliquo signo pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, Parochi est invigilare, ut Missæ ibidem celebrentur, et quidem tempore congruo (2).

(1) Hæc emolumenta legitima sunt, et contraria propositio n. 54 Synodi Pistoriensis damnata est. Sic autem illa *emolumenta* appellantur, quia parochus stolam induit functiones tales exercendo. Verum usus stolæ deferendæ per se non est signum jurisdictionis et præeminentiæ; ex S. Rituum C. 7 sept. 1850.

Pars autem eorum, quæ occasione funeris et sepulturæ corporis extra parœciam tumulati obveniunt parocho et ecclesiæ, solet appellari *portio canonica,* vulgo *quarta funeralis;* ex consuetudine tamen alicubi est tertia, alicubi etiam media. V. Ferraris, V. *Sepultura; additiones Cassinenses.*

(2) Cerei in honorem Ss. Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti oblati, accendi et cremari debent; et eorum reliquiæ, si quæ supersint, in fabricæ ecclesiæ utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguendi, neque sunt sibi a Pastore vel sacrista arrogandi, cum talis offerentium non sit mens. Secus et contra justitiam et contra religiosam pietatem peccarent. *Bouvier.*

APPENDIX SECUNDA

De Obolo S. Petri.

234. **Obolus S. Petri.** Est: *Subsidium quod a fidelibus filialiter tribuitur R. Pontifici tanquam successori divi Petri ad ejus angustias sublevandas.* Perantiquum est et convenientissimum, cum filiorum sit patri in necessitate subvenire. In Anglia rex anno 740 denarium ex singulis domibus regni sui beato Petro fertur jure perpetuo concessisse, quod ab Anglis *romescet,* vulgo vero *denarius Petri* vocabatur. Ex quo autem cessavit hoc pietatis vectigal, cœpit in eo regno grassari pestifera hæresis *(Baronius, Annales,* an. 740; *Scavini,* l. I, nn. 291, 406).

Perantiquum est; sed et novum. Hinc Leo XIII in prima Encycl. ad Episcopos: *Sejungere non possumus* (a cæteris spei et gratulationis causis) *eas significationes amoris et obsequii, quas in his Nostri Pontificatus exordiis vos, venerabiles fratres, et una cum vobis exhibuere humilitati Nostræ ecclesiastici viri et fideles quamplurimi, qui literis missis, largitionibus collatis, peregrinationibus etiam peractis, necnon aliis pietatis officiis ostenderunt devotionem et caritatem illam, qua meritissimum Prædecessorem Nostrum prosecuti fuere, adeo firmam, stabilem integramque manere, ut in persona tam imparis non tepescat hæredis. Pro hisce splendidissimis catholicæ pietatis testimoniis humiliter confitemur Domino quia bonus et benignus, ac vobis cunctisque dilectis filiis a quibus ea accepimus, gratissimos animi Nostri sensus ex intimo corde publice profitemur, plenam foventes fiduciam nunquam defuturam Nobis in his rerum angustiis et temporum difficultatibus hoc vestrum ac fidelium studium ac dilectionem* (V. Doupanloup, *Sul denaro di S. Pietro;* Rota, *I beni della Chiesa e il denaro di S. Pietro).*

Dictum est quod a *fidelibus filialiter tribuitur;* aliter est si id esset in pretium expoliationis civilis principatus; tunc quæstio esset de moralitate, de dignitate, de libertate ac summi Pontificis independentia. Hæc contributio neque *justa* est, cum privetur Pontifex re sua invitus jugiter clamans; neque *laudabilis* et *probata*, cum tot catholicorum sensum offendat; neque *decora,* cum communem omnium patrem ad panem suum quotidianum mendicandum compellat sub civili potestate constitutum; neque *tuta;* quid enim si S. Sedes ratione sui officii, prout non raro evenit, adversari debeat cuiquam Principi qui suam illi stipendii portionem persolvat? et maxime si in illius regno commoretur? Plura sunt media etiam indirecta ad impediendum Pontificiæ potestatis exercitium semel ac ipse Pontifex subditus sit alicujus gubernii — Sit quod nullum directe ponatur impedimentum ut ipse valeat Allocutiones habere, Decreta scribere et errores ubicumque sunt damnare. Sed quid? si sub pœna prohibeatur illius præscripta evulgare et exequi? larva erit libertatis ad publicum decipiendum, non genuina libertas ad bonum Ecclesiæ tuendum. Ex quo patet de ipsa rei natura opus esse,

ut Pontifex omnino liber et independens sit, neque ullius civilis potestatis subditus.

Et sane (ut scite ajebat celebri *litera pastorali* ad populum, quam dictabat de temporali principatu R. Pontificis Perusiæ Episcopus; quem nunc Leonem XIII festanter salutamus) repugnat rectæ rationi ut subdatur humanæ potestati spiritualis potestas quæ super omnes potestates eminet, et universum orbem amplectitur; repugnat quod legis ac divinæ voluntatis interpres supremus terreno subdatur regi, qui a divina lege et voluntate omnem vim suam mutuatur; repugnat ut Pontifex qui curam habet de fine primario et ultimo qui est salus animarum, subjiciatur et coarctetur a civili principe qui fines tantum intermedios moderatur, id est temporalem subditorum felicitatem curat; qui et ipsi subditur ei qui finem ultimum tuetur.

Quod si Pontifices primis Ecclesiæ sæculis libertate principatus non potiebantur, sed tantum martyrii, id providentissimo Dei consilio evenit ad probandam religionis divinitatem; et ideo (concludit) tunc Pontifices subditi erant quoad *factum*, non quoad *jus*. Suprema R. Pontificum potestas jam ab origine suum in se habebat suæ temporalis potestatis germen, quod gradatim se explicabat, et jugiter in incremento erat usque dum perveniret ad suam perfectionem. Est lex ordinaria terrenarum rerum, quæ ab incunabilis vix percipiuntur: sic homo infans successive ad maturam ætatem perducitur: fructus in planta, plantæ in semine continentur, et nonnisi pedetentim ad maturitatem suam perveniunt. Item vid. Allocutio ad catholicorum ephemeridum scriptores 22 febr. 1879. (V. Eula, *Collectio Casuum etc. anno* 1875. La Civiltà cattolica, *ser.* 10ª, *t.* III Del diritto e del fatto nella questione romana).

TRACTATUS TERTIUS

DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS CERTORUM STATUUM ET OFFICIORUM

DISPUTATIO PRIMA

DE OBLIGATIONIBUS ECCLESIASTICORUM.

235. Duo sunt *fontes,* ex quibus obligationes hauriuntur ecclesiasticis peculiariter impositæ: 1) Excellentia status quem profitentur, cui mores sunt conformandi — 2) Ratio boni exempli ex illo Apostoli ad Titum: *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum.* Cæterum per id non liberantur a mandatis unicuique christiano communibus, si hæc ipsis conveniant; nec quia de clero, christiani esse desinunt (v. n. 134).

236. Ecclesiasticorum obligationes speciales continentur in superiorum statutis et consuetudine legitima. Cura autem ecclesiasticis invigilandi Episcopo incumbit ex Tridentino *Sess.* XXI, c. 6; *Sess.* XXII, c. 1 *de Ref.;* et ex Pontificum Constitutionibus passim editis: quas firmat Pius Pp. IX Encycl. *Qui pluribus.*

CAPUT PRIMUM

De Obligationibus Ecclesiasticorum communibus.

Art. 1. — De iis quæ generatim Ecclesiasticis præscribuntur.

237. Quæ generatim omnibus ecclesiasticis præscribuntur revocantur ad vitæ sanctitatem, ad legem cœlibatus, ad sacri ministerii exercitium et Ecclesiæ cultum, ad exterius sese

gerendi methodum, ad habitum ac tonsuram clericalem, atque ad Horas canonicas (de his tamen erit n. 669).

238. **Vitæ sanctitas.** Cur enim ecclesiastici in Ecclesia constituti sunt, nisi ut (teste Evangelio) sint sal terræ et lux mundi? Porro ut tales sint præclara morum probitate in domo Dei fulgere debent. Hinc d. Hieronymus ait: *Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem* (Ep. 58). Et Tridentinum *Sess.* XXII, c. 1 de Ref.: *Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant,* etc.

239. *Media* autem ad hanc sanctitatem præcipua sunt: 1) Jugis Oratio, et quotidiana meditatio. 2) Lectio spiritualis. 3) Sacramentorum frequentia. 4) Devotio erga B. Virginem Mariam Apostolorum Reginam; potens est enim. 5) Conscientiæ examen; mane propone, vespere discute mores tuos; qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione. 6) Exercitia spiritualia, quibus recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur. Atque ideo ex Clemente XI qui residentiæ lege et chori servitio tenentur, si semel in anno per id tempus, quo, Episcopo annuente, huic saluberrimo exercitio, in aliqua religiosa domo diu noctuque manendo, operam navant, uti præsentes censentur (v. *Scavini,* l. I*,* nn. 411, 412) (1).

240. **Cœlibatus obligatio.** Magna cordis munditia corporisque castitas requiritur in illo qui minister esse debet Agni immaculati. Hinc statutum est ut nemo ad ministerium altaris eligatur qui probatæ castitatis non sit. Hinc clerici omnes suscipientes majores Ordines ipso facto perpetuo cœlibatus obligationem contrahunt. Constat ex variis juris Canonici decretis et maxime ex Tridentino (*sess.* XXIV, c. 9) ubi definitur: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.* Qui suscipiens Ordinem sacrum nollet expresse

(1) Provinciæ Vercellensis Episcopi lit. 18 nov. 1849 decernunt ut omnes sacerdotes spiritualibus Exercitiis vacent saltem singulo quinquennio. Alii volunt crebrius; Novariensis Episcopus omnes sacerdotes vehementer in Domino rogat ut Exercitiis spiritualibus quolibet recurrente triennio vacent in religiosis ædibus. Sane vix dici potest quantum conferant ad reformandos mores; at oportet ut Ecclesiasticus in illa ingrediatur totus, maneat solus, egrediatur alius. Grande monitum, at necessarium si velimus fructus ferre (Scavini monita suggerit, l. IV, n. 9).

castitatem vovere, nihilominus adhuc ad castitatem teneretur saltem ex præcepto Ecclesiæ, quæ illum ex religionis motivo ad castitatem perpetuo adstringeret *(S. Alph.,* l. I, n. 809).

241. *At cœlibatus obligatio quoad ecclesiasticos non est juris divini,* ex communi sententia; sed ea est vel ex vi præcepti Ecclesiæ vel ex voto, ut habet Tridentinum. Potest igitur Ecclesia dispensare. Utrum autem obligatio sit immediate ab Ecclesiæ præcepto, vel immediate a voto de præcepto Ecclesiæ emittendo, disputant. Sunt qui merito probabiliter docent, quod ordinati in Sacris non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ ordinatione ad castitatem tenentur: quia voti nulla fit mentio. Verum probabilius et communius alii hanc obligationem cum d. Thoma repetunt immediate ex voto, quod in ipso facto Ordinationis emittitur juxta Ecclesiæ mentem, ut legitur in Jure canonico: *Cum olim, de cler. conjugat.* Quocirca lex ecclesiastica clericis in sacris et castitatem et simul modum castitatem profitendi, scilicet ex voto præcipit: quod votum Bonifacius VIII et Benedictus XIV, Const. *Inter præteritos* solemne declararunt *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 808).

Ecclesia neminem ad cœlibatum cogit; qui tamen sponte sacros Ordines suscipit, libere omnino huic legi se subjicit. Unde qui putat se donum continentiæ non habere, procul maneat a sacro ministerio; at qui ad sacerdotium a Deo vocari se sentit, donum continentiæ obtinebit, si vigilare et orare non desinat, et occasiones eam amittendi omnino fugiat; occasio ipsas cœli columnas misere subvertit. Nulli autem magis convenit vitam cœlibem ducere quam iis qui se totos altaris ministerio dedicant. Quo status aliquis sublimior et perfectior est, eo sanctius et illibatum vitæ genus requirit; talis autem est status ecclesiasticus. Adde: cœlibatus ad officia divina obeunda maxime conducit, quæ sunt præcipua Sacrificium offerre, orare, præesse, docere, Sacramenta ministrare, infirmorum et pauperum curam gerere; hæc autem postulant virum alienis curis minime distractum, ita ut facile esse possit omnium consiliarius, judex, pater, imo omnium quasi famulus atque minister. Jam vero quis neget ad hæc munia præstanda valde magis cœlibatum conducere, quam matrimonium? Id plane innuit Apostolus: *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.*

Hinc nil mirum, si nondum declarata lege cœlibatus ab Apostolis tamen obtinuerit, ut clerici, si ante Ordinationem habebant uxores, postea ab iisdem prorsus sese abstinerent. Testes sunt pro Ecclesiis orientalibus Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius: pro Ecclesia latina volunt eruditi, s. Petrum continentiæ legi cito subjecisse omnes Episcopos, presbyteros ac diaconos, ita ut nullum fas sit invenire exemplum Episcopi, presbyteri aut diaconi, qui impune continentiam violaverit. Tandem antiquissimæ sanctiones Conciliorum et Pontificum adstipulantur (1).

(1) Cœlibatum ecclesiasticum pluribus tuetur Perrone, *De Ordine;* et Scavini, l. III, nn. 598 et seqq. contra incredulos, hæreticos et falsos politicos.

242. Conjugatus (unius uxoris vir) licite potest sacros Ordines suscipere ex licentia uxoris libera et expressa, modo ipsa castitatem voveat: et probabilius uxor tunc non tenetur ingredi religionem, nisi vir fiat Episcopus; item est si fieret religiosus professus, casu quo uxor sit juvenis. An autem uxor quæ vovit castitatem extra Religionem post sacram viri ordinationem, possit eo defuncto, valide inire matrimonium, disputant. Alii sat probabiliter affirmant, quia nulla lege constat illud esse irritum. Alii vero communius et valde probabilius negant; nam Ecclesia ob Ordinis reverentiam censetur reddere uxorem inhabilem ad subsequens conjugium *(S. Alph.,* l. VI, n. 812).

243. **Sacri ministerii exercitium.** Obligationes ecclesiasticorum hac de re præcipuæ sunt:

I. Ut singuli Ordinis proprii munia recte cognoscant et exerceant, ne dicantur inaniter ordinati.

II. Ut Ecclesiæ, cui addicti, operam præstent assiduam tum in doctrina christiana explananda, tum in cæteris functionibus (die præsertim festo) præscriptis vestibus induti (1). Nemo autem sine licentia potest Ecclesiam illam derelinquere: *Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur,* ait Tridentinum *(sess.* XXIII, c. 6 de *Ref.)* (2). Imo neque ad tempus est a diœcesi discedendum sine Ordinarii licentia, ut pluries declaravit S. C. Concilii.

III. Ut ecclesiastico cantu sese exerceant; *salubriter enim fuit institutum* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 91, a. 2), *ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum provocarentur ad devotionem.* Qui cantus planus sit oportet, vocatus *cantus Gregorianus, omni alio rejecto,* ut præcipit Benedictus XIII Bulla *Creditæ nobis.* Item Ecclesiæ cæremonias studiose addiscant, et accurate observent, quibus nempe, teste experientia, summa reverentia mysteriis sanctis conciliatur. Monet autem d. Carolus, ut ecclesiasticorum nemo inter sacras functiones chirothecis manus induat. Item qui ratione gradus vel officii anulum defert, illum deponat Missam celebraturus, ex S. R. C. 27 apr. 1818. Hæc enim reservantur solis prælatis (3).

(1) Quoad seminaristas Tridentinum sess. XXIII, c. 18 *de Ref.* habet: *Curet Episcopus ut cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant.* At ratio habenda est studiorum et disciplinæ, ne exinde detrimentum patiatur. Benedictus XIII Const. *In supremo,* ubi agit de restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum, decernit, quod Seminariorum alumni diebus tantum festis cathedrali aliæve loci ecclesiæ inserviant et publicis processionibus interveniant, sublata quacunque majoris servitii consuetudine etiam immemorabili (v. *Scavini,* l. I, n. 561).

(2) Ad id tenentur etiam vi obedientiæ quam sacerdotes noviter ordinati Episcopo promiserunt, ut habet Benedictus XIV, Epist. *Ex quo.* Attamen etiam renuente Episcopo sacerdotes, imo etiam parochi, servatis servandis, possunt fieri religiosi (v. *Scavini,* l. I, n. 583).

(3) Hæc autem anuli gestatio prohibita est sacerdotibus in Missa etsi sint Pro-

IV. Ut in sacra studia summo ope nitantur, quorum libri sint ab omni labe purgati; nam ecclesiastici ideo instituuntur, ut alios viam salutis edoceant: at quomodo edocebunt quod nesciunt? Hinc Leo XIII Pontifex M. litera ad archiep. Taurinensem ajebat, quod in clero sola pietas non sufficit ad bonum quod debet operandum, nisi una cum illa comitem habeat multam doctrinam. Ne ergo ipsum pigeat bona facere studia sua; labia enim disseminantium scientiam Dei, a Deo glorificabuntur juxta illud Eccli LI: *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam* (*S. Alph., Ho. Ap.*, tr. XII, n. 52).

Est ideo maxime increpanda eorum agendi ratio, qui studiis vacant in clericatu; sed vix sacerdotes aut parochi illis valedicunt, atque festinanter munus suum obeuntes reliquum tempus inutilibus terunt nugis: quos si urgeas ut studio vacent, tempus eis non suppetit; si urgeas ne futilia sectentur, nesciunt quomodo tempus impendant. Sic otio torpescunt, quod est malorum fons. Sic et illa pauca amittunt, quæ jam didicerunt; nam non scimus nisi quod recordamur; nec recordamur nisi quod sæpe repetimus; *tale enim* (ait d. Augustinus) *est ingenium nostrum, ut torpescat, si usus defuerit lectionis.* Sic perpetuo ignorant plurima, quæ continue occurrunt addiscenda in salebroso ministerio; non sine maxima animarum pernicie. Sic tandem et se ipsos et proprium munus, penes sæculares contemptibile reddunt. Nil ergo mirum si plures Episcopi suos ecclesiasticos ad novum subeundum examen obligent singulis annis quousque ad aliquam parœciam regendam stabiliter non deputentur (1).

244. **Fidelium ædificatio.** Quoad modum sese externe gerendi ad fidelium ædificationem, præcipue debent ecclesiastici:

I. Interiorem animi pietatem in omni exteriori agendi ratione exprimere: nam *ex visu cognoscitur vir.* Huc spectant Tridentini verba: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.* Hinc Synodus Turritana: *Liber laicorum vita clericorum.*

II. Abstinere ab iis, quæ malum vel mali speciem aliis ingerere valeant juxta illud Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Hinc Crysostomus Hom. XVII in Matth.: *Sicut de templo omne bonum, ita et de templo omne malum.*

III. Urbanitatem colere hodie maxime, ut amabilem cuicun-

tonotarii titulares seu honorarii, dignitates, Canonici. Decreto 23 maji 1846 id prohibetur *in ecclesiasticis functionibus juxta alia decreta.* Sed alia decreta semper loquuntur de solo Missæ sacrificio, ut videre est apud Gardellini.

(1) Plura apud Scavini de *studii necessitate*, l. I, n. 564; de *cantu*, l. I, n. 562; . IV, n. 355, de *musicis instrumentis; de cæremoniis*, l. IV, nn. 346, 354, etc.

que reddant Religionem atque virtutem, simulque populorum existimationem et benevolentiam sibi concilient, ut eos facilius ad pie vivendum alliciant. Quid ergo dicendum de illis ecclesiasticis, qui civilem cultum parvipendunt quasi res sit profana et homini religioso indigna! et ideo rusticanos, agrestes, inurbanos se exhibent: cum tamen vel in ipsa Scriptura officiositas commendetur et plura habeantur exempla, ut videre est apud Jahn, *Archeologia Biblica* (c. XII *De moribus conversationis*) (v. Ceretti, *Il galateo del Seminarista;* Pizzoli, *Degli officj di gentilezza convenienti agli ecclesiastici ne' loro rapporti;* et Scavini, l. II, n. 797).

IV. Concordiam invicem fovere; *frater* enim *qui sustinetur a fratre quasi civitas firma* (Prov. XIII). Quomodo sane stabit populorum religio, si ejus ministri se invicem mordent? Hinc s. Ignatius martyr: *Hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere;* sed addit: *Episcopo præsidente, Dei loco:* secus scandala et schismata.

De primis ipsis Ecclesiæ temporibus s. Chrysostomus ajebat: *Si dissensio fuisset in discipulis illis, omnia peritura erant* (Hom. LXXX *in Joann.)* (1). At quia conjuncti fuerunt, notum est *veteres illos catholicæ fidei propugnatores* (ut verbis utar Pii IX Allocutione *Singulari) de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum et cum Apostolica Sede tanquam cum Duce suo conjuncti milites, firmo animo erectoque in certamen descendissent.* Quid tamen? qui caritatis ministerium exercent, non raro invidendo ad invicem mordent dentibus suis (2). Impii non sic, qui cognoscentes quod res unita est fortior, instituerunt, ut ita di-

(1) Tridentinum sess. XXV, c. 13 *de Regular.* decernit, ut *controversias omnes de præcedentia quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam sæculares quam regulares Episcopus remota omni appellatione et non obstantibus quibuscunque, componat.* Id tamen ex Barbosa intelligitur quoad appellationem ad suspendendam providentiam; potest enim fieri appellatio *jure devolutivo,* nempe etsi decretum ob bonum pacis statim obtineat effectum suum, querela tamen potest proponi et causa coram superiori institui.

Oh si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia et virtutes inserendas sicut ad movendas quæstiones, non fierent tanta mala et scandala in populo nec tanta dissolutio in clero! *Kempis* (v. Scavini, l. I, n. 657; l. IV, n. 343 *de jure præcedentiæ;* it. Margani, *Conferenze al clero conformi ai bisogni della società moderna;* Messina, 1876.

(2) Ad rem cl. Rotelli: « Vedete il mondo come va oggi! tutti si adunano: si adunano a far quattrini, si adunano a far carnevali, si adunano a combattere la verità, si adunano a demolire la società, si adunano per istudiare, per ajutarsi, per farsi onore, per farsi grandi, per farsi potenti. Ogni giornale, e ve ne ha tanti! è la voce di un *club,* di un'unione qualunque; tutti sono oggigiorno convinti che l'*Io* è troppo poco per farsi valere; fa bisogno il *Noi;* e tutti parlan pei singoli, e i singoli alla lor volta parlan per tutti. Uniamci dunque anche noi sacerdoti; accordiamoci finalmente a difendere la dottrina cattolica. » Ita in Opusc. *L'Accademia di s. Tommaso istituita in Perugia da Sua Em. il Card. Pecci vescovo....* Qui nunc Leo XIII in suprema cathedra Petri sedet.

cam, rempublicam universalem, in quod omnia membra in unum conspirant. At calamitas nostra est sejunctio unius ab alio; imo ob inanitates nonnunquam implacabile bellum gerimus ad invicem, ideo populo opprobrium facti sumus, subsannatio et derisio. Nostra quærimus, non quæ sunt Dei: hinc contentiones atque discordiæ, quæ quidem inanis gloriæ filiæ sunt ex Angelico.

245. **Habitus clericalis.** Ex Constitutione Sixti V *Cum sacrosanctæ*, et ex Tridentino sess. XIV, c. 6 *de Ref.*, clerici beneficiati vel in Sacris graviter peccant si habitum clericalem non deferant per notabile tempus et sine rationabili causa (1). Etsi enim habitus non faciat monachum, ex habitu tamen monachus dignoscitur; nam per decentiam habitus extrinseci proprio ordini congruentis morum honestas intrinseca ostenditur; et proverbium habemus: *habitus est homo.* Habitus juge incitamentum est ad vitæ integritatem.

Dixi: 1) *Clericos beneficiatos aut in Sacris;* nam communius docent simplices clericos, non peccare graviter, si clericalem habitum non deferant, cum hæc gravis obligatio illis a jure canonico non sit imposita. Excipe nisi id Episcopus statuat pro clericis omnibus, prout hodie merito passim fit; congruum enim est, ut omnes proprio statui se conforment.

2) *Per notabile tempus;* si fiat raro, ad breve intervallum, neque ad malum finem et sine scandalo, non censetur grave.

3) *Sine rationabili causa.* Ideo licet habitum mutare, si urgeat periculum persecutionis in clericos; si clerici pergant in regiones, in quibus ecclesiastici non soleant clericalibus vestibus in publicum prodire *(S. Alph.,* l. VI, n. 826) (2).

246. **Tonsura clericalis.** S. Carolus præcipit, ut presbyteri, diaconi, subdiaconi cæterique clerici tonsura sint insigniti ad eam formam quam ratio uniuscujusque Ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. Croix nequit clericum in Sacris vel beneficiatum

(1) Sixtus V decernit suspensionem a beneficiis et omni Ecclesiastica dignitate in non deferentes habitum; sed hæc suspensio vi Constit. *Apostolicæ Sedis* Pii IX videtur abrogata.

(2) Habitus clericalis in hac temporum difficultate variat pro variis regionibus; standum igitur est particularibus locorum Statutis et legitimæ consuetudini; semper tamen sit oportet nigri coloris et gravitatem præseferens.

Ecclesiasticus non deferens habitum clericalem, si tertio admonitus ab Episcopo non emendetur, illico amittit privilegium fori et canonis, si sit in Sacris aut beneficiatus (*S. Alph.*, l. VI, n. 827). Si vero habeat tantum Ordines minores, oportet insuper, ut alicui ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario aut alia schola de ejus licentia versetur; secus privilegium fori amittit absque ulla monitione; et frustra legis auxilium invocaret qui peccat in legem.

Ex nova autem declaratione S. Congregationis Immunitatis 20 sept. 1860, ecclesiasticus quando amittit privilegium fori, ipso facto amittit omnia alia clericalia privilegia, ita ut habeatur quasi persona laica.

tonsuram per sex aut octo hebdomadas non deferentem damnare de mortali; cum non videatur gravis inordinatio. Cæteri autem clerici non deferentes tonsuram, seclusa speciali præscriptione, graviter non peccant (*S. Alph.*, l. VI, n. 823). *De habitu, coma adscititia, pileolo, tonsura, barba,* vide *Scavini,* l. I, nn. 566 *et seqq.* It. dicenda *t.* II, *n.* 801).

ART. 2. — De iis quæ Ecclesiasticis generatim prohibentur.

247. Ecclesiasticis ea generatim prohibentur quæ eorum statum dedecent, vel nimium eos distrahunt, vel pravæ occasioni eos exponunt, uti sunt præcipue armorum gestatio, venatio, habitatio cum mulieribus, ingressus in tabernas, choreæ et comœdiæ, ludus aleatorius, negotiatio, et nonnullæ artes et sæcularia officia.

248. **Armorum gestatio**. Ex Canonico jure, arma offensiva et defensiva gestare extra necessitatem clericis prohibentur; tum quia dedecet illorum characterem, cum Christi exemplo debent esse mites corde; tum quia arma clericorum debent esse spiritualia; cum eorum sit militare contra potestates tenebrarum. Hinc ipsi per se pugnare omnino vetantur, ut docet d. Thomas, 2, 2, *q.* 40; imo unanimis sententia est ex Benedicto XIV *Notificatione* CI, clericos in Sacris mortaliter peccare, si militiam voluntarie amplectantur (1).

Dixi: 1) *Extra necessitatem;* nam necessitas legem non habet: unde arma licerent in itinere ad præcavendas insidias; item ad propulsandos irruentes hostes. 2) *Per se:* constat enim ex jure eos bellum justum posse suadere, ad strenue pugnandum hortari; et si temporalem habeant jurisdictionem, bellum indicere, exercitum conscribere, arma præbere; non tamen personaliter Ducis officio fungi (*S. Alph.*, l. IV, n. 191).

249. **Venatio**. Venatio clamorosa, quæ nempe exercetur magno clamore et apparatu armorum, canum, etc. ut majores capian-

(1) Sed quid si a civili potestate Ecclesiastici sæculari militiæ nomen dare cogantur? Quod hactenus apud omnes gentes inauditum fuit, hodie in religionis perniciem invectum est: quod quidem Pius IX maximo animi sui dolore lamentabatur in epist. *Singularis* 29 sept. 1864; et in allocutione 12 apr. 1875 ad catholicam internationalem deputationem (v. *Civ. catt.*, serie 9, t. VI; *Scavini,* l. IV, n. 277: Clericus miles, etc.).

S. Officii Congregatio 16 sept. 1875 nonnullas normas Episcopis tradit. ut provideant quoad possunt bono tum religionis tum etiam ipsorum clericorum, si militare cogantur.

tur feræ, v. g. cervi, clericis (strictius vero religiosis) prohibetur, et quidem sub gravi, si frequens sit, aut cum magnis expensis; cum id fieri nequeat, quin status vel officii proprii ratio negligatur.

Venatio vero quieta, quæ exercetur laqueis, retibus, etc., vel etiam sclopeto cum uno vel altero cane, sed sine strepitu et concursu, ad occidendas minores feras, v. g. lepores, hodiernis moribus ubique fere permittitur; modo (quod caute perpendendum) mentem a Deo non distrahat, neque a studio, ab oratione, cæterisque muniis vocationis nostræ (*S. Alph.*, l. III, n. 606; l. IV, n. 191; *Scavini*, l. I, n. 575).

Quoad *piscationem*, commune est eam licitam esse utpote natura sua quietam. Verum sunt qui eam comparant venationi.

250. **Habitatio cum mulieribus.** Quoad ecclesiasticorum habitationem sub eodem tecto cum mulieribus notatu digna sunt quæ in Nicæno I (anno 325) leguntur: *Vetuit omnino Synodus, ne liceat Episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec uni penitus eorum, qui sunt in Clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt* (1). Hinc fere omnes Episcopi sapienter præscripserunt, ut ecclesiasticis cum iis tantum mulieribus cohabitare fas sit quæ primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu junctæ sunt, et modo ipsæ nullam præbeant occasionem periculi vel scandali. Neque enim satis est (ut ait d. Ambrosius), ut non demus culpæ locum, sed neque dare debemus locum suspicioni.

Ad *famulas* quod attinet, voluerunt eas compertæ omnino probitatis. Sint ergo ætate graves, morigeratæ, honesto loco ortæ ac pietate spectabiles. Imo nonnulli etiam ætatem præscripserunt, annorum nempe 40 completorum. Cujus quidem pergravis præcepti sapientiam nemo non videt; nam: *De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri* (Eccli XLII).

Mens autem Ecclesiæ est, ut ecclesiastici non solum abstineant a cohabitatione cum mulieribus; verum etiam ut caveant ab illarum frequentia ac familiaritate. Hic nulla vigilantia satis; etenim sub omni lapide scorpius dormit: *Prima tentamenta clericorum sunt fœminarum frequentes accessus,* monebat d. Hie-

(1) Per *introductam* alii accipiunt mulierem devotam cœlibatum profitentem, quæ cum clerico ceu soror vivebat. Hoc sensu canon magis urget; si enim non licet cum devota fœmina simul habitare, tanto minus id licitum erit cum alia quacunque.

ronymus (1). Nulla prodest sapientia, nulla juvat fortitudo, non est secura sanctitas; hac de re qui comedebant panem angelorum, vidi siliquis delectari porcorum. *Kempis.*

Dices: *Fœmina illa est vetula ac deformis.* Sed time, cupidini siquidem nulla deformitas. *Diabolus pingens,* ait s. Cyprianus, *speciosum efficit quidquid horridum fuerit; ac omnia pulcra videntur amori.*

Dices: *Mihi est consanguinitate conjuncta.* Sed adhuc time: *Diabolus enim,* ait s. Philippus Nerius, *optimus logicus abstrahit a propinquitate, fœminam solam relinquens.*

Dices: *Sancta est.* Iterum time; nam mulieres *quo sanctiores, eo magis alliciunt,* ait d. Augustinus: *et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis.* Unde spiritualis dilectio facile in carnalem convertitur.

Dices: *Vilis est.* Jugiter time: *Ancillas tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior eorum conditio, tanto facilior est ruina,* ex d. Hieronymo.

Dices: *Illa mea instructione indiget.* Time, fortiter time, ne dum eructas verba, mortem bibas. Si instructionem quærit, adeat nutricem (iterum d. Hieronymus), adeat magistram, vel piam quampiam mulierem; tu ad instruendum Ecclesiam habes. Hinc imprudentissime se gerunt qui ut puellas doceant religiosas cantiones, vel ut eas dirigant piæ cuipiam congregationi adscriptas, domum colligunt, ac familiariter cum illis utuntur. Hoc fieri nequit sine proprio periculo, et aliorum dicteriis; etiam ab omni specie mali abstinendum.

Dices: *Ægroto, et illius cura egeo.* Time, maxime time, ne faciat consuetudo et licentia quod non facit voluptas; morbus carnis igniculos non extinxit. *Scio,* scribit d. Hieronymus, *quosdam convaluisse corpore, et animo ægrotare cœpisse* (2).

Casus. Vitalis parochus non curat mercedem stato tempore ancillæ suæ persolvere; eam tamen in fine vocat hæredem universalem — R. *Non bene agit; curare debent omnes ecclesiastici, ut singulis annis, imo singulis mensibus mercedem famulæ (vel famulo) solvant; ne ipse nimis gravatum se sentiat, vel ne ancilla ideo fiat audacior, aut ab hæredibus defuncti sacerdotis suo pretio fraudetur. Caveant item ne famulam hæredem vocent aut vitalitium cum illa constituant; sed si benemerita sit vel una vice vel etiam ad ejus vitam quotannis aliquid statuant solvendum, quin*

(1) Item curandum ne absque gravi causa ecclesiastici fœminam per viam deducant, vel in itineribus et deambulationibus, se comites adjungant; nisi agatur de proxime conjunctis, quæ ut tales publice notæ sint.

(2) D. Augustinus fœminarum et in eis etiam sororis et fratris filiæ contubernium vitabat; quippe qui dicere solebat *etsi propinquæ mulieres suspectæ non sint, tamen quæ ad eas ventitarent posse suspicionem efficere.* Absit ergo, ut conqueramur quasi sua auctoritate abutantur Episcopi, qui ad lapsus præcavendos, atque bonum et famam tuendam, severitate utuntur (v. *Scavini*, l. I, nn. 420, 571).

Tridentinum præcipit ut Ordinarii etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati cum rigore procedant contra ecclesiasticos qui concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere audent. Si moniti non obtemperant, priventur tertia parte fructuum suorum beneficiorum ac pensionum. Si adhuc non paruerint, omnes fructus ac pensiones amittant, beneficiorum administratione priventur, atque ad omnia beneficia et honores inhabiles reddantur. Tandem ultra prædictas pœnas gladio excommunicationis plectantur (*Sess.* XXV, *c.* 14 *de R.*).

tamen aliis justitiæ aut pietatis officiis deficiant. Hoc est curam habere de bono nomine, quod quidem omnibus ecclesiasticis est maxime necessarium.

251. **Ingressus in tabernas.** Ingressum in popinas et tabernas extra necessitatem ecclesiasticis vetat Lateranense IV: *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti;* cum id opponatur clericali modestiæ et gravitati. Item dedecet ecclesiasticis ut officinas ingrediantur, maxime ad ludendum; vel etiam ut sedeant in scamnis ad earum januas.

Quoad sæcularia convivia monet d. Hieronymus: *Nunquam petentes, raro accipiamus rogati; facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat.*

252. **Comœdiæ et choreæ.** Choreis tam publicis quam privatis et publicis spectaculis interesse ecclesiasticos passim prohibent post Tridentinum Synodi omnes (ut notat Benedictus XIV); tum propter status clericalis dedecus, quod inde solet exoriri; tum ob periculum, cui exponitur clericalis vitæ sanctitas.

Hoc tamen non vetat quominus honestæ recreationis causa, clerici agant vel intersint (uti fert usus) iis repræsentationibus, quæ in communitatibus habentur, servatis tamen modestiæ ac temperantiæ regulis.

253. **Ludus.** Ludus aleatorius seu puræ sortis clericis beneficiatis et in sacris prohibetur a Lateranensi IV. Jam vero si res sit de ludo publico, consentiunt omnes ecclesiasticum peccare graviter, si in magna quantitate aleis ludat; aut in modica, sed frequenter; quia nimium animus avocatur a divinis et a proprio ministerio, et scandalum præbetur. Si vero ludat raro, moderate et privatim sine scandalo, puto hunc peccare solum venialiter. Imo probabiliter nec venialiter, si ludat recreationis causa, in parva quantitate, aut lucrum pauperibus tribuat (1).

Si autem ludus sit mixtus, qui pendet partim a sorte, partim ab industria ludentis (uti sunt vulgo *tarocchi*, *tressette)*, clerici sic ludentes non peccant mortaliter (nisi alicubi esset specialis prohibitio aut grave scandalum), modo propria ministeria minime negligantur. Imo ne venialiter quidem, si id aga-

(1) Ex Lateranensi IV clerici prohibentur etiam ludis hujusmodi interesse. Attamen hodie communiter docent assistentes non peccare graviter: cum ex se non videatur tanta inordinatio: nisi fortasse sint causa ludi mortalis, vel negligant ludentes corrigere, vel agatur de Episcopis, qui ex proposito et frequenter assistant; nam a gravi scandalo difficulter valeant excusari *(S. Alph.,* l. III, n. 903).

tur mera recreationis causa, absque scandalo, moderate, parvam exponendo summam et in domo privata; uti fert universalis fere consuetudo — Dixi *moderate;* nam ecclesiasticus lusor ex quasi professione, dicente celebri Massillon, *est quoddam opprobrii genus in Ecclesia; amittit enim spiritum suæ vocationis, omnem populi existimationem, totumque fructum ministerii sui* (S. Alph., l. III, n. 900).

254. **Negotiatio.** Negotiationem proprie dictam agere sive per se sive per interpositas personas sub gravi prohibetur clericis (in sacris tamen vel beneficiatis, ut communiter docent), gravius autem religiosis. Constat ex Jure canonico, præsertim ex Tridentino *(sess* XXII, c. 1 *de Ref.); et ex Constitutione *Apostolicæ* Benedicti XIV; et merito, ait d. Thomas, 2, 2, q. 78, a. 4: tum propter frequentia negotiatorum vitia, nam *difficulter eximitur negotiator a peccatis labiorum* (Eccl. XVI); tum quia negotiatio nimium implicat animum sæcularibus curis, et per consequens a spiritualibus retrahit. Adde, ecclesiasticorum negotiatio dicteriis locum præbet et populorum animos offendit (1). Quod si adsit familiæ necessitas, vel negotium obveniat aliquo titulo a laicis, v. g. hæreditate, clericus adhuc negotiari nequit sine Sedis apostolicæ in Italia, extra sine Episcopi licentia *(Scavini,* l. I, n. 426) (2).

Qui tamen bis vel ter in levi, vel semel in gravi materia (seu magna quantitate) negotiatur, ajunt illum peccare venialiter tantum; quia jura vetantia videntur indicare habitum.

Dixi: *Negotiationem proprie dictam,* seu lucrativam, quæ habetur cum aliquid emitur animo idipsum non mutatum carioris vendendi, uti libros — Non enim prohibetur negotiatio *œconomica,* qua emuntur necessaria ad victum, et superflua venduntur; nam si quid inde lucretur, evenit per accidens. Neque

(1) *Interpositæ personæ* sunt quæ ex pecuniis aut mercibus a Clerico acceptis negotiationem exercent, lucrumque cum illis dividunt. Etsi autem clerici negotiatores graviter peccent, non tamen tenentur restituere lucrum perceptum, si justitiam non læserint; nam per se negotiatio honesta est.

(2) Neque negotiari liceret quia causis piis fit lucri cessio; nam negotiatio non præcipue ob lucrum Ecclesiasticis prohibetur, sed quia indecorum est, et animum nimium occupat ad sæcularia convertendo. Ideo neque ad bonum finem id licitum est sine superioris facultate, cujus est specialem casum expendere, et modum ac tempus præscribere, ad scandalum amovendum, omnemque indecentiam. Recursus pro licentia fit ad S. C. Concili.

Dixi pro *licentia*, non pro dispensatione; etsi enim licentia et dispensatio generatim promiscue usurpentur, tamen differunt: dispensatio enim tollit legis obligationem, at licentia seu simplex permissio non aufert proprie legis vim; sed conditionem apponit ab ipsa lege postulatam, ut quis aliquid licite agat adhuc sub lege positus. *Alasia.*

artificialis, qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur; nam, ut ait s. Thomas, sic agere non *est proprie negotiari, sed præmium laboris accipere* (2, 2, *q.* 77), et Apostolus hoc modo victum sibi comparabat *(Act.* XVIII).

Ideo non est verus negotiator qui emit colores ut vendat picturas; ferrum ut vendat gladios; uvas ut vendat vinum; asseres ut vendat scamna; lanas ut vendat pannum, modo non conducat alios operarios ad hæc efficienda: secus opus valde accederet ad negotiationem. Item nec est verus negotiator qui proprios agros colere facit, ut fructus vendat; emit animalia et ea suis in prædiis alit, ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam acquirat, aut etiam saginata vendat. Sed videat nec alia ratione hisce vacando peccet, et avaritiæ studeat, et propria munia negligat et per mercatus continuo discurrat et alia agat quæ ejus habitum, statum ac vocationem dedeceat, ut aliquando lugendum est *(S. Alph.,* l. III, nn. 831 et seqq.).

Resolve: 1) Utrum sit licitum ecclesiasticis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere? Congregatio S. Officii 1 apr. 1857 respondit: *Sanctissimus concedit facultates Episcopis communicandas per S. Congregationem Episcoporum permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones* delle strade ferrate *de propria pecunia tantum.*

2) An licitum sit clericis in majoribus Ordinibus vel beneficiatis acquirere actiones bancharas *in accomandita?* Et quatenus *negative,* an supplicandum, ut Sanctitas Sua id concedat? Respondit 30 jan. 1846: *Ad* 1 *non licere. Ad* 2 *provisum in primo.* S. Congregatio Episcoporum.

3) *Licet clericum arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur. Ac pariter eidem licet earundem arborum foliis utendo per se ipsum absque officii sui detrimento, ac pro sua et familiæ sustentatione arti sericæ operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, et quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.* Hodie tamen licentia præsumitur.

4) *Clerici pauperes ob suam suorumque necessitatem possunt terras ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis; bona vero laicorum non possunt, nisi ex mera præcisa necessitate.* Ita S. Concilii Congregatio, referente Fagnano (v. *Scavini,* l. I, n. 576).

255. **Artes Clericis prohibitæ.** Prohibentur monachis ac clericis (in Sacris tamen, prout verius dicunt, cum de illis tantum fiat mentio in jure) *ars* medicorum et chirurgorum, ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione: et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio vel mors sequatur. Si tamen peritus sæcularis non adsit et casus urgeat, ecclesiasticus si

edoctus in ea arte sine irregularitatis periculo incisionem vel adustionem (non tamen amputationem) agere poterit (*S. Alph.*, l. VII, n. 384) (1).

Omnibus autem clericis eodem canonico Jure prohibetur ars quælibet, quæ eorum statum dedeceat, uti ars macellariorum, tabernariorum, joculatorum; itemque famulatum præstare, fodere, ligna cedere, ad pascua armenta ducere, novellare, metere, etc. Attamen saluberrimum oblectamentum ac levamen esse poterit apes, aves, flores, plantas in proprio viridario colere; privatim uvas colligere; caveas, coronas, imagines in propria domo conficere ac similia privatim et quiete agere, quin tamen ullo modo propria negligantur officia (*S. Alph.*, l. IV, n. 189).

256. **Officia.** Clerici beneficiati vel in Sacris passim Jure canonico prohibentur *officia* exercere:

I. Tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum, et quodcumque aliud, quod eos obliget ad reddendas rationes: excepto casu quo pupilli seu minores sint proximi propinqui. Attamen ex lege civili ecclesiastici generatim cogi possunt ad tutelam suscipiendam (*a.* 246).

II. Judicis in causa sanguinis; item militis, advocati, procuratoris, et notarii in Curiis sæcularibus; nisi clericus agat causam suam vel suæ ecclesiæ vel egeni vel conjuncti.

III. Administratoris bonorum personæ laicæ, privatæ, non miserabilis, cum obligatione reddendi rationes. Attamen non auderem damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua munia non negligeret (*S. Alph.*, l. IV, n. 190).

Cæterum etsi præstet, ut ecclesiastici generatim valedicant omnibus negotiis sæcularibus, id tamen per se non impedit, ut, justa interveniente causa et superioris licentia, aliquod publicum politicum officium obire possint. Hinc Tridentinum (sess. XXIII, c. 1 *de R.*), dum vult residere Prælatos, excipit inter cætera, *nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicæ officium.* Sane ex historia constat, rem civilem sæpius prudentia ecclesiasticorum, qui erant a publicis consiliis, stetisse. Adde id non parum conferre ad Religionis tutelam, cum consilio et voto injusta decernentibus efficaciter obstare valeant (*Scavini*, l. I, nn. 577 et seqq.) (2).

(1) Etsi valeat ecclesiasticus usuaria et in nullo casu noxia remedia discrete suggerere in morbis ordinariis, maxime deficiente medico; attamen caveat ne habitualiter ita agendo videatur medici officium suscipere, et ideo vel aliorum domus adeat vel propriam concurrentibus aperiat; id enim dedecet omnino et vehementer pugnat cum ejus officio, dignitate ac castimonia. Neque hoc fieri potest quin sibi plurimorum cumulet invidiam, scandalum præbeat, ac in pœnas a civili lege statutas incidat (v. *Scavini*, l. IV, n. 50).

(2) Provinciæ Vercell. Episcopi 18 nov. 1849 ad normam sacrorum Canonum monendum clerum censuerunt, non posse quemquam absque Episcopi venia officia sæcularia acceptare. Item neque præceptoris ac magistri munus.

257. Hactenus disputatis hæc addenda quoad *tabacum, velocipedes* et artem *fotographicam*. Quoad 1: apud ecclesiasticos nimis invaluit usus *tabaci* fumum hauriendi; id demus Germanis qui boreales regiones incolunt; sed non nobis, maxime si in publico fiat (1).

Quoad 2: quamvis in se licitum sit, attamen ecclesiasticis dedecet omnino publice adhibere ad deambulandum *velocipedes;* eorum gravitati nullimode convenit. Imo id habetur potius in communi æstimatione ut puerorum ludus ac solatium.

Quoad 3: etsi ars *fotographica* honesta sit, commendanda et a bene multis privatis solatii causa licite exerceatur, hæc tamen non tam facile est ecclesiasticis permittenda; nam solent omnes indiscriminatim ad eorum officinam admittere, puellas atque mulieres, illarum imagines exprimendo: quod quidem res est periculi plena et publicis dicteriis locum dare potest.

CAPUT SECUNDUM

De Obligationibus Ecclesiasticorum in particulari.

Art. 1. — De Episcopis, Chorepiscopis, Vicariis generalibus, et capitularibus, de Canonicis et Canonicis honorariis.

258. **Episcopi obligationes**. Gravissimæ sunt; oportet enim:

I. Ut cunctis in omnium virtutum genere bono exemplo præluceat forma gregis factus, ut monet d. Petrus. *Episcopus enim,* ex s. Alphonso, *est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus qui sunt in domo Domini.*

II. Ut jugiter meminerit se pro bono Diœcesis positum esse Episcopum, nempe omnium patrem atque magistrum omnibus omnia factum; et ideo debet Apostolorum exemplo apud Deum instare in orationibus et obsecrationibus nocte ac die pro se, pro suo clero populoque universo.

III. Ut omni sollicitudine vigilando oves proprias a venenatis pascuis avertere satagat, rectam semitam edocendo. Ad hoc autem tria maxime hodie Episcopus curare debet, ut monet Leo XIII in sua prima Encycl. *Inscrutabili* 21 apr. 1878: 1) *Matrimonii sanctitatem,* quod convertere vellent in legalem concubinatum; semel corrupto matrimonio, familia corrupta est; familia autem corrupta, in

(1) Audiendus cl. Comensis Episcopus: « Utpote ab ecclesiastica dignitate prorsus alienum, vetamus ne quis clericus extra domum tabaci fumum attrahat. Imo desideramus, ne domi quidem huic consuetudini indulgeatur, quæ et nullam generatim attrahenti utilitatem, grande e contra affert cæteris incommodum, præsertim valetudine laborantibus. » *Edictum de cler. offic. vita et honest.* 1874.

« Alcuni medici solerti osservatori hanno provato coi numeri alla mano che negli individui deboli, il fumo del tabacco, accelera, facilita e favorisce lo sviluppo e la disposizione dei tubercoli. Che se qualcuno non volesse prestar fede a queste osservazioni è padronissimo; ma non per questo il fatto si cancellerebbe. Anzi ha oggi maggior ragione di esistere, essendo obbligati a fumare non so quanti veleni e porcherie invece della nicosiana.... grazia alla Regía. » Murino. *Lezioni di medicina popolare e preventiva;* Roma, 1875.

suo germine corrupta est civilis societas; nam ex homine domestico habes hominem civem, ex civibus habes societatem — 2) *Christianam juventutis institutionem;* quæ enim ipsi dantur pasqua, venenata sunt; quæ ipsi tribuuntur volumina, impia sunt; quæ ipsi traditur scientia, non est desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica; scientia est sine Deo qui scientiarum Dominus est — 3) *Piarum societatum incrementum, tutamen ac directionem;* nam vis unita fortior. Hinc maxime et passim commendat Congressus regionales, diœcesanos, parochiales.

IV. Scripto ac voce oves suas omnes opportune importune præmoneat ut caveant a vaniloquis et seductoribus. Hinc Apostolus ad Titum: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Hinc Episcopus strictissime tenetur ad prædicandum per se, vel per alios si legitime impeditus. Constat item ex Tridentino, *sess.* v, c. 2 *de Ref.*

V. Ut Diœcesis visitationem frequentius, et quoad potest, per se ipsum, prout districte præcipit Tridentinum persolvat, omnes audiendo, omnia examinando, omnibus providendo. *Oh quot perturbationibus occurritur a Prælato circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo,* exclamat s. Alphonsus *(Ho. Ap.,* tr. VII, nn. 60 etc.).

VI. Ut ad sanctum altaris ministerium dignos eligat, qui sint bonitate positiva præditi ac debita scientia instructi. *Melius profecto est,* ut sapientissime monet Benedictus XIV, *pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles; quam plures qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri* (Bulla *Ubi primum* 1740).

VII. Ut bonos Parochos et Confessarios constituat, ipsis continue invigilando. *Unus confessarius, qui sit ignarus aut moribus pravis, totam regionem perdere potest,* ait d. Alphonsus: quod magis currit de Parochis. *Pro certo habendum* (addit) *Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochus doctior, sed minus probus toto anno.*

VIII. Ut Diœcesi resideat; secus quomodo poterit recte gregi suo prospicere? (1) Tridentinum tamen Episcopis concedit, ut quolibet anno per tres menses a Diœcesi abesse possint ex æqua causa, si absque ullo gregis detrimento. Ut autem ultra tres menses abesse possint ex eodem Tridentino graviores requiruntur causæ, nempe *christiana caritas,* ut si ageretur de componendis gravibus inimicitiis, præsertim potentium; *urgens necessitas,* ut si Episcopo immineat periculum extrinsecum et illi particulare; *debita obedientia,* ut v. g. obediat Pontifici ad bonum aliquod curandum; *evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitas,* ut si agatur de se aut suos defendendo. Quæ causæ ex Benedicto XIV a Pontifice sunt approbandæ: excipe nisi discessus sit brevis, nam ex Tridentino, sess. XXIII, c. 1 de R.: *Qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, cum statim sint reversuri (De Episcopi excellentia, obligationibus* vide Scavini, *l.* I, *nn.* 579 *etc.).*

259. **Chorepiscopi.** Ut nomen ipsum indicat, erant quasi ruris Episcopi, qui tamen episcopali ordine ordinarie erant insigniti. Hi

(1) Etiam tempore pestis ex Gregorio XIII (18 dec. 1576); possunt tamen tunc Episcopi in locis tutioribus Diœcesis manere, et inde providere; Episcopi enim se habent uti causæ universales, qui per substitutos parochos et sacerdotes operantur. D. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 5.

in pagis et villis quædam obibant Episcoporum munia; et licet simplices presbyteri, tamen pluribus potiebantur juribus. Nulla occurrit eorum mentio tribus prioribus sæculis; at quia temporis decursu jura Episcoporum invadebant, sub finem sæculi IX chorepiscopi non amplius constituti sunt. *Devoti.*

260. **Vicarius generalis Episcopi.** Qui nempe episcopalem jurisdictionem Episcopi vice ac nomine in tota Diœcesi exercet. Deputatur ab Episcopo ad arbitrium suum, et quocunque tempore ad arbitrium suum revocari potest. In iis porro quæ ordinariæ episcopalis jurisdictionis sunt, Vicarius censetur una persona cum illo: unde in arbitrio quidem est Episcopi illum sibi non constituere; sed semel constitutus Vicarius (si ea excipiantur quæ ex communi sententia peculiare mandatum postulant, vel a lege uni Episcopo reservantur) habet ordinariam, et liberam potestatem gerendi quæ potest ipse Prælatus, et alios etiam delegandi. Inspecta enim praxi Ss. Congregationum, sub nomine *Ordinariorum* Vicarii generales generales comprehenduntur; utique ab homine instituuntur, sed semel instituti jurisdictionem habent a jure. Hinc Vicarius generalis dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras et ab illis absolvit, approbat ad Confessionem, absolvit percussorem clerici, instituit præsentatos a patronis, judicat causas beneficiarias de patronatu, concursus indicit et celebrat (non tamen sine speciali mandato confert parochiam), concedit licentiam claustra Monialium ingrediendi, etc.

In Vicario generali Episcopi requiritur ætas 25 annorum inchoatorum; at nullibi cautum est, ut talis Vicarius debeat esse *doctor;* si aliunde de viri peritia manifesto constat, modo in judicando assumat assessorem *(Ferrari, Berardi, Devoti;* et *Scavini,* l. I, nn. 587, etc. ubi et *de Vicariis monialium, apostolicis,* etc.) (1).

261. **Vicarius capitularis.** Ex Tridentino Concilio, episcopali Sede vacante episcopalis jurisdictio et Diœcesis administratio devolvitur ad Capitulum cathedrale, nativo quodam et proprio jure, ut canonistæ tuentur. Hæc administratio peragitur in solidum a toto Capitulo sive per actus capitulares sive per aliquem de gremio delegatum. Sed Capitulum tenetur infra octo dies post habitam vacationis notitiam Vicarium constituere; quod si negligat cadit omnino jure suo ex S. C. Congregatione, probante Pio VII; et jus eligendi Vicarium generalem capitularem devolvitur ad superiorem, id est ad Archiepiscopum si Ecclesia vacans sit suffraganea, ad antiquiorem provinciæ Episcopum, si Ecclesia vacans sit Metropolitana, ad Episcopum propinquiorem, si Ecclesia vacans sit exempta.

Eligendus oportet, ut saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alius quantum fieri potest idoneus; et ætate viginti quinque annorum inchoatorum. Semel electus nequit amplius dimoveri nisi a Congregatione Episcoporum probata causa; totamque ordinariam Episcopi jurisdictionem accipit (quin ullam sibi partem Capitulum reservare possit, ex Const. *Romanus Pontifex* Pii IX 25 aug. 1873); et in officio permanet quousque novus Episcopus Literas apostolicas

(1) Attamen Vicarii generales provinciæ romanæ ex præscripto Concilii anno 1725 debent esse doctores. Nihil autem obstat quod Episcopus plures Vicarios generales eligat; nam semper adest unitas regiminis in uno Episcopo; quod non eveniret si plures eligerentur Vicarii capitulares. Vide Bouix, *De judiciis*, p. 2. Aliquando etiam Provicarii generales eliguntur, qui si sint veri adjutores ac substituti, non autem simplices delegati, idem Tribunal constituunt cum Episcopo et Vicariis generalibus (*Scavini,* l. I, n. 588).

de collato episcopatu, Capitulo vel cui de jure, exhibuerit, et possessionem sit adeptus. Hinc ipse solus judicat causas matrimoniales, cognoscit de hæresi, absolvit a censuris, concursus indicit, vota ac juramenta dispensat, etc. — Vicarius autem capitularis succedit Episcopo non solum in iis quæ sunt jurisdictionis ordinariæ Episcopi, sed in iis quoque quæ ex consuetudine vel privilegio Episcopo tanquam Episcopo competunt; item in iis quæ a jure communi vel a S. Sede sunt in perpetuum et in genere Episcopo delegata. Attamen novus Episcopus potest rationem exigere de iis quæ a Vicario capitulari acta sunt, et eum punire si culpabiliter deliquerit.

Quamvis autem jurisdictio Vicarii capitularis latius pateat jurisdictione Vicarii generalis Episcopi; attamen multa ipse non potest, quia ei Canones modum constituerunt. Hinc in jure habetur: *Ne Sede vacante aliquid innovetur,* id est in præjudicium Ecclesiæ et Episcopi successoris, uti est mutare statum Ecclesiæ, imminuere jura Episcopi, res Ecclesiæ donare, et ideo nec beneficia conferre, quia beneficiorum collatio donationem refert, si eorum collatio Episcopi propria sit, quæ ideo remanent Papæ reservata, quamdiu Sedes episcopalis vacat. Potest tamen Vicarius capitularis conferre beneficia quorum collatio est Episcopo communis cum Capitulo vel cum alio; item illa quæ provideri debent ad alterius præsentationem vel electionem: tunc collatio dicitur necessaria et actus justitiæ. Item potest indicere concursum pro parœciis, ut exitum referat ad Datariam apostolicam pro collatione *(Scavini,* l. I, nn. 430, 589. Ferrari, *Theorica et praxis regiminis Diœcesis, præsertim Sede vacante;* Parisiis, apud Victor. Palmé 1876) (1).

262. **Canonicorum obligationes.** Sunt præcipuæ:

I. Ut resideant in propriis ecclesiis, cum hæc sit canonicalium Beneficiorum natura. Sed ad humanam sublevandam infirmitatem, notat Benedictus XIV, aliquod vacationis temporis conceditur, quin aliquid amittatur de præbenda. Attamen: *Non liceat,* ait Tridentinum, *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt* (sess. XIV, c. 12 *de Ref.).* Ubi notandum non omnes simul Canonicos abesse posse diebus permissis; nam vacationes conceduntur Canonicis, non Capitulo; et Ecclesia convenienti servitio nunquam est destituenda. Item vacationis tempus incidere non debet in majores solemnitates et earum octavas, neque in Adventum et Quadragesimam.

II. Ut omnes choro statis horis intersint ad psallendum ex eodem Concilio, nec obstat quod Canonici sint pauci, v. g. tres vel duo ex S. Concilii C. Non autem satisfaciunt etsi præsentes per privatam recitationem ex Benedicto XIV; sed tenentur cum aliis ad cantum vel recitationem concurrere voce satis elata.

(1) Quoad erectionem confraternitatum, aggregationem, et statutorum confirmationem Vicarius capitularis *se abstineat,* ex S. Congr. indulgentiarum 15 nov. 1874.

Canonicus qui sine gravi causa non accedit ad chorum nequit lucrari distributiones, etsi consocii eas condonent (1). Insuper primo anno erit privandus dimidia parte fructuum præbendæ et residentiæ; secundo anno omnibus fructibus; crescente contumacia tertio anno (servatis regulis juris) ipso beneficio. Porro est quidem pœnale, quod debeat privari dimidiis vel omnibus fructibus præbendæ, et ideo non ante sententiam solvendis. Sed distributiones absentiæ respondentes, statim in conscientia amittit; nam præsentia est conditio sine qua illas non facit suas (*Scavini*, l. I, n. 616).

III. Ut Missam quotidie in cantu applicent Ecclesiæ benefactoribus, a qua quidem neque immemorialis consuetudo excusat, et obligat sub gravi et in solidum omnes capitulares, ex Benedicto XIV Constit. *Cum sempèr*, et pluribus S. Congregationum declarationibus. Quæ Missa potest maxime ferialibus diebus applicari per Capellanos choro addictos, congrua eleemosyna constituta (2). Die autem quo Episcopus pontificaliter celebrat, Missa conventualis adhuc applicari debet; sed satis est si dicatur lecta ante vel post Missam pontificalem, ex S. Rituum C. 12 nov. 1831. — Attamen, si canonicatus sint admodum tenues, Missæ applicatio ab ipsa Concilii Congregatione (si fiat recursus) reducitur ad festos dies tantummodo; esset tamen quotidie celebranda.

263. Canonici autem Ecclesiæ cathedralis tenentur insuper Episcopo adsistere et inservire solemniter celebranti vel pontificalia exercenti in Cathedrali. Imo licet Episcopo canonicos Cathedralis compellere ut sibi inserviant quoties in civitate et suburbiis pontificale munus exercet, modo servitium chori non fraudetur. In omnibus autem ecclesiis sive parochialibus sive collegiatis etiam insignibus, canonici Cathedralis primatum tenent; atque ad ipsos, si ab Episcopo invitati (quod semper ipsi licet, imo conveniens est, si aliud non obstet, ut ita caput a suis membris ac senatu honorem recipiat) ubique et exclusive pertinet illi inservire, et assistere, quacunque consuetudine non obstante, ex pluribus S. Sedis Decretis (V. *Scavini*, l. I, nn. 597, 598; l. IV, n. 343).

(1) Tridentinum præcipit, ut absentes distributionibus careant, *quavis collusione aut remissione exclusa*, unde canonicus absens si eas accipiat, accipit invalide, ut declaravit Bonifacius VIII. Est porro *collusio* quando choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis; est *remissio* quando pars una sponte et sine ulla conventione jus suum ad distributiones illius qui abfuit, illi remittit. Adhuc tamen licita est mera et liberalis donatio, quæ fit cum canonicus distributiones jam perceptas non interessentibus donat, nullo pacto præcedente.

(2) Applicatio secundæ et tertiæ Missæ conventualis, quando plures præscribuntur in die, obligat tantum in iis capitulis ubi adest consuetudo ex Benedicto XIV Const. *Cum semper*. Attamen semper dicendæ sunt.

Item tenentur Canonici Ecclesiæ cathedralis Episcopum adjuvare in Diœcesis administratione quoad possunt, cum ipsi *sint consiliarii nati Episcoporum, adeo ut non liceat Episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare, inconsulto Capitulo:* ex Benedicto XIV *(De Syn.,* l. XIII, c. 1).

264. Causæ canonicos excusantes a Choro, quin amittantur præbendæ et distributiones, tres sunt ex Bonifacio VIII.

1) *Infirmitas,* si sit gravis vel gravis fieri possit per accessum ad ecclesiam; ideo excusatur senio confectus. Item ex S. C. cæcus; non vero tantum cæcutiens qui valeat legere; neque surdus — 2) *Rationabilis corporis necessitas,* sub qua intelligitur timor gravis damni in vita, in honore, in bonis, ut esset probabilius metus belli vel pestis grassantis in loco; excipe nisi Canonicus sit etiam in cura animarum — 3) *Ecclesiæ utilitas,* gravis judicio Episcopi vel Capituli; sive sit ecclesiæ propriæ, sive universalis. Hac ratione ut præsens habetur Canonicus theologus tota die qua legit; Pœnitentiarius dum in sua ecclesia confessiones audit; Curatus dum in parœciæ suæ cura versatur; Canonicus missus ad Concilium provinciale, vel ad Limina Apostolorum; duo Canonici qui comitantur Episcopum ad eadem Limina; etc. (1).

Notandum I. S. Congregatio Concilii declarando deberi distributiones juste impedito, solet addere clausulam: *Dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire;* injustum enim est infirmum lucrari distributiones quas lucratus non fuisset sanus. *Giraldus.*

II. Distributiones quæ *inter præsentes* speciatim appellantur, distinguuntur tum a præbenda tum a quotidianis distributionibus; et nonnisi vere et personaliter præsentibus præstari solent sive ex peculiari statuto aut consuetudine, sive ex benefactorum expressa voluntate, ut sunt anniversaria. *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 594.

265. **Canonici honorarii.** Ad augendum divinum cultum et Episcopi senatum decorandum in pluribus Capitulis (hodie præsertim cum temporum calamitate Capitulares imminuti sint) laudabiliter constituuntur, sive ab Episcopo cum consensu Capituli, sive a Capitulo cum consensu Episcopi; qui quidem locum habent in choro post Canonicos titulares. At præter jus interveniendi in choro cæterisque functionibus, præter honoris insignia quæ Canonicis titularibus sine alicujus juris læsione sunt communia; non possunt sibi tribuere alia canonica jura, quæ in receptione non fuerint eisdem concessa. *S. Concilii C.* 17 dec. 1836. Bouix.

(1) Onus adsistendi choro cessat Pontificio *jubilationis* indulto; attamen Capituli dignitates non ideo eximuntur ab iis peculiaribus functionibus peragendis, quæ ex consuetudine vel Statutis dignitati taxative inhærent. Jubilati habent jus omnia percipiendi, exceptis distributionibus pro anniversariis fixis, si obstet disponentium voluntas. In functionibus vero adventitiis standum est capitularibus statutis vel consuetudini. *Ita S. C. C.* 3 *sept.* 1870. De chori servitio, distributionibus, præcedentia, jubilatione; de Canonicis honorariis, coadjutoribus, etc. vide *Scavini,* l. I, n. 594; l. IV, n. 343.

ART. 2. — De Vicariis foraneis et Parochis.

266. **Vicarii foranei.** Sunt presbyteri quos in Diœcesi solent Episcopi constituere, ut eos adjuvent et limitatam jurisdictionem suo nomine exerceant. Ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis et peculiaribus Statutis, Vicarius foraneus vel qui ejus vices gerit, ad hæc præcipue tenetur:

I. Diligenter in omnes ecclesiasticos Vicariatus inquirere, an ea quæ de vita et honestate clericorum præscripta sunt, observentur, Parochi muneri suo satisfaciant, Bona ecclesiastica curentur. Investiget maxime in Congregationibus, an legata suo tempore impleantur, an Missæ præscriptæ adnotentur, an Acta baptismi, matrimonii, et mortuorum statim et sine lacunis exarentur; confessionalia, paramenta, libros, vasa sacra, etc. visitet. De omnibus autem fidem faciat, et quotannis Episcopum certiorem reddat. Si huic muneri rite satisfaceret, devitarentur tot malæ administrationes cum tanto ecclesiarum damno.

II. Delinquentes paterne primum admonere et corrigere; et dissidia, si quæ sint in Vicariatu, maxime inter ecclesiasticos, componere. Ecclesiasticos sui Vicariatus defunctos Curiæ episcopali denunciare. Si defunctus sit parochus, cito Vicarius foraneus in eam Parœciam se conferat; ejus curam committat idoneo sacerdoti confessario, donec certior efficiatur Episcopus. Dein libros, scripturas ac omnia documenta in tuto reponat.

III. Suo tempore Congregationes indicere, quibus ipse præsit, omnia præscripta adimplendo tum quoad functiones sacras, tum quoad casuum resolutionem, etc., maxime quoad refectionem, quæ frugalis sit oportet; convivæ ajebat Philosophus, *vel boni sunt et parum sufficit; vel mali, et superest* (1).

IV. Cum ad octiduum abesse voluerint a Vicariatu, si animarum curam gerant, discessum et absentiam Pro-vicario, vel antiquiori Vicariatus parocho significare.

(1) Hæ Congregationes (quas maxime commendat et ab Episcopis institui optat Pius IX Encycl. *Singulari quidem,* 17 martii 1856) si rite habeantur, sunt ecclesiasticæ disciplinæ vita ac tutamen, plurimumque conferunt ad mutuam caritatem fovendam, ad abusus tollendos, ad ecclesiasticam scientiam instaurandam; nam acuuntur ingenia excitanturque ad ea repetenda et accuratius expendenda quæ didicerunt; atque exercentur ad recte judicandum de factis specialibus, atque invicte propulsandos tot hodiernos contra religionem errores (*Scavini* id pluribus tuetur, l. I, n. 612).

Expensæ autem pro refectione frustra objiciuntur, si tamen temperantiæ et so-

267. **Parochus.** Est presbyter generatim ab Episcopo perpetuo et inamovibiliter sub sua dependentia deputatus, modis a jure præscriptis, ad spiritualiter regendam determinatam plebis diœcesanæ portionem. Hac de re fusius *Scavini, l.* I, *nn.* 435, 608 *et seqq.*; et Berengo, *Enchiridion parochorum,* opus præclarissimum. Hic erit de præcipuis obligationibus, quæ etiam Viceparochos tenent (1).

Parochi zelus et prudentia. 1) *Zelus;* ad hoc enim parochi missi sunt, ut nulli parcant labori ad animas lucrandas: *Nolite quiescere lucrari Christo qui lucrati estis a Christo,* ajebat d. Augustinus; et clamabat cum Apostolo: *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (II Cor. XI). At monet Kempis: « Habe primum zelum supra teipsum, et tunc juste zelare poteris etiam proximum tuum; passione interdum movemur et zelum putamus; porro homo passionatus etiam bonum in malum trahit » — 2) *Prudentia,* hæc namque et zelum et virtutes omnes dirigere debet: *Tolle prudentiam et virtus vitium erit,* ait d. Bernardus. Hac de re præcipue notamus.

I. Quilibet parochus electionem suam statim parœciæ proceribus significet, et vel ab initio muneris sui pastoralis usibus parœciæ accommodare se curet, ne nova inducens animos avertat. Cum autem in illum sint omnium oculi, se et rem suam domesticam ita componat, ut nil sit redarguendum. Ne delatoribus fidat, qui non parœciæ bonum, sed proprium quærentes ipsum præoccupant, divisiones excitant.

II. Urbanitatem jugiter servet cum civilibus potestatibus et notabilioribus suæ parœciæ, ut quoad fieri potest, habeantur benevoli ad bonum. Hæc tamen urbanitas, prout scite notat cl. Berengo, non est confundenda cum servilitate, neque ita extendenda ut videatur erroris ac vitii approbatio. Nulla transactio aut conciliatio cum falsis principiis; ast in ipsa oppositione, nulla asperitas; et caveat ne publice in ecclesia ita loquatur, ut videatur designare personas; nam se exponeret legum

brietatis leges serventur. Pro exemplo sit quod sapienter habet cl. episc. Novariensis Lit. 16 apr. 1877, ubi præ cæteris præscriptionibus addit *mensam esse debere ita frugalitate temperatam ut ternarius ferculorum numerus nunquam excedatur, contra agendi ratio omnino devitanda.* Et anno 1874 Comensis Episcopus præscripsit, una tantum vini species et duo tantum fercula apponantur præter jurulentum, caseum et fructuum discum et salsamentum quod cæteris cibis præmitti solet. In solemnitatibus tamen parochialibus concedit ut et aliud ferculum et altera species addatur.

(1) De *parochi vocatione,* de *nupero parocho,* de *libris parochorum* v. Scavini, l. I, nn. 608 et seqq. Et maxime l. IV, monita plura ac præclarissima.

civilium rigori. Curet evitare omnem cum potestatibus collisionem; quod si non valeat Episcopum adeat, et ab ejus nutu pendeat (V. clar. Rivarolo, *Il governo della parrocchia considerato ne' suoi rapporti colle leggi dello Stato.*

III. Ne sese ullo modo immisceat in negotiis ac controversiis Communitatis; neque in matrimoniis concludendis (nisi agatur de aliquo scandalo auferendo), ne multos a se avertat, et dicteriis locum faciat. Fugeat rumores, publicos ludus, et sæcularia convivia; in his generatim modus non servatur, pietas non raro irridetur, et ipsa fides labefactatur.

IV. Sit cautus et modum servet (neque enim omnia semper expediunt quæ bona sunt) tum in abusibus evellendis, ne eos adaugeat dum vult subito auferre; tum in propriis juribus defendendis, ne dum minimum curat, quod est majus amittat; tum in extraordinariis etiam pietatis operibus ac institutionibus inducendis, si promovendo quod est consilii, periculo exponat quod est de præcepto. Ut tuto agat, extraordinaria ac nova non tentet sine superioris judicio: *nil magis* (dicente Chrysostomo) *animos perturbat, quam novitas.*

V. De nullo sinistre loquatur: omnes sine ulla acceptione divites ac pauperes paterne audiat et patienter sustineat; ac secretum teneat. Videat ne suum antecessorem incuset; nemo enim magis contemnitur quam qui contemnit; sed si quid ille minus recte egit, in silentio corrigat. Et si cupit, ut omnia prospere cedant, concordiam studiose tueatur cum suis capellanis ac coadjutoribus; nam ubi unitas ibi perfectio. Item viciniores parochos, ac Clerum universum honoret; et honorabitur.

VI. Ne animo concidat si instant tempora mala, et plures videat a recta via deficere; sed in Domino fidens oret, obsecret, instet cum omni patientia et doctrina, memor illius Apostoli: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur: tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple* (II Tim. IV). In tanta igitur populorum quotidie crescente necessitate et operariorum inopia, ne arma projiciat, ne stationem suam deserat talentum Domini sepeliendo: sed semel legitime missus fortis et prudens erigat cor, vires addat; dabit virtutem qui contulit dignitatem. Et erit merces ejus magna nimis; neque enim respondere debet de fructu percepto, sed de labore bene impenso: *Unusquisque autem* (ait Apostolus)

propriam mercedem accipiet (non secundum fructum, sed) *secundum suum laborem* (I Corint, III). «Fidelis igitur labora, o homo Dei, in vinea Domini; scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria; digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna. » *Kempis.*

268. **Parochorum Residentia.** Tridentinum postquam decrevit residentiam esse graviter Episcopis præscriptam, declarat idem esse affirmandum *de Curatis inferioribus et alis quibuscunque, qui Beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent* (sess. XIII, c. 1 *de Ref.*). Quare ex pluribus decretis S. Concilii Congregationis uno ore definiunt Canonistæ, parochum teneri ad residentiam etiamsi haberet parœciam tenuem; quamvis tres tantum vel quatuor remanerent incolæ; quamvis ipse sit ad nutum amovibilis. Imo neque abesse posse ob intemperiem, vel aeris insalubritatem. Tanto minus tempore pestis (vel alio grassante contagio). Gregorius enim XIII 6 dec. 1576 decrevit, *Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis; et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini,* id est præmissis necessariis monitionibus ac citationibus (*S. Alphon.*, lib. IV, n. 127. De tempore pestis plura in fine in Append).

269. **Principia.** I. Parochus qui sine legitima causa non residet, graviter peccat et amittit ipso facto, etiam nulla declaratione secuta et quacunque compositione remota, fructus qui absentiæ respondent: qui quidem ex Tridentino debent erogari vel fabricæ Ecclesiæ propriæ vel loci pauperibus (*Sess.* XIII, c. 1 *de Ref.*). Hoc autem verius valet etiam de parocho qui residet quidem, sed otiose munera sua non implens.

II. Ad utilem autem residentiam tenetur parochus non tantum jure naturali ex vi muneris, non tantum jure pontificio, sed probabilius ipso divino jure, uti supponit Tridentinum, *Sess.* XXIII, c. 1 *de Ref.* (*Scavini*, l. I, n. 615).

Ad quæsitum: *An Parochus villæ, in qua non est alius sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episcopi licentia gratis concedenda, abesse possit a Parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto vicario?* Negative.

An saltem abesse possit a mane usque ad vesperas, et quid si hoc semel in hebdomada evenerit? Affirmative, *dummodo non sit die festo, et nullus adsit infirmus, et raro id in anno contingat.*

An Parochi viciniores actu exercentes curam animarum possint invicem se substituere? Negative, *si id fiat sine licentia Ordinarii.* S. R. C. 8 febr. 1747.

Parochus habitet domum suæ Ecclesiæ, si in parœcia adest; si

non adest, resideat in alia domo, quæ sit intra limites parœciæ, et quoad potest, ita propinqua Ecclesiæ parochiali, ut commode ei possit inservire, et parochiani facile valeant ad ipsum recurrere. Id S. Concilii Congregatio et ipsa parochialis officii natura postulat.

270. Tridentinum tamen ob quamlibet honestam causam parochis concedit absentiam per duos menses, si tamen causa admittatur ab Ordinario, et Vicarius idoneus substituatur de ejusdem Ordinarii approbatione. Si causa urgeat, relicto idoneo Vicario, parochus discedere poterit; sed quam primum moneat Episcopum, nisi brevi sit reversurus. Excusant autem a mortali parochum qui cum causa, inconsulto Episcopo discedat, v. g. per unam hebdomadam, et juxta alios per duas, modo Vicarium idoneum constituat *(S. Alph.,* l. IV, n. 123).

Parochus ultra bimestre abesse potest de superioris licentia, si exigat: 1) *Caritas christiana,* ut si agatur de liberando aliquam ecclesiam ab hæresi — 2) *Obedientia debita,* ut si a Papa alio mittatur ob gravem causam — 3) *Evidens utilitas,* nempe reipublicæ vel Ecclesiæ, v. g. ut assistat synodo — 4) *Necessitas urgens,* quoad ipsos pastores; nempe excusantur pastores quando eis imminet periculum extrinsecum et personale gravis damni, modo præsentia pastoris non sit necessaria ad salutem subditorum, nempe ad confirmandos eos in fide vel ad Sacramenta eis administranda: *Ille qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit;* est commune cum d. Thoma, 2, 2, q. 185, a. 5. Non vero licet ob periculum commune, uti bellum, pestis.

Bouix refert quod S. C. C. infirmis licentiam datam probavit ab Ordinario ad quatuor menses. Si vero agatur de gravibus inimicitiis absque culpa parochi contra ipsum personaliter exortis, S. C., teste Fagnano, solet sex menses concedere absentiæ, deputato vicario idoneo. Et si lites non possunt componi, ad alios sex menses absentiam permittit; sed postea inducendus est parochus ad resignandum vel permutandum beneficium *(Acta S. Sedis,* t. VII, pag. 681; *Scavini,* l. III, n. 710).

271. **Parochus quoad Ecclesiam ejusque cultum.** Hæc speciatim observare debent parochi, ut:

I. Bona et jura suæ Ecclesiæ diligenter tueantur, omnia documenta in archivio diligenter servando, et adnotando legata, pia onera eorumque reductiones et adimplementa. Debent autem conficere inventarium omnium bonorum, cujus exemplar unum in Curia episcopali, aliud in archivio ipso parochiali retinen-

dum est. Item eadem bona defendere, administrare, ut bonum œconomum decet; et civiles leges hac de re observare, ne mulctetur (præter cl. Rivarolo vide Stocchi, *Guida amministrativa per i parrochi*. Et Scavini, *de Archivio*, l. III, n. 703).

II. Functiones per annum peragendas adnotent, et omnia quæ in dies occurrunt observatione digna; item diversa emolumenta quæ sunt percipienda, scribant, ut sibi et successoribus suis secura norma præbeatur (*Scavini*, l. I, n. 618).

III. Studeant, ut templum, altaria, supellectilia et cætera ad usum sacrum congruo decore niteant, dilacerata statim reficiendo, et inquinata poliendo. Neque inopiam Ecclesiæ objiciant; mundities cum paupertate componi potest, ut ait Benedictus XIV, Const. *Annus* 1749 (v. *Scavini*, l. IV, n. 404).

IV. Novas imagines publicæ venerationi in templis ne proponant, nisi obtenta Episcopi facultate et benedictione præmissa. Item sine facultate nova templa vel altaria excitent, vel jam erecta diruant aut transferant, vel quidquam novæ ædificationis moliantur, prout in Jure canonico præcipitur. Item Ordinarii auctoritas requiritur si sint benedicendæ capellæ ex devotione per vias et campos erectæ; oportet tamen ut rite sint depictæ, non deformiter, non inverecunde.

V. Sciant ex S. Concilii Congregationis decreto ab Urbano VIII et Innocentio XII confirmato vetitum esse Capitulis, Parochis, Confraternitatibus et omnibus episcopali jurisdictioni subjectis perpetua onera Missarum vel aliud pium onus suscipere absque expressa Episcopi venia. Omnes meminerint illud s. Ignatii Martyris: *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam pertinent.*

VI. In omnibus functionibus diligentiam et religiosam observantiam curent; his enim mire fovetur populi pietas. Neque cantum negligant; ait enim d. Bernardus: *Cantus in Ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat; nam quantumvis dura sint corda sæcularium hominum, statim ac dulcedinem Psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur*. Neque officit, quod non omnes intelligant quæ cantantur: *intelligunt,* ait Angelicus, *propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei: et hoc sufficit ad devotionem excitandam* (2, 2, q. 91, a. 2). Item illis cordi sint etiam religiosæ laicorum sodalitates earum zelum excitando, concordiam fovendo, easque patienter sustinendo.

VII. Omnem suspicionis notam a se avertere studeant; ideo

ne faciles sint apud se Ecclesiæ redditus custodire. Paulum imitentur quantum fieri potest; ille enim collectas eleemosynas ab aliis retineri voluit (II Cor. XVI). Videant tamen in cujus manus illæ veniant; non raro enim ad cultum proprium applicantur quæ sunt impendendæ in cultum Dei; ideo probos ac providos administratores eligi curent *(fabbricieri)*, iisque invigilent. Quod si Ecclesiæ bona administrent, me differant de die in diem acta referre in libro ad id designato, et meminerint illud Ecclesiastici XLVII: *Ubi manus multæ sunt, claude; et quodcunque trades, numera et appende; datum vero et acceptum omne describe* (1).

272. *Regulæ ad praxim.* 1) An parochis liceat permittere ut inducantur in templum vexilla profana ad celebrandas solemnitates clamosas, ad solum finem celebrandi festa sæcularia in rebus pure politicis? S. C. Episc. 15 jan. 1848 respondit: *Negative* (2).

2) Parochi sine Episcopi licentia non debent ex Benedicto XIV Bulla *Quemadmodum* 1743 publicas preces agere ab auctoritate civili præscriptas, v. g. *Te Deum* ob habitam a principe victoriam vel aliam publicam popularis lætitiæ causam. Civiles auctoritates id poscentes humanitus excipiant, et statim responsum a superiore exposcant. Cæterum si talia officia ob eandem causam jam fuerint in Cathedrali celebrata maxime inteveniente Episcopo, permittuntur.

3) Non licet parochis indulgere, ut in ecclesiis ubi asservatur Ss. Sacramentum qualescunque civiles conventus habeantur sine prævia Ordinarii facultate. Id permittitur ob gravem et urgentem causam si agatur de aliis ecclesiis, sed quamprimum Episcopum certiorem faciant. *Conventus Episcopor. provin. Vercell. 8 nov.* 1849.

4) Non decet ecclesiasticos ut partem habeant clamosis populorum demonstrationibus, tanto minus ut eas in ipso Sanctuario permittant et agant. *S. C. Episc.* 15 *jan.* 1848 (3).

273. **Catholicæ laicorum associationes.** Associationibus in malum utuntur mali, æquum igitur est ut iis in bonum utantur boni, (scite notat cl. Berengo). Sic enim mali diffusio circumscribitur et impeditur; timiduli publico bonorum exemplo animum sumunt, nihil facientes convicia ac cæteras malas impiorum artes; et singuli *habent emolumentum societatis suæ,* ut ait Ecclesiastes, *et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei; funiculus triplex difficile rumpitur.* Hinc Pius IX passim suis Literis præsertim 25 sept. 1876 et 15 nov. 1877 tales societates per varias catholici orbis partes diffusas laudat. Quæ ideo, quoad prudentia suggerit, a

(1) Plura apud Scavini, l. I De *fabriceris* n. 622; De *confraternitatibus* n. 625: De *Ecclesiæ scamnis* n. 624.

(2) Quod si parochus non valeat id prohibere, quin turbæ excitentur, ad majora mala vitanda passive se habeat (quin velit more castrorum Ecclesiam defendere): ecclesiasticas functiones quiete prosequendo, quin ullo modo active cooperetur. Sed si tempus suppetat, semper recurrendum ad Episcopum. Plurima pro praxi apud *Scavini,* l. I, n. 613; l. IV, n. 236.

(3) Huc facit cl. Episcopi Comensis præscriptio: *Graviter prohibemus sub pœna nostro arbitrio statuenda, ne quis ecclesiasticus ad convivia accedat quæ propter aliquam politicam vel civilem causam celebrantur* (v. Scavini, l. IV, nn. 10 et seqq.).

parocho curandæ sunt, maxime in locis frequentioribus, audito Episcopo, ut opportunum consilium tribuat ac regulas approbet. Verum dum parochus omnia dirigere debet; ejus directio quo minus fieri possit, appareat.

Hæc de masculeis societatibus. Pius IX Lit. 11 sept. 1876 etiam *mulierum associationes* commendat, ut exinde pro variis rerum circumstantiis opportunum ponatur obstaculum tot tantisque inimicorum artibus quibus fœmineo sexui insidiantur. Ne tamen junior sacerdos eas suscipiat dirigendas; et vel ipse parochus ne immediate cum ipsis agat, neque in domum suam congreget; sed eas per aliquam piam ac maturam mulierem dirigat; caveat ne aliquid ipsis suggerat quod vergat in sui utilitatem, v. g. Missas celebrandas. Uno verbo ita prudenter agat, ut malignantes nihil habeant dicere de illo (V. *Scavini,* l. IV, nn. 289 et seqq.: et cl. Barengo) (1).

Ecclesia libenti animo vel ipsas *operariorum societates* in suam tutelam suscipit; imo optat, ad tot malis hodie serpentibus occurrendum illas tueri. Hinc feliciter regnans Pontifex Leo XIII Encycl. 28 dec. 1878 ad rem habet: *Cum socialismi sectatores ex hominum genere potissimum quærantur, qui artes exercent vel operas locant, quique forte pertæsi divitiarum spe ac bonorum promissione facillime alliciantur, opportunum videtur artificum atque opificum societates fovere, quæ sub religionis tutela constitutæ omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac tranquillam vitam agendam inducant.* Sane satis notum est quot et quantum olim floruerint, quando catholica religio eas moderabatur. Cuilibet arti suum erat sodalitium, Sancto auspice qui eandem artem exercuerat, cujus quidem imaginem societatis vexilla benedicta referebant, ejusque festum solemni pompa singulo quoque anno celebrabatur. Scopus erat omnia religiosa officia obire, sociorum necessitatibus subvenire et artium progressus fovere. Aurea ætas! sed obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; nunc enim consociare contendunt Christum cum Belial; nunc est saltare, perstrepere, nepotari, conjurare, ab opere abducere *(sciopero),* et a religione socios retrahere, etc. Si adhuc religioni datum esset has societates moderari, earum emblemata, Episcopo annuente, adhuc certe poterunt cœlesti benedictione donari. Quod vehementer optat pia mater Ecclesia; sed cogitur filiorum suorum deliramenta lugere, et aliquando etiam eorum inopinatas aggressiones sustinere, passive se habendo ne pejora mala eveniant.

274. **Parochus quoad Prædicationem et catechesim.** En obligatio urgentissima hodie magis in tanta ignorantia rerum fidei, contra quam nulla invocari potest desuetudo; etenim quæ ad salutem animarum pertinent, non præscribuntur. Ad id parochi, vel qui illorum vices sustinent, sub gravi tenentur: 1) Jure *naturali,* ratione nempe oneris sibi assumpti æternam

(1) Leo XIII prima Encycl. *Inscrutabili Dei consilio* ad catholicum Episcopatum die 21 apr. 1878 fidelium societates commendat ad singulorum hominum mores et vitæ rationem reformandum: *In quem finem* (ait) *non parum profecto confert pias illas consociationes moderari et provehere, quæ magno rei catholicæ bono nostra maxime hac ætate constitutæ sunt.* It. v. Breve 23 sept. 1878 ad Comitatum permanentem catholicorum congressuum.

ovium salutem procurandi, quod quidem obtineri nequit nisi de fide doceantur; nam dicente Apostolo: *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi* (Hebr. x) — 2) Ex debito *justitiæ*, adeo ut si deficiant respondentes fructus restituere debeant; nam isti dantur propter officium, cujus præcipua pars est certo instructio danda — 3) Jure *divino*, nam conceptis verbis docet Tridentinum præcepto divino mandatum esse omnibus quibus animarum cura commissa est, *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbi Dei prædicatione pascere* (sess. XXIII, c. 1 *de R.)* — 4) Jure *ecclesiastico*, id enim Tridentinum pluries urget, mandans:

1) Ut diebus saltem dominicis et festis solemnibus (inter Missarum celebrationem) populum edoceant pro sui et illius capacitate, cum brevitate et facilitate sermonis, etiam lingua vernacula, si opus sit et commode fieri poterit (1). Quod si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, pœnis cogantur (*sess.* XXII, c. 3). Sacra autem Concilii Congr. 1 apr. 1876 decernit: *Tenentur parochi diebus dominicis et festis de præcepto populo sermonem habere juxta Concilii Tridentini præscriptionem. Attamen erit prudentiæ Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus.*

2) Ut fideles in christiana doctrina erudiant, et pueros in fidei rudimentis et obedientia erga Deum et parentes instruant; idque adhuc sub pœnis, non obstantibus privilegiis ac consuetudinibus *(sess.* XXIV, c. 4, et 7; *sess.* V, c. 2 *de Ref.)*. Neque catechista animo concidat si paucos habeat auditores; ipse Dominus Noster, ut notat d. Carolus, cum Dei sapientiam aperiebat mundo, paucitate discipulorum contentus fuit, imo aliquando solam mulierem Samaritanam alloquebatur. Quanquam numerus augeri potest, si expositio rite fiat, si vivida, clara, facilis, exemplis et similitudinibus convenienter conspersa, et temporum personarumque circumstantiis plane accommodata.

Ex dictis patet concionem cum catechesi non esse confundendam. Hinc Benedictus XIV Const. *Etsi minime* habet: *Duo potissimum onera a Tridentina synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum ut pueros et rudiores quoque divinæ legis fideique rudimentis informent.* Ideo commune est a mortali non excusari:

(1) *Credite mihi,* ait s. Doctor Salesius, *loquor experientia doctus eaque diuturna: quo plura dicetis, eo minora consequimini.* Minus populis nocet nimia brevitas, quam nimia prolixitas. V. Gousset, *De Ordine* ubi de parochis.

I. Qui per unum mensem continuum, aut tres menses discontinuos huic muneri non satisfecerint. Imo minus temporis spatium sufficit ad mortale, si populus instructione graviter egeat. Quod de pueris præcipue locum habere potest; et ideo sapienter inductum ac præscriptum est, ut specialis habeatur catechesis extra festos dies pro pueris, adventante Episcopo, ad Confirmationem præparandis; et in tota Quadragesima pro illis disponendis ad Confessionem vel primam Communionem.

II. Qui prædicationem agunt capacitati audientium minime accommodatam, nempe habendo conciones ita ornatas, ut major audientium pars intelligere nequeat (1).

III. Qui fere nullam præparationem præmittentes ita loquuntur, ut omnia sine ordine, multa inutilia proferentes in auditoribus fastidium, in ministerium contemptum excitent (*S. Alph.*, l. III, n. 269) (2).

Pro coronide præstat nonnullas S. Concilii declarationes referre quoad prædicationem et catechesim.

1) S. C. C. interrogata: Utrum parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimæ habentur conciones per præcones ab Ordinario approbatos, soluti sint ab obligatione in Missa parochiali explicandi Evangelium, respondit 29 martii 1817 *Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cujuslibet parochiæ*. Sed die 30 aug. ejusdem anni, cum Archiepiscopus Pisanus etiam dictis diebus obligasset parochos, ad familiares conciones habendas inter Missarum solemnia, ut populi præsertim rudis ignorantiæ consuleret, S. C. respondit: *In casu de quo agitur, servandum esse decretum Archiepiscopi.*

(1) « S. Tommaso da Villanova dicea: *Per convertire i peccatori e cavarli dal fango delle loro sozzure, vi bisognano saette di fuoco; ma come possono uscire queste saette di fuoco da un cuore di neve e freddo di amor di Dio?* La sperienza ben fa credere che tira più anime a Dio un sacerdote di mediocre dottrina, ma innamorato di G. Cristo, che non molti dotti ed eccellenti oratori, che col loro dire incantano le genti. » Liguori, *Regolamento pei seminarj*.

(2) Notat Gury ex Bouvier: parochus qui pias lectiones habet legendo, officium suum non satis complet; nam lectio non est prædicatio. Quod si aliter non valeat identidem alium ad prædicandum invitet vel Episcopum moneat, ut provideat.

An autem melius sit ut catecheses, sermones, conciunculæ habeantur ex improviso, prout ex corde erumpunt, respondet Scavini, l. IV, n. 16: « Siete giovane? scrivete, scrivete e scrivete sempre: credetemi, è un amico d'esperienza che vi parla; niente d'improvvisato. Voi ora avete più immaginativa che sostanza. Quando col procedere degli anni, quest'immaginazione verrà meno, se non trovate d'aver scritto, sarete ridotti a grande miseria. Bisogna assolutamente scrivere prediche, catechismi, esortazioni e simili; e aver almeno almeno tre corsi, onde non ripetervi con troppa noja di chi v'ascolta e saprà già ciò che volete dire. « Chi ha » composto (dicea Collet) un triplice corso di prediche, può renderle periodiche, » contentandosi di comporne alcuna di nuovo a quando a quando; nè deesi credere » che l'uditore se le ricordi così facilmente e ne provi dispiacere; poichè l'autore » stesso dee talfiata durar fatica a richiamarle alla memoria. » Scrivere adunque; ma medesimamente studiar bene ciò che si è scritto per recitarlo con franchezza, con sentimento, e però con frutto: è un grande avviso; chi ripete, balbetta, ha perduto oltre alla metà del suo prestigio. Massillon interpellato un giorno di quale de'suoi sermoni si chiamasse più contento, con accorta franchezza rispose: *Il mio miglior sermone è quello che meglio appresi a memoria.* »

2 Non licet parocho quando per se ipsum prædicat prætendere prætextu cujuscunque paupertatis eleemosynam, quam dare solet Communitas aut fabrica Ecclesiæ prædicatoribus externis ex *S. C. C.* 28 *martii* 1621. Sed bene potest sponte oblatam acceptare ex *S. C. Episcop. et Reg.* 30 *jan.* 1615, prout fieri solet, et præstat in tanta quotidie crescente redituum imminutione.

3) Parochi quibus incumbit principaliter cura animarum, quamvis alii adsint sacerdotes ad eos adjuvandos vel certis diebus curam exercendam, tenentur prædicare et explicare catechismum per se ipsos omnibus diebus festivis, nisi sint legitime impediti. It. S. C. in *Nullius* 30 julii 1591; in *Tolentina* 26 maji 1639; *Montis Falisci* 8 maji 1706; *Nullius Orbetelli* 28 apr. 1736. Cæterum præstat aliquando, ut alius a parocho prædicet; vox diversa magis populum allicere solet; idque maxime si parochus senex sit, si non sit adeo firma valetudine, si fideles ægre ipsum audiant ob aliquam imperfectionem, etc.; esset certo hæc legitima causa, cum melius obtineatur prædicationis scopus.

Semper vero firma remanet obligatio quoad coadjutores illius vices supplendi tum in prædicatione tum in catechesi tradenda quoties ipse petit, ne nomen frustra usurpent, atque ut exercitati valeant rite sustinere partem principalem si ad id mittantur. Neque ipsorum est renuere prætexendo parochum legitime non impediri; nam Ordinarii erit, si opus sit, id definire. Cæterum omnium ecclesiasticorum vel ipsorum clericorum esse debet parochum adjuvare ad pueros puellasque in diversas classes distributos in catholica doctrina erudiendos. Hoc nobile et sanctissimum opus omnes Constitutiones synodales gravissime urgent, et RR. Pontifices pluribus indulgentiis illud exercenti concedunt. Probrosum sane si ecclesiastici excusationem quærerent ac fastidirent tam salutare munus quod summi viri Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gerson, Bellarminus, Gerdil, etc. alacriter et assidue obibant (V. *Scavini*, l. II, n. 920; et infra dicenda n. 843).

275. **Resolutiones.** Si parochus cupit, ut concio, instructio et omnia in parœcia prospere cedant, ad hæc præcipue intendere debet:

I. Prædicationem temporum conditioni accommodet, serpentes errores insectando, fidei pericula, ac callidas impiorum fraudes prudenter patefaciendo; sed ne ejus prudentia sit pusillanimitas: si inimici multiplicati sunt super numerum, non vereatur; nec faciat animam suam pretiosiorem quam se. Attamen insectando errores meminisse debet illud Doctoris Maximi: *Diligite homines, interficite errores.* Ne igitur offendantur personæ eas fere designando, vel civiles potestates zelo amaro et intempestivo impetantur, quod fieri nequit sine nostra, ac ministerii nostri maxima jactura.

II. Præstat ut interdum aliquam extraordinariam prædicationem curet, exercitia, missiones, *quas* (verba sunt Pii IX Encycl. *Nostis) ubi operariis idoneis commissæ fuerint, valde utiles, benedicente Domino, esse constat tum fovendæ bonorum pietati, tum peccatoribus et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem pœnitentiam excitandis.* Et ex s. Alphonso: *parochus qui missiones non curat suspicionem ingerit suorum morum* (Ho. Ap. *tr.* VII, *n.* 31). Illis tamen finitis maxima esse debet parochi cura, ut fructus perduret (v. *Scavini*, l. I, nn. 451, 634; et l. IV, n. 5, ubi plura sunt monita ad prædicatores et missionarios) (1).

(1) Propositio Synodi Pistoriensis n. 65 enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum quæ dicta sunt exercitia vel missiones.... forte nunquam*

III. Sciat parochus se proprio muneri haud satisfacere, si quam aliis inculcat pietatem, ipse non exprimat in se, factus *forma gregis ex animo*. Observat Concilium Urcellense: *Magis oculis, quam auribus credunt homines;* quod verbo docet, exemplo confirmet.

IV. Si aliqua publica ac gravi calamitate populus percutiatur, plurimum juvabit si parochus breves ac opportunos habeat sermones, movendo tamen ad compunctionem, et compatiendo; non afflictionem addendo et exasperando. Hortetur fideles suos ad orationem, jejunium et eleemosynam; nam eleemosyna peccata redimit, jejunium purgat a vitiis, oratio Deum propitium facit. Hortetur ad religiosum festorum dierum cultum, ad Dei et Ecclesiæ præceptorum observantiam; ab avaritia, a luxuria, ab ebrietate, a blasphemia populum avertat. Hæc enim sunt, quæ iram Dei maxime provocant *(Scavini,* l. IV, n. 52).

V. Tandem quoad potest ne publicas scholas negligat, a quibus generatio futura præcipue pendet. Parochi regionum maxime ruralium adhuc in illis pars magna est; curet ergo, quantum in ipso erit, ut boni eligantur magistri quos sibi benevolos faciat; scholas identidem visitet, scholares interroget, hortetur, donis alliciat, eorumque experimentis interesse ne fastidiat; quod si quid inordinatum reperiat, ne illico se a bono proposito retrahat indignabundus, ut nonnulli faciunt; sed quamdiu aliqua spes adest obsecrando, instando opportune et etiam importune, studeat malo mederi. At magna cautela opus est in parocho, si res sit de fœminarum gymnasiis; rarior sit visitatio, brevis et gravis cum magistra sit sermo, nunquam solus cum sola; hoc debet et sibi et aliis, ita ut nemo habeat malum dicere vel suspicari de illo *(Plura apud Scavini,* l. II, n. 702).

276. **Parochus quoad correctionem.** Omnes qui animarum curam gerunt, tenentur sub gravi et ex justitia etiam cum discrimine vitæ corrigere oves suas quæ versantur in peccato mortali, ut sunt concubinarii; vel in proximo ejus periculo, ut sponsi qui libere ante matrimonium conversantur. Neque solum in extrema necessitate spirituali, si nempe jamjam animam agant: sed etiam in gravi, ut sunt ii qui habitualiter ducunt in malum dies suos. Et sane *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (Joan. X). *S. Alph.,* l. II, n. 27 (1) — Imo non obligantur tantum ad impedienda gravia, quæ vident, peccata; sed etiam ad inquirendum, cum prudentia tamen, num aliquis in iis versetur. Parocho commissa est salus uniuscujusque ovis: porro *illud quod debetur alicui determinatæ et certæ personæ sive sit bonum corporale sive spirituale, oportet quod ei im-*

aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura, damnata fuit ut temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie et salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa. Bulla *Auctorem fidei.*

(1) Item præstat ut parochus in antecessum commoneat et instruat fideles maxime si rusticanos et literis ignaros de aliquo speciali eventu, v. g. de eclypsi, ne terreantur; ac de aliis extraordinariis quæ illis detrimento esse possunt, ut sibi opportune provideant; est enim parochus illorum magister, tutor et pater.

pendamus, non expectantes quod nobis occurrat; sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquiramus. Unde sicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere ad hoc, quod eum corrigat de peccato. Ita Angelicus cum communi (2, 2, q. 33, a. 2).

Hoc tamen intellige, si adsit emendationis spes: quod solari debet bonos pastores qui hac de re anxii esse solent. Aliquando enim *impossibile* est ut omnes singillatim corrigantur, si delinquentes multi sint; tunc id passim ac prudenter fiat in concionibus. Aliquando *periculosum*, cum sint homines quos si monueris, pejores fiunt, et scandala et persecutiones augent. Aliquando *frustraneum* omnino, et tunc ne effundas sermonem ubi non est auditus, sed precibus adjuventur, ut convertantur et vivant. Verum nonnunquam frustranea est admonitio, quia non fit debito modo, sed cum asperitate; oportet enim ut monet Pius IX delinquentes *in spiritu lenitatis et mansuetudinis paternis monitis corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia, doctrina, quum* sæpe plus ergo corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas (*S. Leo, Serm.* VIII). V. *Scavini, de modo corrigendi*, l. I, nn. 452 et 646 (1).

277. **Parochus quoad Missam pro populo.** Ex divino præcepto (ait Tridentinum) mandatum est omnibus, qui curam animarum habent ut pro populo Sacrificium offerant: *Omnis namque pontifex... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr. v). Quoties autem id debeant, controversiam definivit Benedictus XIV Bulla *Cum semper* (1744), ubi sancitum est omnes Parochos, sive sæculares sive regulares, etsi sint Vicarii-curati qui nempe curæ actuale exercitium habeant, sed cura habitualis sit, v. g. penes Capitulum (2); imo etsi ad nutum amovibiles vel depu-

(1) Ut tamen rite provideat suarum ovium necessitati, oportet, ut eas agnoscat; uti Tridentinum habet *Sess.* XXIII, c. I *de R.*; et Christus imperat (*Joan.* XX). Quod ut facilius parochus obtineat, censum animarum accurate describere debet.

Optimum etiam erit, si parochus librum conficiat, in quo ordine alphabetico scribat omnia cognomina, nomina et paternitatem, notando diem mensem et annum, in quo unusquisque parochianus baptizatus, confirmatus, nuptus vel ordinatus et mortuus est. Labor pro una vice, sed plurimum inserviet, cum de aliquo quæritur. V. *Analecta Juris pontificii*, an. 1860: *Livre de l'état des âmes:* Scavini, l. I, n. 614.

(2) Hi perpetui sunt cum juribus et oneribus veri parochi, quique proinde administrant parœciam independenter a parocho habituali; qui si videat vicarium male se gerere, non potest illum amovere, sed habet tantum ut recurrat ad Episcopum.

tati sint ad tempus tantum (Vice-parochi), teneri sub gravi applicare Missam pro populo omnibus dominicis ac cæteris festis de præcepto, licet congruis reditibus destituantur; nam applicatio non est ratione congruæ, sed ratione officii. Idque locum habet licet adsit immemorabilis consuetudo contraria, imo licet ipsis diebus permissum sit opera servilia exercere. Quare hæc obligatio viget etiam in festis suppressis, neque tenet consuetudo contraria ex Constit. *Amantissime* Pii IX, anno 1858 (1).

Resolutiones pro praxi. 1) Parochus die festo a sua parœcia legitime absens satisfacit suæ obligationi Missam applicando pro populo in loco ubi degit; sed ad populi commoditatem alio sacerdote in Ecclesia parochiali celebrante, et Dei Verbum explicante. S. C. 14 dec. 1872.

2) Parochus utcumque legitime impeditus (v. g. ob infirmitatem) ne Missam celebret, tenetur eam die festo per alium celebrare et applicare pro populo in Ecclesia parochiali. Quod si factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam applicare debet. *S. Concilii C.*, 14 dec. 1873 *(Acta S. Sedis*, t. VII, p. 191).

3) Parochus legitime absens poterit committere sacerdoti substituto ad ejus vices in parœcia, ut Missam pro populo applicet, si ipse nolit in loco ubi degit. *S. C. C.*, 11 maji 1720.

4) Parochus tenetur ad applicationem etsi privatim celebret, et Missam dictam parochialem alius cantet. *S. R. C.* 20 dec. anno 1864.

5) Si Parochus congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu in festis pro Missæ applicatione eleemosynam acceptare, celebrando pro populo intra eandem hebdomadam (et etiam anticipando, cum jam sit dispensata dies). Ex Benedicto XIV, et S. Concilii C. 28 nov. 1761.

278. **Parochus quoad Sacramenta**. Parochus sub gravi tenetur suis ovibus Sacramenta administrare, quoties rationabiliter petunt; per illa enim (dicente Tridentino, sess. XVII) *omnis vera justitia vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur*. Tunc autem fideles Sacramenta rationabiliter petunt extra casum præcepti: 1) Si periculum aliquod prævideant; vel in tentatione versentur, et gratia Sacramenti opus habeant — 2) Si festum notabile per susceptionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, Indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem, exercere velint *(Scavini*, l. I, nn. 453 et 647).

(1) Ad hanc applicationem a fortiori tenetur Episcopus post adeptam sedis possessionem; non tamen Vicarius capitularis ex S. Rituum C. Neque missionarii aut Vicarii apostolici, etsi ex caritate deceat. S. C. de Propag. 1862.

Ex decreto S. C. Congreg. 1679 probante Innocentio XI, pastores ob justam causam possunt quidem Communionem taxare alicui subdito in particulari; non tamen præscribere dies vel tempus, aut horam Communionis pro omnibus generatim; sed danda opportune, tempestive, habita ratione personarum. Quod magis valet de Pœnitentiæ sacramento *(Sed vide* t. II, n. 397).

Quid (quæres) *tempore pestis?* Parochi sub gravi obligatione tenentur: 1) Ministrare per se vel per alios idoneos peste correptis, non obstante contrahendæ pestis periculo, Baptismi et Pœnitentiæ sacramenta, in quo omnes conveniunt — 2) Etiam duo reliqua et Sacri Viatici et Extremæ-Unctionis sacramenta, ut valde gravis Doctorum auctoritas affirmat cum Benedicto XIV; non enim fideles tanto bono in illa necessitate sunt privandi. Excipiunt tamen si Parochus hoc præstare nequeat sine vitæ suæ periculo, casu quo solus sit in Parœcia, et peste laborantes sacramentum Pœnitentiæ jam susceperint.

279. **Parochus quoad pauperes, surdo-mutos a nativitate et infirmos.** Hæc notanda:

I. Parochus ex Tridentino debet *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* (sess. XXVIII, c. 1 *de Ref.)*. Et vix dici potest, quam parocho noceat nota avaritiæ et tenacitatis: probrosum sane, quod pro nonnullis prima (ne dicam tota) ratio ad suscipiendum aliquod munus sit: *Quid vultis mihi dare?* Utique nemo militat sine stipendiis: sed stipendia illi non desunt qui officium suum rite adimplet, et parsimoniæ studet; nam parvo vivitur bene.

II. Parochus tenetur quoad potest per se vel per alios speciatim instruere surdo-mutos a nativitate in necessariis ad salutem. Nam commune est ipsos non ignorare quæ juris naturalis sunt, et ideo peccare posse; qui tamen ignorant quæ necessaria ad æternam salutem (v. *Appendix,* n. 285).

III. Habet Rituale præcipuum esse parochi officium *infirmorum* sollicitam curam gerere, et ideo vult ut etiam non accersitus infirmum adeat, tempestive Sacramentis muniat, et

Parochus duabus parochiis præpositus sive per se sive per alium duas Missas tenetur applicare, nisi ex duabus parochialibus una prorsus ob extinctionem alterius parœciæ evaserit ex S. C. C. 11 martii 1774 *(Scavini,* l. I, n. 649).

Quando una cum Officii translatione transfertur in Dominicum diem celebratio alicujus festi, sufficit una Missæ applicatio. Aliter est si solum transferatur Officium, ut ordinarie contingit: tunc Missa applicanda est proprio die quo festum currit. Festa *de duplici præcepto* sunt festa non suppressa in quibus populus debet Missam audire et abstinere ab operibus servilibus. Festa de præcepto, ac reducta vide apud Scavini, l. IV, Append. II.

sæpius visitet; attamen visitationes ordinarie nimis protrahi non debent, nisi morbo ingravescente. Quare fortiter sunt redarguendi qui infirmum semel omnibus Sacramentis munitum derelinquunt, neque saltem per alios confessarios, si impediti, illum adjuvare curant in eo puncto a quo pendet æternitas; et contrarius usus abusus est omnino tollendus. Dictum est: *Si impediti;* nam quoad possunt ipsi deberent per se infirmis præsto esse, vix enim dici potest quantum solatii et efficaciæ sit proprii pastoris erga ægrotos fideles sollicitudo, maxime in eorum vitæ exitu; numquid pater deserit filium suum, vel illius curam aliis committit dum agit animam? *(Scavini,* l. I, n. 456).

Absit tamen, ut parochus vel quivis alius qui parochi vices sustinet, ægre ferat si ad ægrotum solandum alius etiam sacerdos accedat; visitatio infirmorum est opus misericordiæ; quod si pastores ad id urget justitia, alios urget caritas. Præ cæteris autem infirmo liberum esse debet quem mavult confessarium vocare; et ex s. Joanne a Cruce interfector esset animarum qui contenderet ut ægrotus vel quivis alius sibi confiteatur; si deest confidentia, periculum est ne graviora peccata reticeantur: quod quidem non raro evenisse notum est *(Vide* t. II, n. 738). Ideo satis est, quod parochus certior fiat de confessione peracta, ut cætera Sacramenta quæ sunt de suo jure statim administret (1).

Monita. 1) Visitans ægrotos parochus vel quivis alius, qua sacerdotes Domini decet, honestati et gravitati studeat; et sedulo vitet omnem malam suspicionem maxime circa personas diversi sexus, quarum confessio si sit excipienda, pateat ostium cubiculi, ut confessarius videatur, non audiatur; mutuus item confessarii et confitentis conspectus omnino vitetur.

2) Qua par est prudentia infirmum ad Sacramenta suscipienda invitet; ad peccata sua confitenda illum adjuvet, quin divexet in conscientiæ discussione. Curet ut periculosa objecta a cubiculo removeantur, et sacræ imagines ob oculos infirmi ponantur.

3) Consoletur infirmum dicens se pro eo in Missa et in aliis precibus oraturum. Ne ipsi memoret personas ab ipso odio habitas aut quæ damnum ei intulerunt; neque de rebus mundanis loquatur, nisi necessitas urgeat; sed si infirmus loquitur, sermonem ad alia industrie convertat, nisi id viam sternant ad ea quæ animæ salutem respiciunt.

4) Rationem habeat diversitatis personarum: doctis pauca et gravia, rudibus communia, piis et parvulis suavia, peccatoribus quæ

(1) Ad rem peritus missionarius: *È questa una cosa tanto delicata che io suggerisco ai sacerdoti che anzichè domandar essi all'ammalato:* Da chi volete confessarvi? *lo facciano domandare dai parenti. Poichè la povera gente massimamente ha vergogna e crede di farci torto col dirci sulla faccia:* Io voglio confessarmi da un altro; *e sarà forse necessario che si confessi da un altro!!*

ad pœnitentiam excitant, dicantur. Voce sit submissus, brevis et intermissus, ne gravetur ægrotus.

5) Hortetur infirmum ut quo potest modo, per intervalla, corde saltem, breves orationes seu jaculatorias dicat, et eas parochus suggerat. Item actus fidei spei, caritatis, contritionis ei breviter proponat; et maxime ut devote invocet nomen Jesu et Mariæ, ad indulgentias lucrandas etc.

6) Parochus neque deserere debet infirmum qui recusat Sacramenta, imo licet peccatorem publicum, usurarium, excommunicatum, etc.; sed primum studeat urbanitatis ergo eum invisere; illum compatiatur, doleat de suo dolore, et sic pedetentim sese in ejus animum industrie insinuando ad confessionem curet rite disponere, et inducere ad ea omnia quæ necessaria sunt ad scandalum reparandum. Nil intentatum relinquat, oret, pro eo orare faciat, ut animam lucretur sanguine Christi redemptam (1).

7) In fidelibus funerandis parochus sacros ritus ac cæremonias summo studio observare debet, prout Rituale ac S. Rituum Congregatio præscribit, ut omnia cum decore fiant (hac de re vide plura t. II, n. 582). Et generatim ex Synodalibus Constitutionibus sine Episcopi licentia nemini licet in Ecclesiæ parietibus aut super tumulo inscriptiones ponere; item in ipsa Ecclesia funebri laudatione defunctum prosequi (S. Alph., *Praxis).*

Conclusio. Totam de parochis tractationem adeo momentosam concludo cum d. Bernardo: *Civitas est, vigilate ad custodiam; sponsa est, studete ornatui; oves sunt, intendite pastui* (Serm. LVIII in Cant.). Neque exterreantur animarum pastores quasi onera importabilia sustinere debeant; omnia in Domino secundum ordinem fiant, una res post aliam, et ita successive, nulla dies sine linea et quæcunque difficiliora parvo negotio expediuntur. Perseveranter pone lapidem supra lapidem et ædificium pergrande, Deo adjuvante, brevi ac facillime perficies. Cæterum meminisse juvat, quod si radix virtutis est amara, ejus fructus dulces sunt; et si Deus nobis dat tempus ad patiendum, dabit æternitatem ad gaudendum.

ART. 3. — De Coadjutoribus, Capellanis, Vice-parochis et cæteris Ecclesiasticis (2).

280. **Coadjutores.** Coadjutores duplicis sunt generis:

1) Alii sunt in cura animarum, licet tota in uno Parocho sit ministerii principalitas, ab eoque proinde sit præcipua ratio reddenda. Appellantur *coadjutores titulares* qui generatim iisdem quibus parochi, justitiæ obligationibus tenentur: insuper obedientiam suo parocho præstare.

(1) De *cura infirmorum*, de *nuntio mortis*, etc. perpluras habet ad praxim regulas Scavini, l. IV, append. 2ª. Et append. 9ª et 10ª plura notant de *ecclesiasticis ac civilibus funeribus, de defunctorum officiis, missis et anniversariis*, etc. It. vide dicenda t. II, n. 695. Et Episc. Eula, *Collectio casuum.*

(2) Monita magni momenti quoad modum maxime sese externe gerendi quoad *ecclesiasticos* generatim, *clericos, seminarii alumnos, coadjutores, capellanos, vice-parochos*, etc. vide apud *Scavini*, l. IV, nn. I et seqq.

2) Alii qui ex Beneficii fundatione, vel alio nomine habent, ut parochos coadjuvent, quin curam animarum teneant, et dicuntur *capellani*. Hi præter ea quæ ecclesiasticis omnibus sunt communia, residentiæ lege tenentur, ut sic adjutoris munere rite fungi possint; si ratio ordinis ac necessitatis requirit ut ipse parochus non discedat a parochia, adjutore suo non monito qui parochum casu occurrente supplere possit; a fortiori si de parochi adjutore agatur, siquidem sub pastoris tutela constituitur; et declaratum est a S. C. Concilii.

Sunt tamen Adjutores parochorum qui ad proprium arbitrium vivunt, de eorum principali nihil curant; qui non in ædificationem sed in destructionem positi contra proprium parochum lites suscitant ac divisiones et contradictiones in populo non sine maxima animarum ruina. Isti *thesaurizant sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (Rom. II).

281. **Vice-Parochi.** Vicarii parochorum (seu Œconomi-parochiales) dicuntur presbyteri illi qui parochorum vices gerunt.

Alii ab ipsis parochis constituuntur, ut illos coadjuvent (Ordinario consentiente et approbante), et *mercenarii* appellantur ex pacta mercede (alicubi etiam *coadjutores ex officio)*. Hi tenentur sub gravi, et ex justitia parochos juvare.

Alii constituuntur ab Episcopo non tantum si parœcia vacet; sed etiam si parochus sit corpore vel mente infirmus aut pravis moribus; vel si solus non sufficiat (Tridentinum, *sess.* XXI, c. 4 et 6 *de Ref.)* (1). Qui cum parochorum vices gerant, omnia parochorum officia rite implere tenentur; id etiam curando ut novus parochus cum debito honore et amore recipiatur tanquam missus a Deo. Væ illis qui in parœcia non sua dominandi cupidine conciti, contra noviter electum pastorem plebeculam commovent, impellunt; nam inde seditiones et turbæ, scandala et schismata; quod non raro lugere est.

282. **Simplices Presbyteri.** Præcipue:

I. Tenentur ecclesiæ cui addicti sunt, utiliter inservire Sacramenta administrando, instruendo, catechizando, etc., sub obedientia superiorum. Tridentinum enim declarat sacerdotes non ordinari, nisi propter Ecclesiæ utilitatem *(sess.* XXIII, *c.* 2 *de Ord.);* tempore vero pestis aut contagii ex caritate sub gravi tenentur ad residentiam utilem, si adsit necessitas; nam caritas urget omnes (v. Appendix in fine hujusce voluminis).

(1) Coadjutor autem sumptibus Coadjuti vivere debet, si redditus sufficiant pro congrua utriusque sustentatione; *S. C. Conc.* 24 *julii* 1875. V. Mauro, *I Coadjutori de' Parochi;* Roma, 1878.

II. Tenentur sub gravi se aptare ad confessiones excipiendas, si in locis versentur ubi fideles gravi laborant necessitate spirituali, ut passim contingit; et hodie præsertim, Religiosorum Institutis ubique fere suppressis, et clero sæculari ad nihilum ferme reducto. Cur enim sacerdotes duplicem potestatem et sacrificandi et a peccatis absolvendi in Ordinatione consequuntur?

III. Tenentur ad Missæ celebrationem, ne dicantur *in vacuum gratiam Dei recepisse;* est sententia longe communior ex d. Thoma (3 p. q. 82, a. 10). Quoties vero in anno sacerdos simplex teneatur celebrare, Benedictus XIV eum teneri putat singulis dominicis ac festis celebrare; sed non vult definire, an sub veniali, vel mortali. S. Alphonsus (l. II, n. 313), habet multo probabiliorem sententiam docentem sacerdotem per se loquendo (id est præclusis peculiaribus circumstantiis) non teneri sub mortali celebrare plusquam ter aut quater in anno, idest in solemnioribus festis.

IV. Cum hodie messis multa sit, operarii autem pauci, caveant ecclesiastici ne difficultates prætexendo ad propriam segnitiem tuendam renuant obedire Prælatorum mandatis qui eos ad vineam Domini excolendam mittunt. Si quod possident beneficium eos non urget, urget Ordo susceptus ne vacuum illum teneant, urget promissio Episcopo facta in ipsa Ordinatione, urget dominicum præceptum quod eos consecravit in opus ministerii, urget caritas qua tenentur bonum proximi maxime animæ curare. Ad rem Dubois: « Punto essenzialissimo, e bisogna convenirne, si è l'obbligo che stringe ogni prete di accettare l'uffizio che il suo Vescovo gli destina.

« Che resterebbe del ministero episcopale, se dovesse stare ai gusti, alle volontà de' suoi soggetti? Se le osservazioni ne pajano giuste intorno a punti ignorati, si facciano pure; ma sempre pronti a cedere, se non sono valutate, senza mettere innanzi nuove scuse o intercessori. Il fatto dell'accettazione d'un ufficio dal Vescovo, forma, a dir così, una vocazione nella vocazione, ed è un contrariare ai divini disegni, non obbedire. » *Curre hic vel ibi; non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub prælati regimine. Imaginatio locorum et mutatio multos fefellit; pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita a multis vix pes semel a terra levatur.* Kempis.

Dices: *Obsequium nostrum debet esse rationabile* — Si; ma non è ragionevole che il superiore comandi, e i soggetti obbediscano? che i posti della Chiesa sieno designati dai supremi reggitori? Non è

ragionevole che dinanzi al bene pubblico taccia ogni meschino appicco? e trattandosi delle anime che a Dio costano il sangue, non si cavino fuori mai più tante fastidiose difficoltà? nè più si mettano innanzi tanti bassi e personali e mercenarj riguardi?... Guai al chierico, al seminarista, al prete, sulle cui labbra compajono quelle parole da ribelli: *questa è tirannia, è dispotismo, è cosa arbitraria.* Hoc semel admisso, actum est de obedientia, esset spiritum privatum sequi, et Episcopus tunc non esset positus ut regat, sed ut regatur (Scavini, *De obedientia, atque concordia ecclesiasticorum*, l. I, l. IV, n. 655; n. 293).

283. **Seminariorum alumni, aliique clerici.** Duo præcipua clerici præseferre debent, ut sacris Ordinibus digni habeantur:

I. *Scientiam;* ignorantia in ecclesiasticis non solum sibi, sed aliis etiam nocet. Nullum remedium, ait Salesius, si ignorantes clerici fiant sacerdotes; nam accepto Presbyteratu, difficulter cogi poterunt ad studendum, experientia teste (v. *supra* n. 243; t. II, n. 824).

II. *Bonitatem;* qua de re Episcopus non debet acquiescere soli bonitati negativæ, nempe quod nihil mali sciat de clerico: sed oportet ut ejus bonitatem positivam cognoscat. Hinc Tridentinum ait, eos tantum debere assumi ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit.* Porro *ætas senectutis vita immaculata* (Sap. IV: vide t. II, n. 819).

Quam scientiam ac bonitatem ut rite assequantur clerici, necesse est, ut ipsi a primis unguiculis a sæculi evagatione et periculis removeantur et in seminaria recipiantur instruendi et educandi, prout decernit Tridentinum *(sess.* XXIII, c. 18 *de Ref.)* (1). Imo si fieri posset, oporteret statuere (ait *s. Alph.*, Ho. Ap., tr. VII, n. 52) ut neque tempore feriarum seminaristæ domos adirent, maxime tempore vindemiarum, ne regrediantur vitiis onusti, et ne verificetur quod de se ipso ajebat Augu-

(1) Præstat utique ut omnes sacrorum alumni quam citius in Seminaria recipiantur; sed quomodo si deficiant redditus? si parentes inopia laborent? et tamen impellat necessitas operariorum? S. Carolus zelum urgebat parochorum hac de re; in Concilio enim Prov. IV legitur: « Illud unusquisque parochus valde studeat, ut » quam plurimos potest pueros præsertim pauperes bona indole præditos, qui spem » afferant se sacris initiatos Ecclesiæ ministros utiles fore, ad ecclesiasticæ vitæ » normam accurate erudiat...; eos præsertim qui ab aliis probatis viris artem li- » terariam profitentibus, ob inopiam aliamve causam commodius diligentiusque » erudiri non possunt.... Eorum autem singulorum mores, studia literarumque » progressionem Episcopo parochus aliquando significet, ut suo tempore vel in se- » minarium cooptati vel alia quacunque via adjuti pro ætatis ratione, proque in- » genii captu, studiis gravioribus se dedere queant » *(Scavini,* l, IV, nn. 20, 25, 27 et seqq.).

S. Concilii C. declaravit 10 junii 1876: *Qui aluntur expensis Seminarii posse recipi inchoato anno duodecimo; reliquos non comprehendi in lege Tridentini;* quæ vult ut recipiantur qui ad minimum duodecim annos nati sint.

stinus: *Ubi interposito otio feriatur ab omni schola, cum parentibus esse cœpi; excesserunt caput meum vepres libidinum, et non erat eradicans manus* (l. II Confess., c. 3) (1).

284. *Consectarium.* Clericus in aliquo gravi vitio præsertim turpi habituatus, etsi possit esse dispositus ad sacramentum Pœnitentiæ, dispositus non est ad recipiendum Ordinis sacramentum, ob defectum bonitatis positivæ. Quare confessarius nequit illum absolvere si velit Ordinem sacrum suscipere antequam sufficienter probetur per longi temporis, id est saltem plurium mensium experimentum. Quod si clericus ille nihilominus instet, confessarius suæ conscientiæ relinquat firmus in neganda absolutione, nisi velit fieri reus mali exitus hujusmodi ordinandi.

Excipe casum extraordinariæ vel melius mirificæ conversionis, adeo ut certo credi possit illum subito perfecte consecutum sanctitatem spiritualem; nam ut habet d. Thomas, *Suppl. q.* 30, quamvis habitus pravi in potentiis sensitivis non tollantur; mens tamen ex vigore extraordinariæ gratiæ talem potest acquirere vigorem, ut illis facile resistat, et bonitatem positivam acquirat. Attamen non est ita facile supponendum (vide *S. Alph.*, l. VI, nn. 63 et seqq., ubi habetur perdocta dissertatio a Benedicto XIV commendata: *De Syn.*, l. XI, c. 2 et 3. Et *Scavini*, l. I, nn. 464 et 658).

Casus. *Ernestus clericus in peccatis luxuriæ habituatus et recidivus affirmat se ab Ordine sacro abstinere non posse sine gravi scandalo et sine infamia; quia jam probatus, jam domo receptus ad Exercitia spiritualia, et instat dies ordinationis et jam omnia parata sunt* — Si non viderem extraordinaria signa, non absolverem; nam nulla infamia, scandalum nullum, si dicat se velle maturius de tanto statu perpetuo eligendo cogitare, et melius se disponere, ut vel ipsi optimi faciunt, qui aliquando tanta celsitudine territi se retrahunt. Si non vult acquiescere, ipse videat coram Domino, si nihilominus possit tuto accedere perfecte eo in casu contritus. Quantum in me est, cum necessitas in quam se conjecit fuerit voluntaria, si in eo non cernam extraordinaria emendationis signa, non absolverem, ne sim complex illius peccati ac consectariorum. *Denhoff.*

(1) Pro recta Seminarii directione præter optimos magistros, rectores, etc. eligendi sunt ex Tridentino, sess. XXIII, c. 18, varii deputati, quorum consilium Episcopus de necessitate exquirere debet, etsi non teneatur sequi. Duo nempe Canonici Ecclesiæ cathedralis quoad ecclesiasticam alumnorum disciplinam et educationem (hos eligit Episcopus). Quatuor pro rerum temporalium administratione, quorum duo ex canonicis (unus ab Episcopo, alter a Capitulo eligendus); duo e clero civitatis (unus adhuc ab Episcopo, alter ab ipso clero). (V. Scavini, l. IV, nn. 18 et seqq. ubi etiam de *seminariorum institutione, defectu, directione et civili inspectione*).

APPENDIX

De Surdo-mutis a nativitate.

285. Non est ambigendum animarum pastores, specialissimam curam sumere debere de sordo-mutis a nativitate si recipi nequeant in aliquo Instituto ut erudiantur; nam pro modo necessitatis debet esse pastoris zelus et industria ad oves suas salvandas, pro quibus missus est. Privatio auditus et loquelæ non importat privationem facultatum intellectualium; surdo-muti per se (nisi etiam fatui sint, quod non ita facile supponendum) ratione sunt præditi et capaces actus morales eliciendi; passiones sentiunt, quibus si annuant, non est dubium quin animam peccato commaculent; principia enim legis naturæ etiam eorum conscientiam pulsant: quod quidem ex ipsorum surdo-mutorum confessione constat, qui semel ac instructi id testificati sunt. Ex quibus patet, quam facile gratiam sanctificantem ab infantia in Baptismate susceptam, amittere valeant, quin capaces sint tanto malo mederi ob deficientiam fidei actualis in Salvatorem, qui solus valet peccata dimittere, et auxilia opportuna suppeditare (v. *Scavini*, l. I, nn. 643; *Civ. Catt.*, ser. 3ª, t. IV et V).

Id experientia edocti tradidere anno 1854 quatuor Cardinales, vigintiquinque Episcopi, plusquam viginti surdo-mutorum institutores præter ipsos surdo-mutos qui postquam fuerunt competenter instructi, fassi sunt (etsi ratione præditi ac moraliter agentes) sese nonnisi mechanice exercuisse actus religionis, et vel ipsa Sacramenta suscepisse per imitationem materialem ducti, quin scirent quid revera agerent (1). Etsi ergo surdo-mutus ad addiscendas artes mechanicas sola imitatione plerumque aptus sit; attamen fere impossibile videtur (maxime si inter rudiores natus sit, et vivat) cum nesciat legere, ut per educationem mere domesticam ad cognitionem mysteriorum fidei perducatur; nam res supernaturales sunt sensibus imperviæ; ideo surdo-mutus adultus factus, est adhuc sylvestris in ipsa societate, est infidelis quoad fidem actualem in ipso Ecclesiæ sinu, etsi ab infantia baptizatus. Ex quibus patet summi momenti esse Instituta promovere pro surdo-mutis erudiendis, et ubi hæc desunt, parochi

(1) « *Perchè andavate in chiesa? baciavate il crocifisso? giungevate le mani?* così fu domandato a Francesco Gioja di Molfetto che sordo-muto sino ai ventidue anni acquistò in quell'età improvvisamente l'udito e la parola. *Io andava in chiesa*, rispose, *io faceva tutte le azioni alle quali era attento, perchè le facevano gli altri, ma io nulla capiva....*

Un'agiata famiglia aveva una sordo-muta.... Aveva quella fanciulla composto a tanta pietà il sembiante ove ella si recava in chiesa, che i genitori credevano senza più ch'ella intendesse il significato di tutti quegli atti esterni di religione, che le avevano appreso e la reputavano abbastanza istrutta e sinceramente pia. Alle funzioni della chiesa, a cui non mancava mai, per la sua singolare ed esemplare pietà era stata scelta a sorvegliare le altre compagne.... Ma un suo fratello sacerdote chiedeva al padre, che la mettesse almeno per qualche anno all'istruzione, e l'ottenne.... Le sue maestre restarono maravigliate così del suo fino intendimento come della sua edificante pietà; prontissima nell'apprendere potè prima delle altre essere ammessa all'istruzione religiosa. Quando cominciò a conoscere che sotto i varj atti esterni e pratiche di religione nascondevasi qualche dogma rivelato, presa la

ne eos deserant, sed eorum saluti provideant sufficientem instructionem curando. Hinc in nonnullis seminariis Theologiæ alumnis specialia tradi solent præcepta quoad modum tum surdo-mutos instruendi, tum Sacramenta illis ministrandi. En aliqua:

Instructio. Ante omnia curandum est, ut surdo-mutus alphabeti literas materialiter scribat; quando autem post plura experimenta eas scribere sciat, instruendus quomodo per diversam illarum combinationem diversa et disparata objecta indicari valeant, v. g. digito ostendendo panem, scribas panem *(pane)*; et hasce literas ipse surdo-mutus pluries scribat, semper notando manibus objectum panis *(pane)*. Postea ab ejus conspectu pane subducto, alicui personæ præsenti scriptura illa ostendatur; quæ cito vadat, et assumat et panem reportet: ex quo eveniet ut facile surdo-mutus intelligat quod per illas literas panis semper indicatur, et solummodo panis *(pane)*. Et ita fiat quoad alia objecta a facilibus ad difficilia progrediendo; nempe prima exercitatio erit de homine, gallina, cane, caliga, pileo, aqua, vino, oleo, pulmento, domo, libro, sole, luna, terra, planta, fructu, mundo et similibus magis in usu, et sub oculis.

Inde præstat ut intelligat vim verborum *plus* et *minus*; *magnum* et *parvum*; *æquale* et *inæquale*; *utique* et *non*. Ac primo mitte v. g. ab una parte quatuor poma, ab alia tria tantum; in illa scribas *plus (più)*; in ista *minus (meno)*. Dein ostende illi arborem altam, hominem altum, scribendo: *pianta alta, uomo grande*. Monstrando autem parvum arborem, hominem parvæ staturæ scribas plantam parvam *(pianta piccola)*; hominem pusillum *(uomo piccolo)*. Inde ostende duo sedilia æqualia, duo pocula æqualia, scribendo *æqualia (uguali)*. E contra ostendendo diversa sedilia, diversa pocula inæqualia scribe *inæqualia (disuguali)*. Item per signa ipsum interrogabis, an positis scalis murum ascendi valeat, et responsio per nutus erit affirmativa; et notetur *(si)*. Iterum interrogabis, an murum sine scalis possit ascendi, et capite annuendo ejus responsio erit negativa, et scribatur *(no)*. Tandem surdo-muto numerentur varia objecta, ad primum scribendo 1, ad secundum 2, et ita successive usque ad numerum 10 vel 20; quod quidem interim videtur sufficere.

Postquam surdo-mutus nomina objectorum materialium novit, oportet, ut edoceatur circa ideas abstractas boni et mali physici. Ad hunc finem poterit ei ostendi pomum sanum scribendo pomum bonum *(pomo buono)*; idque erit repetendum donec percipiat illud *bonum* denotare qualitatem gratam et acceptam. Idem fiat e contrario ei monstrando pomum marcidum et scribendo *pomo cattivo*, ut intel-

corona che sempre portava in tasca, e mostrando alla maestra il crocifisso la tempestava di dimande: *Cosa è questo?*... La maestra spiegò finalmente alla sua allieva che il Figlio di Dio mosso a compassione delle nostre miserie discese dal cielo, si fe' uomo, morì confitto in croce per salvarci; il crocifisso essere appunto un'immagine di Lui. Scoppiò allora in dirottissimo pianto la giovane, e per alcuni giorni fu compresa da tale dolore che perdette affatto ogni desiderio e bisogno di cibo, non pascendosi che di lacrime.... Essa potè dire dopo alcuni giorni che il Crocifisso le avea sempre inspirato orrore e raccapriccio credendolo un malfattore giustiziato, e che più volte (e qui tornava a piangere) l'aveva insultato. Oh, venerabili miei confratelli, andate adesso a credere all' apparente pietà, agli atti esterni di religione (che pure alcuni accettano come prova sufficiente in materia di fede) dei sordo-muti. Chi più di questa sordo-muta poteva giovarsi dell'istruzione domestica? cosa le giovò di fatto? Ripetiamo adunque e concludiamo: Il sordo-muto senza una speciale istruzione non arriva a conoscere quanto è necessaria la Rivelazione. » (Op. *Il sordo-muto nella società cristiana, osservazioni e memorie*: Bergamo, 1877).

ligat hanc qualitatem convenire objectis perniciosis, ingratis et projiciendis, et illud projiciat.

Inde deveniendum est ad notionem ideæ boni et mali moralis. Demus exemplum: præsente surdo-muto ab aliquo eleemosyna pauperi tribuatur et scribatur *eleemosyna, adjutorium (ajuto, elemosina),* cum addito *bona (buona);* actum patefaciendo approbationis, et aliquod præmium elargiendo ei qui illam tribuit *(premio).* E contra quis fingat aliquem malo modo percutere, et scribatur *(battere,* cum addito *cattivo, peccato),* etiam indignationem ostendendo et percussorem improbando et puniendo. Ex hisce pluribus vicis repetitis sub diversa forma, et quoad diversa objecta, surdo-mutus satis nosse poterit, quod actiones morales, quæ laudem et præmium merentur vocantur *bonæ;* quæ vero merentur vituperationem et castigationem, dicuntur *malæ, peccata.*

Hoc modo brevi poterit surdo-mutus edoceri homines constare non solum corpore, sed etiam anima; ei nempe ostendendo hominem mortuum *(uomo morto),* qui nihil amplius potest agere; et hominem vivum *(uomo vivo),* qui supradictas actiones ponit. Et hic ostendatur illud quod facit, ut homo vivat, animam vocari *(anima),* quæ si bene agit, habebit præmium in cœlis; si male, punietur in inferno, ubi ignis, cruciatus, etc. Nunc erit danda aliqua notio de Deo ostendendo ipsum esse omnium nostrum Dominum, creatorem cœli et terræ. Aliqua mulier, ipso surdo-muto vidente, opus conficiat, v. g. caligas, et scribatur *(donna fare calze);* et ita deveniatur ad Deum mundi creatorem *(Dio far mondo, crear mondo);* ideoque ipsum esse adorandum, reverendum, etc. et fiant adorationis et reverentiæ actus, elevando oculos ad cœlum ubi habitat; notando insuper ab ipso derivare omnia bona et ideo etiam orandum; et illum manibus junctis oret, et surdo-mutum in ecclesiam ducat, ut fideles videat orantes, etc.

Non autem id sufficit; sed erit omnino suppeditanda aliqua Ss. Trinitatis cognitio scribendo in medio Deum *(Dio)*, et subter tres divinas personas, ope signorum notando quod Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; tres personæ sed unus Deus: quod quidem et ipse pluries scribat et indicet. Inde sacræ imagines ei ostendantur Dei, Mariæ Virginis cum divino Infante, Jesu Christi cruci affixi, etc., et sic progrediatur ipsum edocendo quod Filius Dei est etiam Mariæ Filius qui venit in mundum ad liberandos nos ab inferno, quem meruimus ob malas nostras actiones *(peccato).* Et hic quis fingat signis aliquem actum malum agere, puta puerum percutere; qui postea doleat et veniam petat crucifixo coram sacerdote genuflexus, et sacerdos stola indutus ipsum manu absolvat; absolutus ille surgat hilaris ostendens nutibus se non amplius illo peccato coinquinari. Postea illi maxima reverentia procumbenti detur particula non consecrata indicando signis quod ii qui illam recipiunt in ecclesia, accipiunt ipsum Christum Jesum salvatorem; et ita intelligat panem hunc non esse panem communem, sed cœlestem, divinum.

Hac methodo felici exitu usus est cl. Frassinetti, ut ipse testatur, cum surdo-muta quadragenaria *(Manuale pratico del Parroco novello,* in ult. editionibus). In Italia 25,000 sordo-muti adnumerantur, quorum pars minima educatur; quid ergo erit de cæteris si parochus eis non occurrat? Verum si expertis credere est et longanimis patientia et diuturnum tempus requiritur ad hoc, ut surdo-muti vel ipsa prima rudimenta ediscant; et ideo ferme impossibile est ut animarum pastores per se ac specialiter eorum curam suscipiant ob ordinaria ac multiplicia munera quibus ex proprio officio tenentur

operam dare. Præstat ergo ut urgeant parentes, amicos, divites ut in auxilium veniant, adeo ut miserrimi illi aut in aliquo recipiantur Instituto, aut saltem privatim instruantur opera alicujus personæ patientis ac zelotæ vel supradicta methodo utendo (supplendo tamen et addendo quod deest, maxime quoad mysteria fidei et Sacramenta); vel methodum adhibendo, qua ipsa utuntur Instituta surdo-mutorum, ut videre est penes Lambert, in Op. *La Religion et les devoirs moraux de la vie enseignés aux sourds-muetes* etc. Paris. Quidquid sit ab omnibus omni studio curandum est, ut tot animabus quæ de æterna salute periclitantur, subveniatur, v, g. collectas agendo, consortia instituendo, comitatus erigendo ecclesiasticorum, qui edocti illos valeant instruere et edocere, prout cum ingenti fructu Bononiæ factum est; ad quod quidem Institutum recurri potest pro consilio et providentia. Pro Deo frustra non laboratur; et qui animam proximi salvat, suam prædestinat (1).

Imo loquela donari possunt surdo-muti etiam privatorum patientia prout hodie passim fit in publicis Institutis. Audiatur cl. Pr. Fornari: « Il muto può e deve parlare, e nessuno deve vantare di possederne solo lo specifico, ed averne il brevetto di privativa. Anche qui dove è volere è potere. E se il maggior tempo, la maggiore pazienza, la maggiore abilità che si perfeziona colla pratica, domandano in via generale maestri e scuole speciali, non è già che altri, un padre, una madre, un maestro, un parroco, un buon uomo pur che sia, non possa accingersi all' impresa, impresa santissima e di dolcissime compiacenze promettitrice. Il secreto della riuscita sta in gran parte nell'amore e nella pazienza.... Dio benedica colui, il quale si metterà a riprodurre questo miracolo della scienza e della pietà, redimendo così qualcuno dei tanti sventurati che aspettano la vita dell'anima, la parola che a sè stessi li riveli, a Dio, ed alla società li ricongiunga. » *(La chiave per far parlare i sordo-muti italiani, operetta... offerta ai genitori dei sordo-muti, ai maestri di scuola ed agli ecclesiastici;* da P. Fornari; Milano 1872: ubi brevi methodum docet). It. vide *Note sulla lingua italiana considerata nella sua fonazione in ordine al fonico insegnamento della parola al nato sordo presentate al maestro de' sordo-muti.* Bologna (2).

Administratio Sacramentorum, *Baptismus.* Si surdo-mutus ex catholicis parentibus natus jam sit adeptus rationis usum, et casu nondum sit baptizatus, prius esset instruendus ut rite Sacramentum suscipiat, ipsum docendo ejus naturam et effectus, et quænam dispositiones requirantur in suscipiente. Si sufficienter instrui nequit vel immineat periculum mortis, vel dubium sit an rationis usum sit adeptus nec brevi resolvi possit, sub conditione erit baptizandus;

(1) V. *Note di morale in ordine all'amministrazione de'Ss. Sacramenti ai sordo-muti corredate di considerazioni sul sordo-muto non istruito riguardo alla fede, e di suggerimenti tratti dalle disposizioni relative di molti Vescovi con documenti in appendice; redatte ed offerte agli ecclesiastici dai sacerdoti dedicati ai sordo-muti in Bologna.* Bologna, tip. Mareggiani, 1877. Opus parvæ molis sed magni ponderis, ex quo totum fere depromsi. Opus maxime commendandum, ex quo in unum edisces et extremam necessitatem et modos industrios subveniendi miserimis illis.

(2) Cæterum pro privatis satis esse potest ut ope signorum surdo-mutos instruant: quod præcipuum est et adhuc satis laboriosum. Unde omni modo curandum a parochis, a parentibus ut surdo-muti in aliquo Instituto recipi valeant, instando opportune, importune. Ideo magis quia methodus hactenus traditus a cl. Frassinetti insufficiens habetur maxime quoad res fidei.

baptizandus ut salvetur qui salvari potest; *sub conditione,* cum non satis constet de intentione ac dispositione illud suscipientis. Cæterum præstat, ut patrinus eligatur qui illum adjuvare possit et curare ejus instructionem. Quoad surdo-mutos infidelium et hæreticorum *v.* t. II, nn. 441 et seqq.

Confirmatio. Si surdo-mutus rite baptizatus instrui possit, vel sit recipiendus in aliquod Institutum, antequam confirmetur expectandum ut instruatur. Si nequeat instrui vel periculum mortis immineat, curandum si commode fieri possit, ut Confirmationem suscipiat etsi puer.

Eucharistia. Hoc Sacramentum requirit specialem instructionem ac dispositionem; et ideo non est ei administrandum si nondum sufficientem religionis ideam, ac cognitionem Ss. Eucharistiæ habeat. In dubio an sufficienti dispositione præditus sit, si est compos rationis, non videtur surdo-muto deneganda Communio in mortis periculo vel urgente præcepto paschali *(v.* t. I, n. 516).

Pœnitentia et Extrema-Unctio. Curandum est, ut surdo-mutus aliqualem cognitionem sacramenti Pœnitentiæ assecutus sit ac de ejus necessariis actis; secus non poterit ullo modo absolvi. Urgente tamen mortis periculo absolvi poterit sub conditione et sacro oleo inungi, si aliquod rationis usum præbeat vel præbuerit, etsi dubium. Imo si præsumi possit quod aliquam instructionem habeat, non obstat si sub conditione absolvatur etiam tempore paschali. Verum si instrui valet, prius erit instruendus: et quoad modum confitendi *v.* t. II, n. 630.

Matrimonium. Si usum rationis adepti, si satis instructi circa naturam hujus Sacramenti quod sunt suscepturi, si religionis cognitionem sufficienter consecuti, surdo-muti et ipsi valent inter se maritaliter contrahere nutibus consensum dando. Verum cæteris paribus sunt a matrimonio disuadendi, et magis si mulier talis sit, et maxime si sint ambo surdo-muti, et potissimum si pauperes, ob eorum incapacitatem ad rectam familiæ gubernationem, ad filiorum educationem, et ob alia incommoda non pauca.

Veteres theologi, Cajetanus, Navarrus, Toletus, Sanchez, Layman, Diana et alii in ea sententia erant surdo-mutos si fatui non sint utpote ratione pollentes, ea quæ ad fidem pertinent satis percipere posse. Hinc concludebant eos arceri non posse a sacramentis Baptismatis, Confirmationis, Pœnitentiæ, Matrimonii et Extremæ-Unctionis; imo neque ab Eucharistia quæ illis semper danda est in articulo mortis, et juxta alios etiam in Paschate et sæpius.

Cum enim usum rationis habeant, si illius dictamen sequuntur (et id supponendum est, nam nemo præsumendus malus), certissime tenendum est ex d. Thoma, quod Deus tempore opportuno vel exterius per instructionem hominis vel interius per inspirationem aut angeli ministerium revelabit ea quæ sunt ad credendum necessaria. *Id conceditur* (addit Suarez) *ex universali redemptione Christi et generali voluntate Dei salvandi omnes homines; et ideo in illo casu necessitatis hoc genus providentiæ non reputatur miraculum, sed pertinens ad ordinariam supernaturalem providentiam et legem Dei* (de fide, d. 12, ses. 2). Idque multo magis valet quoad surdo-mutos baptizatos qui jam justificati sunt; ergo nihil impedit, ut surdo-muti non solum cætera Sacramenta, sed ipsa Eucharistia sæpius reficiantur. Hic totus est cl. theol. Roetti in opusculo, *Dei sordo-muti dalla nascita in ordine alla Ss. Eucaristia;* Firenze, 1879.

Verum non recedendum in praxi a supra exposita doctrina ratione et exemplis confirmata maxime quoad Eucharistiam, quæ et specialem discretionem requirit, et majorem reverentiam, et aliunde non est

de necessitate salutis; et surdo-mutis non satis instructis subveniri potest alia Sacramenta modis jam indicatis illis administrando.

Indulgentiæ. Surdo-muti in eo statu constituti sunt ut nequeant plures indulgentias lucrari, cum non valeant omnes conditiones implere. Huic provisum fuit a Pio IX per decretum S. C. Indulg. 15 martii 1852, in quo statuitur: 1) « Si inter opera pro indulgentia præscripta sit visitatio alicujus ecclesiæ, surdo-muti ecclesiam ipsam visitare tenentur, sed satis est ut mentem tantum in Deum elevent et pios affectus — 2) Si inter opera sunt publicæ preces, surdo-muti possunt lucrari indulgentiis iis adnexas corpore quidem conjuncti cæteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus — 3) Si agatur de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valent easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. » (Vide *Dottrina cristiana ad uso dei sordo-muti;* Bologna).

CAPUT TERTIUM

De Obligationibus Religiosorum.

286. **Status religiosus.** Definitur: *Stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum tendens ad perfectionem per vota paupertatis, obedientiæ et castitatis perpetuæ.* In Lateranensi sub Innocentio III statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi a Papa probata *(S. Alph.,* l. IV, n. 5). En *lectissimas illas militum turmas* (religiosos appellat Pius IX Encycl. 17 jan. 1847), *quæ maxime tum christianæ tum civili reipublicæ usui, ornamento atque præsidio semper fuerunt.* Tamen quot contra ipsas convicia, bella ac persecutiones! (v. *Syllabus* proposit. 52, 53; Bulla *Auctorem fidei* proposit. 80 et seqq.; *Scavini,* l. I, nn. 661 et seqq.). De statu religioso plurima d. Thomas, 2, 2, q. 186 et seqq.

ART. 1. — De Vocatione, Novitiatu et Professione religiosa.

287. **Vocatio.** Per hanc intelligo *affectum illum, et quendam veluti impulsum internum et specialem, quo quis sentit se ad religionem vel ad alium statum invitari.* Certum est hanc specialem vocationem dari quoad statum religiosum; sane constat omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus proprio; a fortiori ergo in ordine supernaturali (v. Martinengo, *Il gran passo raccomandato ai giovani e alle giovinette cristiane, ed anche un poco ai loro genitori.* Scavini, l, IV, n. 489).

288. Dixi *specialem:* non enim omnes et singuli ad hunc statum sunt idonei, vel quia non sentiunt hanc voluntatem, vel quia canonico jure rejiciuntur, ut infames, impuberes, corpore vitiati, v. g. cæci, muti, morbo caduco adfecti; matrimonio consummato devicti; matrimonio spirituali specialiter addicti, ut Episcopi, sine Pontificis venia; qui habent parentes graviter indigentes, quos possunt sine animæ præjudicio juvare; qui aliorum administrationem teneant, si adhuc teneantur reddere rationes; qui ære alieno gravati; qui Epi-

scopi testimonium non habent ex S. C. Reg. 25 jan. 1848. Attamen quoad moniales non excluditur fœmina clauda, gibbosa, etc. quia decor filiæ regis est ab intus.

289. **Principia.** I. Qui vocatus ad Religionem, renuit, per se non peccat; quia religio est de consilio, non de præcepto. Vix tamen de facto excusatur ab omni culpa ob periculum quo animam exponit qui certus moraliter de vocatione inter sæculi pericula morari vult (S. Alph., *Ho. Ap.*, tr. XIII, n. 27; et ejus *Opuscula* hac de re).

II. Qui non vocatus religionem suscipit, graviter peccat (nisi voluntatem firmam habeat assumptas obligationes adimplendi), tum ob reverentiam religioni debitam, tum ob injuriam in Deum, cujus ordinem providentiæ pervertit, tum ob periculum animæ suscipiendo obligationes contra propriam inclinationem.

III. Qui vocatum sive virum sive fœminam a religione abstrahit injuste, graviter peccat, quia illum privat iniquiter magno bono; et si dolo id faciat, peccat etiam contra justitiam, et tenetur fraudem tollere. Idem dicendum de illo qui non vocatum ad religionem inducit (*S. Alph.*, l. III, n. 662).

Ex Tridentino excommunicationem ipso facto incurrunt non reservatam omnes cogentes quamcunque mulierem, præterquam in casibus a jure expressis ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum vel professionem emittendam in quacunque religione. Item qui sine justa causa mulierem a religione impediunt (*sess.* XXV, c. 18 *de Reg.*). Vide dicenda n. 636.

290. **Novitiatus.** Tridentinum ait: *In quacunque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum.* Hodie ex decreto Pii IX requiritur saltem annus decimus nonus completus; *nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem* (sess. XXV, c. 15). Hæc probatio *novitiatus* appellatur, qui tunc incipit cum quis in statu novitiorum admittitur.

Hæc quoad viros. Quoad *mulieres* vero ex declaratione S. C. Concilii statutum est, ut religiosum habitum non suscipiant ante annos duodecim. Insuper ex Tridentino tenetur Episcopus vel per se vel per alium ante susceptionem habitus et ante professionem, virginis voluntatem diligenter examinare ad crates, an scilicet *coacta*, an *seducta*, an *sciat quid agat* (quod valet etiam quoad moniales exemptas). Et præstat, ut dictum examen fiat etiam de ingredientibus congregationes quæ simplicia vota emittunt (*S. Alph*, l. IV, n. 5).

Pelizzarius explorationem faciendam ita describit: *Puella interrogetur de nomine, patria, parentibus, ætate, num sciat legere, scribere, canere, etc. Quot et qui sint fidei articuli, quæ præcepta Decalogi et Ecclesiæ; quid intendat per susceptionem status religiosi; an sponte et Dei spiritu, vel ex parentum, monialium aut alterius personæ consilio ac suasione; a quo tempore senserit se vocatam ad religionem; an a pueritia animum ad pietatem et religionem habuerit propensionem; num corpore et mente sana sit, vel occultum aliquem defectum habeat, et quem et a quo tempore. An sciat et bene intelligat tria vota perpetua religionis, sitque parata abdicare a se dominium rerum omnium temporalium per votum paupertatis, vivere in communi, cum tot diversæ indolis; abstinere ab omni delectatione carnis voto castitatis repugnante, suamque voluntatem omnino et perpetuo subjicere voluntati alterius per votum obedientiæ. An sit paratam crucem*

Domini bajulare, abnegare continuo seipsam, etc. Post has vel similes interrogationes juxta conditionem puellæ, si omnia de jure habeantur, concedit Abatissæ bonum testimonium, et licentiam puellam proponendi Capitulo pro admissione.

291. **Annus probationis.** Sententia tenenda requirit annum integrum ac continuum. Licet enim Tridentinum has particulas non posuerit in suo decreto, putandum est tamen fuisse locutum juxta jura antiqua; atqui jura antiqua loquuntur de anno integro atque continuo. Unde si horæ quadrans, v. g. deesset ad novitiatum, professio esset nulla; nec demendus est dies ab anno bissesto, quia in eo ex jure *biduum pro uno die habetur.*

Attamen non censetur interruptus novitiatus, si novitius ægrotet et ideo exercitiis interesse nequeat; si coactus discedat; si cum licentia ad parentes vel alios divertat sanitatis causa aut alio gravi fine, si iter agat a suis superioribus jussus, etc.

292. **Professio.** Novitiatum rite completum sequitur professio, quæ definiri potest: *Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certæ Religioni ab Ecclesia probatæ cum solemni votorum emissione.* Professio ex Pio IX decreto debet esse expressa. Professus autem potest reclamare de nullitate suæ professionis, si reclamans intra claustra degat, et si habitum dimisit, illum reassumat *(S. Alph.,* l. IV, n. 8).

293. Ex decreto Pii IX omnes religiosi Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum perfecto novitiatu, vota simplicia tantum emittant saltem ad triennium, deinde ad vota solemnia possunt admitti, si a superioribus digni inveniantur; secus differatur. Constat ex Encyclica S. C. Regular. 19 martii 1857. Sed professio non potest differri ultra annum XXV completum; ideo qui hac ætate habiles non inveniuntur, a monasterio ejiciendi. Ex Declarationibus autem S. C. Reg. 22 febr. 1859 vota simplicia ut supra, sunt perpetua ex parte voventis, et dispensatio reservatur S. Sedi. Attamen vota prædicta etiam ex parte Ordinis religiosi per dimissionem professorum, eo ipso solvi possunt et solvuntur.

Nemo autem causa infirmitatis post professionem votorum simplicium exorta, dimitti poterit a Religione. Et professi horum votorum simplicium participes fiunt omnium gratiarum ac privilegiorum, quibus professi solemniter in eo Ordine fruuntur. Alia apud *Lucidi, Bouix, Acta S. Sedis, Analecta* 1867, 1869. *(Scavini,* l. I, n. 485).

294. **Effectus professionis.** Sunt alii *gratiosi,* alii vero *onerosi.*

I. Inter gratiosos adnumeratur: 1) Remissio peccatorum quoad pœnam, si professus sit in gratia. Nam qui totum se Deo mancipat, perfecte satisfacit. 2) Extinctio votorum ante emissorum, per quandam veluti commutationem in melius. 3) Cessatio irregularitatis ex defectu natalium. 4) Solutio sponsalium, imo etiam matrimonii tantummodo rati. 5) Exemptionis privilegium *(S. Alph.,* l. IV, n. 141).

II. Inter onerosos autem effectus præcipui sunt: 1) Obligatio tendendi ad perfectionem. 2) Obligatio recitandi Officium divinum.

295. **Obligatio perfectionis.** Etsi religiosus vi professionis non teneatur actu esse perfectus, tenetur tamen actu ad perfectionem tendere per media ipsi in sua Religione ordinarie exhibita, cum teneatur servare statum suum, qui status est tendentium ad perfectionem. Hinc graviter peccat qui de ea nullo modo curat; multo magis si suo exemplo alios religiosos inducat ad disciplinæ relaxationem. Quod si ita animo sit affectus, ut intendat quidem servare mandata

sub gravi obligantia, sed non alia; licet communius ac probabilius eum a gravi excusent, si sola attendatur obligatio tendendi ad perfectionem (nam sic jam videtur satis tendere posse ad illam): difficulter tamen posset excusari ex alio capite, prout scite ait Sanchez, nempe ratione periculi labendi in gravia, ratione scandali, etc.

Cæterum a gravi non excusatur superior qui negligit corrigere defectus leves in suis subditis, si complures sint et tales qui disciplinam communitatis pedetentim relaxare valeant. Quod item valet de superioribus aliarum communitatum (*S. Alph.*, l. IV, nn. 9 et seqq.).

296. **Obligatio divini Officii.** Religiosi si professi (ab hora ipsius professionis) et choro sint addicti, ad divinum Officium tenentur ex consuetudine, approbata a Gregorio IX (secluso contrario privilegio), quamvis nondum in Sacris. Et si justa de causa choro non interveniunt, tenentur Officium privatim recitare. Item moniales extra Galliam professæ tenentur quotidie sub gravi, ad divinum Officium ex consuetudine jam præscripta (*S. Alph.*, l. IV, n. 141).

Obligatio autem chori licet sit gràvis pro communitate, levis est pro singulis; modo chorus non tollatur, pro quo sufficiunt quatuor idonei (*S. Alph.*, l. IV, n. 143).

Dixi I: *Si sint professi et choro addicti;* neque enim tenentur novitii, cum nondum regulam sint professi: neque conversi etsi professi, qui ordinati sunt ad corporales labores. Tenentur autem ad Officium recitandum religiosi professi, licet profugi sint; quia statum non amittunt: licet suspensi vel excommunicati; cum sint in culpa et adhuc commode possint. Non tamen probabiliter tenentur qua religiosi, si per sententiam a religione ejecti sint: quia tunc non sunt amplius religiosi.

Dixi II: *Moniales extra Galliam;* moniales enim in Gallia (adde et in Belgio) cum hodie non habeantur uti moniales stricte tales, non obligantur ad divinum Officium recitandum sub gravi, nisi ex peculiaribus Ordinis constitutionibus ad id adhuc adstringantur: idque etsi pertineant ad Ordinem olim etiam in Gallia adprobatum, ut sunt Clarissæ. Et ita respondit S. Pœnitentiaria 26 nov. 1852. Verum in praxi consuetudo est ut dictæ moniales Officium quotidie recitent.

Nota. In Ordinibus vero, in quibus recitatur tantum Officium B. Virginis, recitatio non obligat Choristas sub gravi, licet vota solemnia in illis emittantur, v. g. in Ordine monialium Visitationis, ut pluries decisum est ex Gury. In hoc Ordine religiosæ conversæ et associatæ, loco Officii tenentur recitare quotidie certas preces (et dicitur *Officium laicarum).* Quæ item non obligant sub gravi (*S. Alph.*, l. IV, n. 141; l. VI, n. 63) (1).

297. **Exemptionis privilegium.** Hoc privilegium in eo consistit, quod regulares solemniter professi a jurisdictione Episcoporum sint exempti et Sedi apostolicæ immediate subjecti. Hoc factum fuit, ne regularium unitas dissolveretur, atque ad tuendam religiosorum quietem, ut multis probat Bouix; attamen plura hac de re Tridentinum præscripsit ad præcavendos abusus:

1) Ut Episcopus tanquam Sedis apostolicæ delegatus monachos extra claustra visitet, corrigat si deliquerint, et ubi opus, puniat.

(1) Novis Institutis votorum simplicium S. Congregatio Episc. recitationem Officii parvi B. M. V. plerunque præscribit; *at sine ulla gravi obligatione*, cum passim declaratum sit, regulas hujusmodi institutorum obligare sub culpa in iis dumtaxat quæ vota respiciunt vel lege divina seu ecclesiastica præcepta sunt; non vero in eo quod ex simplici constitutionum dispositione oritur. *S. C.* 27 sept. 1861.

2) Ut Sacramentorum administrationem, curam animarum et alia id genus quæ regulares habent cum exteris, Episcopus dirigat. 3) Ut neque in suis sine Episcopi benedictione petita, neque in aliis ecclesiis, sine Episcopi licentia obtenta, ad populum prædicent. 4) Ut non liceat in suis ecclesiis admittere sacerdotes sæculares vel regulares extraneos ad celebrandum contra prohibitionem Episcopi. 5) Ut in censuris evulgandis, festis servandis, cæterisque ad publicam divini cultus politiam spectantibus, Episcopo diœcesano regulares pareant. Etsi enim parochi regulares, qui sunt semper amovibiles ad diversitatem parochorum sæcularium, eligantur a superiore Communitatis, debent semper approbari ab Episcopo; Tridentinum, *sess.* XXV, c. 11 *de Regul.* (S. Alph., l. VII, n. 241).

In quadam diœcesi in Literis, quæ sacerdotibus etiam Ordinis religiosi ad audiendas confessiones, etc. exarantur, hæc ponitur clausula: *Nos concedimus N. N. per præsentes facultatem ad annum (vel ad biennium,* etc.) *ad audiendas confessiones, ad Evangelium prædicandum, ad Missam celebrandam.* Quidam Religiosi ægre ferunt clausulam, nempe temporis limitationem ad Missas celebrandas, utpote quæ adversatur eorum privilegiis. 1) *An hæc clausula adversetur illorum exemptioni.* 2) *Quando ob justam causam in religiosum extra claustra degentem propter publicas perturbationes, pœnam suspensionis decernit Episcopus, an excedat terminos juris?* S. C. Concilii respondit 4 sept. 1875: *Agendi rationem Episcopi non excedere terminos juris.*

Quoad *moniales* vero Tridentinum, *sess.* XXV, c. 9 *de Regul.*, statuit, ut quæ ex privilegio immediate subjectæ sunt S. Sedi, ab Episcopis tanquam S. Sedis delegatis gubernentur; quæ vero immediate subduntur alicui Ordini regulari, sub eorum cura et custodia generatim relinquantur. At clausuræ custodia Episcopo commissa est, etsi moniales sint Regularibus subjectæ; qui insuper si velint monasterium sibi subjectum visitare, petere debent ab Ordinario licentiam ex Alexandro VII; qui tenetur illis socium virum ecclesiasticum dare.

298. **Funera Regularium.** Parochus in cujus parœcia Regularis fortuito decidat, non potest sibi vindicare jura funerum, etsi eidem infirmo extrema Sacramenta contulerit. Sed est transferendum cadaver, si commode potest, ad aliquam Regularium suorum ecclesiam. Regulares enim qui non fuerunt violenter dispersi etsi suppressi, sed adhuc vivunt in conventu, exempti sunt a parochiali jurisdictione et proprium habere censentur sepulcrum, quod nec declinare possunt. *S. C. Episc. et Regul.* 6 maji 1870; et *Concilii* 21 aug. 1869.

Religiosi dispersi quoad funera subesse debent parocho loci, prout cæteri parochiani. *S. C. Episc. et Regul.* 25 febr. 1865. Jus agendi exequias super cadaveribus monialium spectat ad confessarium monialium: *S. R. C.* 16 martii 1808. Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventu (obstante v. g. lege civili) possunt regulares cadaver ad cœmeterium commune deferre cum stola et cruce conventus absque interventu parochi, modo absque solemni pompa et recto tramite. *S. R. C.* 24 jan. 1846. Associatio *cadaveris monialium* pertinet ad illarum confessarium, etsi moniales sint Episcopo subjectæ; sed associatio seu funus fiat sine pompa et recto tramite cum stola et cruce. *S. C. Conc.* 23 febr. 1872.

Notat Avanzini: verba *sine pompa,* vel *sine solemni pompa* idem significare; ita ut per hæc verba excludatur tantum pomposa delatio, quæ funeribus fieri solet convocato numeroso Clero sæculari et regulari, Confraternitatibus loci, etc. quæ sine parochi localis inter-

ventu et emolumento fieri non possunt. Non censeri autem pomposam funebri delationem, si Regularis defunctus associetur a solis ejusdem conventus Regularibus; ideoque neque pomposam censeri funebrem delationem defunctæ monialis, si fiat per paucos numero presbyteros vel clericos; maxime si aliquo modo seu titulo ad monasterium referuntur. » *(Acta S. Sedis,* t. III et VII).

299. **Ordinatio Regularium.** Regulares debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium ubi commorantur, ex Benedicto XIII Bulla *In suprema.* Imo S. Congregatio de mandato Clementis VIII jussit, ut si Sedes episcopalis vacet, vel Episcopus loci non habeat Ordinationem, superior possit dare literas dimissorias ad alium Episcopum; sed videat, ne ex industria ideo differat suorum Ordinationes. Propterea Benedictus XIV Constit. *Impositi* 1747, duas addidit conditiones:

1) Ut in tali casu nequeat religiosus ab alio ordinari, nisi præseferat attestationem Vicarii generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii ejusdem Episcopi de impedimento. Alias ordinans et ordinatus incurrunt pœnas in ordinantes sine dimissoriis. 2) Ut talis regularis examinari debeat ab Episcopo ordinante. Quod si monasterium sit nullius Diœcesis, poterunt religiosi ordinari ab Episcopo viciniori: si recuset sine causa, recurratur ad S. Sedem *(S. Alph.,* l. IV, n. 56; l. VI, n. 778).

Quoad *novitios* regularium, durante triennio post tyrocinium ante solemnem professionem, literæ testimoniales dari possunt a superioribus regularibus quoad tonsuram et minores Ordines, ut ordinentur ab Episcopo loci ex Const. Pii IX *ad Universalis* 1862. Qui si religionem deseruerint, vel ab ea dimissi fuerint, recidunt in jurisdictionem Episcopi, cui suberant ante ingressum in religionem *(S. Congr. super statum Regular.* 20 jan. 1860; *et S. C. Episc.* 6 martii 1864).

300. Cum hodie creverint Instituta cum votis simplicibus, præstat referre declarationem S. Concilii Episc. et Regul. quoad Ordines:

1) An et quomodo Episcopus admittere possit ad Ordinationem sodales Instituti Caritatis cum attestatione superioris domus declarantis eos domui eidem esse addictos. Seu potius necessariæ sint dimissoriæ vel testimoniales ad normam Constitutionis Innocentii III *Speculatores?*

2) An et quomodo idem dicendum sit de sodalibus jam promotis ad tonsuram vel minores Ordines ab alio Episcopo?

3) An et quomodo, non obstante promissione obedientiæ in actu ordinationis Episcopo facta, licitum sit superioribus Instituti transferre sodales in aliam provinciam sine dependentia illius Episcopi?

4) In casu egressionis ab Instituto ob dimissionem vel dispensationem, sodales iidem pertinent ad jurisdictionem Episcopi loci, ubi sita est domus cui adscripti sunt; an ad Episcopum cui subditi erant ante adscriptionem Instituto?

S. Congregatio 6 martii 1864 declaravit: Ad 1: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* Ad 2: *Affirmative in omnibus.* Ad 3: *Superiorem provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciæ juxta Constitutiones a S. Sede approbatas.* Ad. 4: *Negative ad* 1m *partem; affirmative ad* 2m.

301. **De Confessione et Communione quoad Regulares.** Plura quoad religiosos proprie dictos seu cum votis solemnibus a canonico Jure, a Pontificum Constitutionibus ac consuetudine statuta sunt (V. *S. Alph.,* l. I, app. 2a, nn. 95, etc.).

I. Regulares ad excipiendas Confessiones sæcularium indigent Episcopi loci approbatione; non vero ad excipiendas Confessiones

suorum religiosorum vel sæcularium, qui sunt de familia et continui commensales; tunc sufficit probatio Prælati regularis.

II. Prælati religionum possunt sibi reservare casus, si cupiunt, sed uti decrevit Clemens VIII, 20 maji 1593, tantum undecim, et non ultra sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, aut provincialis pro provincia. Casus determinati sunt: 1) Apostasia. 2) Egressio nocturna et furtiva a monasterio. 3) Sortilegium. 4) Peccatum mortale contra paupertatem. 5) Furtum mortale de bonis monasterii. 6) Peccatum carnale opere consummatum. 7) Perjurium in judicio. 8) Cooperatio in abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto. 9) Occisio vel gravis percussio. 10) Falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii. 11) Malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio literarum superiorum ad inferiores vel contra.

III. Regulares aliæque personæ exemptæ non incurrunt episcopalem reservationem. Ideo regularis qui ex superioris sui licentia, vel ex concessione juris (ut si non habeat socium sui Ordinis), sua peccata confitetur sacerdoti sæculari diœcesano, poterit absolvi a reservatis Episcopo, etsi talis confessarius non sit approbatus pro reservatis (1).

IV. Superiores regulares qui ex proprio Ordine facultatem habent deputandi confessarios, nisi obstet Constitutio, possunt licentiam impertiri suis subditis, ut tam intra quam extra claustra degentes confiteantur cuilibet sacerdoti tam sæculari quam alterius ordinis; si tamen sit ad confessiones approbatus; ut patet ex resolutione S. C. C. 18 sept. 1769. Et Pius IX Brevi 28 sept. 1852 indulsit Cappucinis, ut a confessario extraneo *possint obtinere sacramentalem absolutionem etiam quoad casus per statuta Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, præstita tamen obligatione, se statim ut primum licuerit, superiori suo regulari præsentandi, et ab ipso absolutionem impetrandi.*

V. Regulares etiam ad tempus sæcularizati debent exomologesim suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus in actu sacramentalis Confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in Diœcesi reservati minime sint. *S. C. Regularium* 27 aug. 1852.

VI. Postulatum fuit: « 1) Utrum religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo superiore vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat Confessiones sæcularium. 2) An superiores regulares jurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis Confessionibus sæcularium etiam ex informata conscientia. 3) An valeat suspensio oretenus data et absque scripto enunciata. 4) An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus sit valida. 5) An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat? — S. Concilii Episc. et Reg. 2 martii 1866 respondit: Ad 1: *affirmative.* Ad 2: *affirmative, ita tamen ut religiosus suspensus illicite, non vero invalide Confessiones exci-*

(1) Regulares ex privilegio possunt dispensare et commutare vota sæcularium, exceptis votis solemnibus et quinque reservatis, etiam extra confessionem; sed pro foro tantum conscientiæ. Possunt dispensare et commutare juramenta nisi sint promissiva a tertio acceptata. Possunt in confessione sacramentali dispensare conjuges a voto perpetuæ castitatis ad usum matrimonii, si tamen non sit emissum mutuo conjugum consensu. Possunt in confessione dispensare conjuges ab impedimento exigendi debitum conjugale ob incestum cum consanguinea compartis, etc. (*S. Alph.*, l. I, app. 2ª de *privilegiis*, nn. 104 et seqq.).

piat. Ad 3: *affirmative, cum feratur per modum præcepti particularis.* Ad 4: *affirmative.* Ad 5: *provisum in præcedentibus.* » Id est non incurrit, nam ex responsione ad tertium suspensio fertur per modum præcepti; ideo subditus inobediens erit, non violator censuræ, unde non fit irregularis.

VII. A S. Pœnitentiaria quæsitum fuit: « An Prælati regulares post Constitutionem *Apostolicæ Sedis* Pii IX, iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, idest an possint suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis? Responsum: *Negative, salvis aliis facultatibus quæ promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis;* 5 dec. 1873. »

VIII. S. Concilii Congregatio ad dubium: An regulares possint laicis ratione hospitii et similis habitantibus in eorum conventibus, si ibidem infirmentur, ministrare Eucharistiam pro Viatico, nec non Extremam-Unctionem, respondit anno 1649: *Non posse, sed tantum illis qui sunt continui commensales et de familia conventuum* (ex Tridentino, sess. xxv, c. 11 *de Regul.*; et Constit. Gregorii XIII *Circumspecta*, 17 febr. 1649).

IX. Ad dubium: An clericus, pistor, alitor et spenditrix habitantes in cortili monasterii...., habeant requisita Concilii in casu? S. Congregatio respondit 21 jan. 1713: *Negative,* non habentur de familia.

X. Propositis dubiis: 1) An famuli et famulæ monialium sæculares in iisdem mansionibus (sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis et quæ sunt contigua monasteriis, et habent portam quæ clauditur in casu) degentes, teneantur recipere Eucharistiam tempore paschali a Parochis, in quorum parochiis monasterium et mansiones sitæ sunt in casu? 2) An ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis famulis et famulabus ministrare in ultima infirmitate in casu? S. C. C. 17 sept. 1822 respondit: Ad 1: *affirmative.* Ad 2: *affirmative.*

XI. Non possunt Regulares in propriis ecclesiis administrare Eucharistiam die Paschatis sæcularibus, neque devotionis causa; pluries *S. C. Concilii.* Romæ excipitur etiam feria v in Cœna Domini.

XII. *Juvenes et convictores alumni viventes pro studiis in regularium collegiis, et puellæ in exemptis monialium monasteriis educationis causa degentes, habendi sunt veluti spectantes ad cœnobii et monasterii familiam adeo ut, irrequisito Parocho, Communionem paschalem, Viaticum et Extremam-Unctionem a superiori regulari recipere possint?* S. Congregatio 8 junii 1860 rescripsit: *Dilata et dividantur dubia.* Summus autem Pontifex in casu illo 3 sept. 1864, exemptionis indultum largitus est. Cæterum solent Episcopi ad omnem removendam difficultatem regularibus facultatem concedere, certioratis Parochis, Pœnitentiam et Eucharistiam illis adolescentibus et puellis administrandi.

Art. 2. — De Votis religiosorum.

Vota emissa a Monialibus in Belgio et Gallia ante civilem suppressionem remanent solemnia etiam suppressione secuta; quæ tamen post illam emittuntur, simplicia habentur: hoc tamen non extenditur ad regulares; ex S. C. et Pœnitentiariæ resolutionibus. *Prælect. Juris can. in Seminario S. Sulpitii.*

302. **Votum paupertatis.** Religiosus (idem est de moniali) ex voto solemni paupertatis ad hoc obligatur, ut *nihil habeat proprii*

in particulari ad disponendum ex bonis temporalibus sive mobilibus sive immobilibus, nisi Sede apostolica dispensante (Trident., sess. xxv, c. 2 *de Ref.)*. Dictum *est ex bonis temporalibus;* quia bonorum spiritualium, v. g. famæ, honoris, religiosi dominium retinent. Idem dicunt de Reliquiis sacris, idem probabilius ac communissime tradunt de manuscriptis (non vero de libris impressis), quia talis est consuetudo *(S. Alph.*, l. iv, nn. 14, 36).

303. Tale votum utpote personale comitatur etiam assumptum ad Episcopatum, uti tenent communiter, adeo ut Episcopus regularis testari non possit; cum usum, non proprietatem bonorum habeat. Et ideo quæ acquirit, ea non sibi, sed suæ Ecclesiæ acquirit; et ideo pro ecclesia testamentum scribere debet curando, ut illi bona obveniant, etiam coram lege civili.

Si vero regularis sit Episcopus tantummodo *in partibus*, bona acquisita in pia opera impendere debet ex S. Sedis præscriptione *(Acta S. Sedis*, t. i).

Resolutiones: 1) Contra expressam prohibitionem Tridentini invaluit usus, ut religiosus possit aliquid possidere de licentia superioris. Ideo censent probabilius temperatum fuisse Concilii rigorem ex præsumpta Papæ permissione *(S. Alphon.*, l. iv, nn. 14, etc.).

2) Permittunt communiter, ut religiosus possit elargiri cui voluerit suas *pietansias,* quæ limitate ei præbentur, ut ova, carnes, etc. nisi superior id expresse vetet. Idem est de munusculis devotionis et levibus dationibus remuneratoriis ex bonis concessis ad usum.

3) Facit contra votum paupertatis, qui accipit ab extraneo pecuniam ad libitum impendendam in opera pia, quia hic esset actus proprietatis. Secus, si pia opera jam sint determinata a donatore; tunc religiosus non esset nisi executor. Imo etsi opera non sint determinata, adhuc licere docet Sanchez; quia hic non recipitur pecunia ut propria, nec ut propria traditur.

4) Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis, æquiparantur. Unde hæc ratio habenda est in computanda gravitate, si furtum fiat de bonis monasterii. Alii assignant pro materia gravi duo scuta pro monasterio opulento. Admittunt alii non esse culpam gravem accipere aliquid de re comestibili multis vicibus; nam satis præsumitur licentia Prælati.

5) Generatim non peccat graviter religiosus clam accipiens rem aliquam a sua communitate, v. g. librum ad usum proprium, non tamen in perpetuum; tunc enim prælatus censetur tantummodo invitus quoad modum.

6) Generatim non peccat graviter religiosus res ad usum suum vel etiam extraneis mutuando sine licentia, modo sit tutus de restitutione facienda, nec damnum inferat communitati.

7) Peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate, saltem præsumpta superioris, aliquid emit etiam pro communitate; quia agit ut proprietarius. Non est autem peccatum sub conditione licentiæ obtinendæ, aliquid accipere, vel donare, modo res recuperari vel dari possit, si licentia negetur; quia actus reapse est suspensus.

8) Non peccat contra votum paupertatis qui sine licentia Prælati accipit pecunias extranei in depositum (cum animo reddendi quando dominus voluerit); sed potest esse contra obedientiam.

9) Qui habet licentiam dandi aliquid Paulo et dat Petro, non peccat, nisi superior dederit licentiam pro Paulo ob peculiarem circumstantiam, alioquin negaturus.

10) Ex tacita sive præsumpta superioris licentia potest religiosus modicam summam ludo honesto exponere.

11) Congregatio Episc. et Regul. 1863, ad quæsitum, an liceat Franciscanis uti in itineribus viis ferreis, respondit: *Affirmative ex rationabili causa de licentia superioris, prout in rhedarum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis.* Et 21 julii 1876 declaravit ad obtinendam a superiore hanc facultatem *sufficere rationabilem causam, quin etiam taxative concurrere debeat infirmitas aut manifesta necessitas.* Acta S. Sedis, t. I et 9.

12) Regulares in Diœcesi ubi sedem non habent, non debent eleemosynas colligere, nisi habita licentia illius diœcesis Episcopi. *S. Concilii C. 7 junii* 1692 (1).

304. Quoad *Moniales* notanda speciatim: 1) Superiorissa habet bonorum sui monasterii administrationem, si non obstet regula, aut consuetudo. Potest elargiri in eleemosynas bona superflua, et modice donare etiam sine consensu aliarum. Potest sed non tenetur superflua in eleemosynas dispensare, si ea applicet in utilitatem ecclesiæ, habitationes, vel redditus augendos monasterii, ut plures ali possint moniales, vel ut melius servetur vita communis. Potest ex se contractus inire, sed in gravioribus requiritur consensus Capituli.

2) Monialis non potest cedere fructum sui livelli consanguineis, nisi de licentia S. Congregationis. Neque illum tradere monasterio, sub pacto ut istud solvat sua vita durante aliquam pensionem.

3) Per professionem solemnem dominium dotis in monasterium transfertur irrevocabiliter; ita pluries *S. C. Regularium;* idque etsi monialis transeat ad aliud monasterium. Verum (ait Vecchiotti) ex pluribus decisionibus erui et deduci posse videtur, dotem in ingressu traditam irrevocabiliter monasterio acquiri; sed monasterium obligatione tunc obstringi vel congrua alimenta præstandi, vel dotem restituendi. *S. C. Regul. in Navarien.* 14 *aug.* 1863.

4) Si vota non sint solemnia, dos restituenda est moniali etsi professæ, si egrediatur; ex *S. C. C.* 1738. Excipe, si contrariæ sint regulæ speciales alicujus monasterii; quia pactum servari debet: nec tunc dos restituenda est, ut rescripsit *S. C. E.* 10 junii 1828.

5) Non potest Ordinarius præfigere quantitatem dotis ita, ut moniales nequeant plus recipere. *S. R. C.* 3 nov. 1604.

6) Monialis novitiæ professio potest differri ultra annum, si dotem competentem monasterium nondum receperit. *S. R. C.* 31 maji 1597. Potest tamen admitti in professionem antequam solvatur dos. *S. R. C.* 14 febr. 1653 *(Lucidi*, t. II, pag. 190; *Analecta*, an. 1867).

305. *Lex civilis in Gallia, Belgio, apud nos non amplius agnoscit incapacitatem dominii in religiosis. Quid resolvendum?*

R. Hac de re casum ponit Gury: « Sophronius professionem in Gallia emissurus, dubitat: 1) Utrum dispositio bonorum quam facturus est, antequam solemnia vota emittat, irrevocabiliter firmanda sit; quia testamentum ab ipso condendum, ex natura sua atque a lege civili essentialiter revocabile est, cum ipse non cognoscatur coram lege gallica ut religiosus. Et emissa professione dubitat, an hæreditatem vel legatum sibi delatum acceptare queat; cum ex lege illa sit adhuc dominii capax?) Nescit an actum publicum facere possit, juxta dispositionem aliquam ante votorum emissionem factam? 3) Cum oblitus fuerit de re aliqua statuere ante professionem, postulat, an stante eadem lege, adhuc disponere valeat?

R. Ad 1. Dispositio legis civilis est quid omnino indifferens quoad

(1) A lege civili, nisi obtineatur facultas, eleemosynas colligere *(questua)* prohibetur; a. 69 *legge di pubblica sicurezza; Cod. pen.* a. 142, etc. *(Scavini,* l. I, n. 627).

obligationes religiosas; parvi igitur refert si cognoscat statum religiosum vel non; lex enim canonica obligat in conscientia independenter a lege civili. Proinde tum religiosus, tum communitas religiosa jura sua servant; ergo, semper eadem urgent, ideo eædem urgent obligationes et eædem habentur facultates sub lege civili gallica, quæ de Jure communi vigent. Ideo religiosus in Gallia sicut alibi dispositionem irrevocabilem bonorum suorum facere debet. Nec obstat quod haberi possit coram lege civili veluti proprietarius, vel homo jure proprietatis gaudens. Hoc neque ei nocet nec favet; igitur ad actum proprietatis faciendum cogi nequit.

Ad 2. Facta professione, bene potest religiosus facere actus civiles externos, conformes dispositionibus statutis coram Deo in foro conscientiæ ante professionem, ut subscribere, actum privatum efficere, etc.; tunc enim formam mere externam apponit. Non vero denuo disponit, adeoque nullum proprietatis actum facit.

Ad 3. Nihil agendum, quia professus non amplius de bonis illis disponere potest. Obvenient igitur monasterio, si nihil aliud obstet: vel recurrendum ad dispensationem pontificiam, ut alia quælibet dispositio fiat. Solus enim Papa in effectibus voti solemnis dispensare potest. » (Plurimæ resolutiones vide apud *Scavini*, l. I, n. 669).

306. **Votum castitatis et clausura.**

1. Ex voto *castitatis* religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria delectatione venerea tam interna quam externa. Proinde si contra fecerit, duo peccata committit, idest luxuriæ ac sacrilegii, etsi non sit in Sacris. Et probabilissime etiam peccat contra commune bonum, si periculum sit, ut infametur Religio.

2. Lex *clausuræ,* quæ a Pontificibus ad disciplinam tuendam inducta est, quæque tam viros quam mulieres solemnibus votis obstrictas (licet diversimode) respicit, duplex quasi est: *Una,* quæ religiosorum egressum e claustris; *Altera,* quæ extraneorum ingressum in claustra intuetur. Episcopus autem potest a S. Sede impetrare clausuram papalem etiam pro monialibus cum votis simplicibus, accedente consensu omnium monialium vocalium per vota secreta; ex S. Congregatione Regularium et Episcoporum 6 dec. 1839 *(S. Alph.,* l. IV, nn. 57, etc.).

307. Quæsitum fuit: 1) Utrum si non sint solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Tridentino edictis ubi Episcopus clausuram restituerit? 2) Utrum excommunicationis incurrat pœnam qui sine licentia ingrediatur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo restituta fuerit?

Ad 1m *Negative quoad pœnas sacris canonibus et apostolicis constitutionibus præscriptas.* Ad 2m *Affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.* S. C. Episc. et Regul. 1 aug. 1839. Potest enim Episcopus clausuram episcopalem sub gravi præscribere mulieribus religiosis cum votis simplicibus, ita ut nemo sine illius licentia eorum domus ingredi possit. Id tamen non est in usu.

308. **Egressus e claustris religiosis.**

I. Quoad *viros* statuit Clemens VIII Constitutione *Nullus: Nemo religiosorum audeat egredi e conventu, nisi ex causa et cum socio* (quod hodie vix observatur), *et de licentia singulis vicibus impetrata a superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius: licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur.* Quod confirmavit Ur-

banus VIII Constit. *Sacra Congregatio,* ubi Pontifici reservat potestatem dandi religiosis facultatem commorandi extra claustra, puta causa studii.

II. Quoad *sanctimoniales* vero arctissima est lex clausuræ, quam tulit Tridentinum : *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam per breve tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo probanda, indultis quibuscunque et privilegiis non obstantibus* (sess. xxv, c. 5 *de Reg.).* Imo neque id licet etiam causa translationis ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, vel alterius strictioris observantiæ sine licentia Sedis apostolicæ, ita declaravit S. C. Episcoporum (V. *Scavini*, t. iv, n. 593).

309. Statuit autem s. Pius V Const. *Decori,* Episcopos non habere facultatem licentiam impertiendi monialibus exeundi a monasteriis, *nisi ex magni incendii aut infirmitatis, lepræ aut epidemiæ periculo; sed neque in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licebit.* Ad incendium communiter revocatur bellum imminens, inundatio fluminis, ruina ædificii. In aliis casibus, uti si aliqua monialis ob morbum, puta phtysis, insaniæ, scorbuti aerem mutare debeat, vel ad balnea proficisci, etc., petenda est licentia a S. C. Episcoporum et Regularium.

Moniales extra hos casus exeuntes incurrunt in excommunicationem Papæ simpliciter reservatam, ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (vide n. 607). Et ipsæ *conversæ* ad clausuram tenentur, si intra monasterium vivant; S. C. E. 29 julii 1853. Item *educandæ,* quæ egrediuntur, quando monasterium deserunt; S. C. 26 aug. 1777.

310. **Ingressus in claustra religiosa.** I. Quoad claustra *religiosorum,* generatim non vetantur in ea admittere viros etiam laicos. Verum munus erit superiorum curare, ne omnes nec ita frequentius laici admittantur; quia esse non potest sine quietis ac pacis turbatione. At mulieres virorum cœnobia ingredi sub pœna excommunicationis ipso facto ac Papæ simpliciter reservatæ prohibuit Pius IX Constit. *Apostolicæ Sedis,* in quam incurrunt etiam superiores aliive eas admittentes. Excipiuntur ab hac prohibitione : 1) Reginæ, electrices et similes earumque filiæ. 2) Fundatrices, sed modo habeant pontificium privilegium exhibendum Ordinario diœcesis. 3) Fœminæ necessariæ ad curationem alicujus religiosæ, cum licentia superioris. Vel fugientes in cœnobium ad evitandam necem (*S. Alphon.,* l. vii, n. 231 ; et infra n. 608).

II. Quoad claustra *monialium* Pius IX citata Constitutione decernit excommunicationem ipso facto et Pontifici simpliciter reservatam incurrere *violantes clausuram monialium, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo* (vide n. 607). Hæc autem licentia tantum in vera necessitate est danda ex Tridentino; et quidem in necessitate monasterii vel monialium. Hinc non valet licentia data ad collocandam in monasterio aliquam fœminam, ne redeat ad vomitum; neque possunt uxores intrare causa adulterii vel dissensionis cum viris. In casu autem urgentis necessitatis ad salvandum honorem puellæ, cum moraliter est impossibilis ad S. Sedem recursus, licet Episcopo cum consensu Abbatissæ illam in clausuram ad tempus introducere; postea S. Sedem certiorando. *S. C.* 13 *julii* 1815.

Est autem hæc monasterii vel monialis necessitas late accipienda pro qualibet rationabili causa, ut docent Sanchez, Delbene, Barbosa

et alii; in stricta enim necessitate, lex humana jam cessat per se. Barbosa censet minorem causam requiri pro ingressu fœminæ in monasterium monialium, quam viri; pro ingressu diurno quam nocturno; pro ingressu consanguineæ quam extraneæ; pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora (*S. Alph.*, l. VII, n. 220).

311. *Resolutiones pro praxi.* 1) Licentia ad ingrediendum debet esse specialis, non vero generalis ad omnes casus, ad quos potest superior illam præbere.

2) Si monasteria sint Episcopo subjecta, ipsi competit jus concedendi licentiam auctoritate ordinaria; et tunc satis probabiliter ex jure competit etiam suo Vicario generali. Si monasterium sit immediate Sedi apostolicæ subjectum, Episcopo non competit nisi delegata auctoritas; et tunc non potest in hoc se ingerere Vicarius sine speciali Episcopi mandato. Quod potest Episcopus in hac re, potest etiam Vicarius capitularis. Si monasterium subsit regularibus, licentia datur a Prælato regulari. — Abbatissa autem nequit de jure ordinario licentiam dare; at potest Episcopus delegare Abbatissam vel confessarium vel prudentem virum ad illam concedendam.

3) In necessitatibus, quæ moram non patiantur, non requiritur ulla licentia; nam necessitas legem non habet: esset in casu mortis, incendii, etc. Hinc quivis sacerdos in mortis periculo ingredi potest ad ministranda Sacramenta, si non adsit adprobatus.

4) Medicus non potest ingredi, nisi licentia renovata singulis trimestribus et sociari debet a duabus monialibus. Non potest intrare initio Quadragesimæ ad cognoscendum quæ monialis sit dispensanda: quia id potest præstare ad crates, nisi monialis decumbat in lecto. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu Ordinarii, vel quando cum Ordinario habet consultationem. Chirurgus potest intrare ad secandam venam, et pharmacopola ad docendum (si opus sit) quomodo medicamen sit parandum.

5) Factores, notarii, et similes pariter possunt (at semper obtenta licentia; nisi res urgeat et longe sit qui eam concedere potest): v. g. ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum puellæ testamentum. Sicuti pariter ex licentia possunt fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores et similes, qui artem suam extra commode non possunt exercere. Item de bajulo; qui si in licentia nominatus, isto deficiente, non potest alius substitui, secus si licentia esset indeterminata, v. g. *ut bajulus ingredi possit.* Non possunt tamen admitti neque infantes neque amentes.

6) Confessarius potest ingredi ad Sacramenta infirmæ decumbenti ministranda, quoties ex præscripto regulæ dispensatur. Communio; item quoties monialis illa communicare consuevit. Debet autem ingredi indutus superpelliceo et stola, nec potest divertere ad aliam monasterii partem, neque ad visitandam aliam infirmam. Quanquam sentit De-Alexandris, quod confessarius postquam infirmæ Confessionem audierit, bene potest alium novum ædificium monasterii benedicere, vel etiam deferre alicui aliæ infirmæ Reliquiam: sic etiam potest (ait) ob causam immorari in monasterio ad intuendas officinas vel ad tractandum temporale negotium.

7) Confessarius sæcularis debet intrare solus, regularis cum socio probatæ vitæ et maturæ ætatis. Dum audiuntur Confessiones, debent assistere comitatrices ad januam ita ut confessarium videant. Confessarius monialibus deputatus non ideo potest dare benedictionem

in articulo mortis, sine speciali delegatione. Item neque Parochus loci, si moniales sint exemptæ; tunc enim non est proprie earum pastor *(S. Alph.,* l. vii, n. 221).

312. **Accessus ad Monasteria.** Intelligitur accessus ad ipsas moniales, eas invisendi et alloquendi causa. Hic porro ex Bonifacio VIII Constit. *Periculoso,* et Tridentino *(sess.* xxv *de Regular.),* generatim omnibus prohibetur clericis et laicis, si fiat sine Ordinarii licentia et sine causa (et quidem sub gravi si fiat habitualiter aut sæpe). Excipiuntur tamen proxime conjuncti, pauperes ostiatim mendicantes, et qui illis inserviunt.

Rigidior est autem hæc prohibitio quoad regulares; qui sub gravi et sub pœnis prohibentur accedere ad monasteria ad loquendum cum monialibus, cum novitiis et educandis; nisi licentiam expressam obtinuerint. Quæ datur ab Episcopo si monasterium non sit regularibus immediate subjectum; a regulari autem prælato et simul ab Episcopo si monasterium sit subjectum regularibus; idque concedendum est tantum quoad conjunctas in primo aut secundo gradu. *Ferraris,* a. 4, V.° Monialis. *Bouix,* De Regularibus.

Regulares qui absque legitima licentia id agunt præter privationem officiorum, dignitatum, beneficiorum, vocis activæ et passivæ et præter inhabilitatem ad audiendas confessiones incurrunt etiam ex Clemente XII Const. *Romanus Pontifex* excommunicationem Papæ reservatam. Hæc tamen non amplius obtinet post Constit. *Apostolicæ Sedis* Pii IX; neque hæc respicit internum Regularium regimen, ut illa adhuc sit in suo vigore.

313. **Votum obedientiæ.** Hoc voto religiosus obligatur ad omnia, quæ præcipit superior secundum regulas ac constitutiones, sive præcipiat *directe* et *explicite* ea quæ expressa habentur in regula (silentium, abstinentia tali tempore); sive *indirecte* et *implicite,* quæ nempe in regulis satis continentur, ut pœna in transgressores, et quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda: unde verus religiosus *amplius velle et nolle non habet.* Attamen ordinarie peccata contra obedientiam non habentur uti mortalia, nisi agatur de re gravi, vel de gravi scandalo.

Dixi: *Secundum regulas ac constitutiones;* non enim obligatur in iis, quæ sunt vel *contra* regulam (nisi adsit legitima dispensatio); cum debeat esse rationabile illius obsequium. Vel *supra* regulam, uti essent magnæ macerationes; nam id non esset fragilitati humanæ satis attemperatum. Quod autem regulæ jubeant obedire in omnibus, id præcise non est de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione. Et multo minus tenetur subditus obedire prælato jubenti ut incedat pedibus super aquas, etc. Nec valet quod talis obedientia aliquando a Deo miraculis fuerit probata; non est Deus tentandus sine superno lumine præcipienti et obedienti clare manifestato.

314. A religioso autem cavenda sunt non tantum peccata contra votum obedientiæ; sed etiam contra ejus virtutem. Ideo debet mandatis obsequi sine reluctantia et querimoniis. Attamen sentire naturalem repugnantiam meritum obedientiæ non minuit, modo ei non detur consensus.

315. Si superior præcipiat assistentiam peste infectis, religiosi tenentur obedire, si infecti sint ejusdem Ordinis; quia pertinet ad bonum commune, ut sibi invicem membra subveniant. Secus si agatur de aliis, qui non sint in necessitate (intellige, si Constitutiones id non præcipiant); nam nulla ratio est hujus tam gravis obligationis (S. Alph., *Ho. Ap.,* tr. xiii, nn. 18, etc.).

316. **Regulæ Religiosorum.** Regula religiosa (ait Suarez) collective sumpta, est quædam vivendi norma secundum perfectionem Evangelicam regens animos, et dirigens eorum actus ad illam acquirendam. Si in regula distincte exponatur, Religionis mentem esse velle *obligare vi præcepti*, qualis videtur esse regula s. Francisci, tunc obligat graviter vel leviter pro ratione materiæ ac verborum. Si vero expresse ponatur in regula, eam *non obligare in conscientia* ad culpam, ut habet regula Fratrum prædicatorum, Societatis Jesu aliarumque nonnullarum communitatum, tunc de se ad nullam culpam obligabit; sed solum obligabit in conscientia ad pœnam sustinendam; seu ad parendum superiori pœnam imponenti pro transgressione.

Hæc per se; nam quoad praxim quamvis regula ad nullam culpam obliget, vix potest violari sine aliquo peccato, v. g. ratione negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, etc. *(S. Alph.*, l. IV, n. 10).

317. **Regularum dispensatio.** Prælati regulares non possunt dispensare in regula, nisi iis concedatur a privilegio vel a jure. *Ratione privilegii* possunt Prælati etiam inferiores dispensare in rebus quæ sub levi præcipiuntur, in rebus frequentibus, in statutis propriis illius conventus. *Ratione juris* nequeunt dispensare in votis essentialibus; in aliis vero regulis possunt pro casu particulari, nisi expresse interdicatur *(S. Alph.*, l. IV, n. 194).

ART. 3. — De Religioso in aliam Religionem transeunte, Sæcularizato, Ejecto, Apostata, Fugitivo, Disperso et Reformato.

318. **Transitus ad aliam Religionem.** De jure communi a laxiore ad arctiorem Religionem religiosus transire potest, petita etsi non obtenta proprii Prælati licentia; sed hodie fit recursus ad Apostolicam Sedem. Transitum vero ad laxiorem prohibuit Tridentinum *(sess.* XXV, c. 19 *de Reg.)*. Sed Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*, eam concedit aliquando ob graves causas major Pœnitentiarius, modo ibi vigeat regularis disciplina.

319. **Sæcularizatio.** Ex gravibus causis S. Sedes nonnullis religiosis solemniter professis non solum ad tempus, sed etiam perpetuo in sæculo degendi facultatem concedit, in habitu presbyteri sæcularis, retento interius aliquo regularis habitus signo, ut sit illis memoriale perenne; eaque lege ut substantialia votorum suæ professionis cum novo statu compatibilia observent, et de congruo patrimonio provisi sub obedientia Ordinarii loci (etiam vi voti religiosi) vivant: en sæcularizatio.

Hujusmodi religiosi dominii remanent incapaces, ideoque nec hæreditates capere neque testari de suis rebus, neque Beneficium proprio nomine possidere; sed illum tantum nomine S. Sedis administrare possunt. Cæterum vide Indulta, quæ hac de re expediri solent a S. Congregatione Episcoporum et Regularium.

320. **Ejectio a Religione.** Ejectionis nomine intelligitur: *Perpetua separatio religiosi a suo Ordine, facta auctoritate judicis.* Ad hoc remedium veniendum est tantum in extremis, et servatis servandis juxta Canonum præscripta. Causa esset: 1) Si religiosus in gravi ac pernicioso crimine existens notorie incorrigibilis æstimetur etiam post longam saltem unius anni pœnitentiam in jejunio

et carcere. 2) Si diu tollerari non possit sine Ordinis infamia. 3) Si in admissione impedimentum valde grave reticuerit, v. g. lepram. Sententia expulsionis est Episcopo significanda, cujus in Diœcesi expulsus sedem statuere intendit, cum ei subdatur; attamen illum ordinare non potest (Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 11).

Ejecti obligantur ad votum *castitatis*. Quoad *paupertatem*, ejus quod acquirunt habent usum. Quoad *obedientiam* ac cæteras regulas, liberi sunt; nam istæ non respiciunt, nisi regulariter viventes, a quorum consortio juridice avulsi sunt (*S. Alph.*, l. IV, n. 79). Ex Constitutione autem *Apostolicæ Sedis* religiosi ejecti extra religionem degentes suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt (*vide* n. 643).

321. **Apostata et fugitivus.** Apostata a *religione* est qui post emissam professionem deserit Ordinem, excusso jugo regularis disciplinæ. *Fugitivus* dicitur qui recedit a claustro vel timens sævitiam Prælati, vel sibi vivere volens.

Apostata ac fugitivus omnibus legibus obligantur; cum adhuc sint vel esse debeant de familia. Ita communiter; imo apostata suspenditur ab Ordinibus si quos susceperit post apostasiam, privatur omnibus sui Instituti privilegiis, si habitum Religionis dimittat.

322. **Religiosorum dispersio.** Si irruente politicarum perturbationum turbine, religiosi dispergantur, et collegialem vitam interrumpere cogantur, versari debent in sæculo memores propriæ vocationis, vota solemnia firmiter custodientes. Legitimis superioribus remanent subjecti; et solet etiam pro illo tempore assignari Episcopus loci. In habitu clericali (si proprio uti nequeant) incedant, signum suæ professionis sub veste gerentes. Votum autem solemne paupertatis non impedit, quominus valeant sibi res utiles et necessarias comparare, pecuniam apud se habere, et contractus inire; præsumitur licentia. Quod tamen acquirunt, non sibi, sed Religioni acquirunt (apud *Scavini plures recentes resolutiones*, l. I, n. 669).

323. Q. *An qui professionem emisit in Religione, quæ de suo vigore remisit, possit cogi ad regulam primitivam?*

R. Cum Suarez: alii dicunt obligari posse aliquem ex vi voti, ut servet primitivam regulam, etsi propter relaxationem ab aliis non servetur, et nondum facta sit reformatio.

Alii communiter tenent ante reformationem non posse aliquem cogi ad servandam regulam quoad eam partem, in qua illam relaxatam invenit; posse tamen facta reformatione, et tunc obligari quemlibet religiosum etsi antea professum.

Alii absolute negant posse religiosum obligari ad acceptandam reformationem, si relaxatio legitime præscripta est: nam nemo obligandus ad observandum, quod ab initio legitime professus non est.

APPENDIX

De Abbatissa, de Visitatione monasterii, de Educandis, Congregationibus sine votis solemnibus et Tertiariis.

324. **Abbatissa.** Hic plura notanda ex Tridentino, et Sacris Congregationibus et communi Doctorum sententia.

1. In ejus electione quoad monasteria non exempta vel Sedi apostolicæ reservata, præsidet Episcopus vel ejus delegatus vota excipiens. Quoad exempta, præsidet Prælatus regularis vota excipiens, sed cum Episcopi assistentia. Facta electio confirmanda est, secus nequit Abbatissa officium exercere. Quæ insuper benedicenda est: hæc tamen benedictio etiam simplici sacerdoti potest committi.

2. Debet eligi quæ minor non sit 40 annis, et quæ 8 annis post professionem laudabiliter vixerit. In defectu potest eligi monialis habens 30 annos ætatis et 5 professionis, vel ex alio monasterio sumenda. Electio esse potest ad triennium: quo expleto ex S. C. dispensatione ad alterum triennium eadem monialis eligi valet, at non amplius: imo post secundum triennium omni auctoritate carere debet, vel recurrendum ad S. Sedem.

3. Non potest eligi infamis, vidua, cæca, surda, muta. Ad electionem sufficit major votorum pars. Concurrunt ad electionem tantum choristæ professæ; et si quæ monialis est in lecto infirma, etiam ejus votum accipi debet. Si discordent, non potest Prælatus dare suum suffragium, sed præfigat tempus ad novam electionem; quo elapso, ipse Abbatissam deputabit.

4. Abbatissa tenetur observantiam curare, et omnibus præsto esse. Non potest auctoritativo modo dispensare quoad observantias Religionis, v. g. quoad jejunia frangenda, esum carnium contra regulam; sed bene potest ex commissione Prælati; vel etiam declarare jejunium aut aliud præceptum non obligare, eo in casu.

5. Cum mulier non sit capax jurisdictionis spiritualis, Abbatissa non potest proprie dispensare in votis monialium. Hinc cum in quadam formula votorum diceretur: *ma solubili dalla superiora,* S. C. C. voluit, ut illud expungeretur; nam superiorissa non solvit vota dimissarum sororum, sed vota ipsa cessant ex prævia conditione, cum dimittitur e societate soror. Attamen potest quibusdam in casibus vota particularia irritare quemadmodum parentes vota filiorum. Hæc quoad moniales professas; vota enim novitiarum potest tantum suspendere, si professioni officiant, nisi novitiæ illa emiserint adhuc sub potestate parentum; tunc superiorissa cum succedat in eandem potestatem, potest illa irritare *(S. Alph.*, l. IV, n. 52).

325. **Visitatio Monasterii.** Episcopus singulis annis tenetur visitare monasteria monialium sibi subjecta per se, vel per Vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem Pontifici immediate subjecta etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed Apostolica auctoritate. Exempta vero visitantur a prælato Ordinis; attamen quoad clausuram adhuc ab Episcopo debent visitari, uti ab Apostolica Sede Delegato. Hinc claustra intrat (cum ecclesiasticis tamen piis, et non ultra octo), januas, crates, rotas, hortum, murorum septa, cellulas,

lecta et alia ad clausuram spectantia perlustrans. In visitatione autem totali omnia perlustrat, et videt quæ ad monasterii bonum sive spirituale sive temporale conducunt.

326. Moniales tenentur visitatori interroganti veritatem aperire circa observantias regulæ, etsi transgressiones sint leves, quia ordinarie ab istis incipit tota relaxatio. Excusantur a manifestatione, si crimen sit emendatum, vel occultum, vel certe constet Prælatum nullum remedium habiturum; si manifestatio vergat in damnum proprium; vel crimen sit cognitum sub secreto naturali, nec sit causa damni communis.

Episcopus visitationem agat omnia sine strepitu et figura judicii lustrans præcipue quæ ad mores corrigendos spectant, quia non procedit ut judex, sed ut pater et medicus. Quod si judicialiter sit procedendum, extra visitationem id agat processu regulari.

327. **Puellæ Educandæ.** Puellæ educationis causa, admitti valent a monialibus professis in earum conventibus, sed loco separato et sub clausura, et cum licentia S. C. Episcoporum (nisi agatur de illis monasteriis quæ ideo instituta sunt). Item requiritur consensus superioris et monialium per secreta suffragia, et non excedant numerum designatum, ut 7 annum expleverint, et 25 non compleverint; quo completo statim exire debent. Ad earum animam rite informandum plurimum confert librum: Dassano, *Manuale per le Educande;* Genova, 1876.

328. A S. Congr. Regular. quæsitum fuit: « 1) Se l'uso da lungo tempo introdotto in quasi tutti i monasteri della Visitazione di ricevere le giovani in qualità di educande sia in opposizione, ovvero conciliabile con le regole e costituzioni di questo Istituto? 2) Se salve le suddette regole e costituzioni possano educarsi le giovani ed istruirsi o col mezzo di qualche religiosa dell'Istituto, ovvero di qualche giovane donna secolare da introdursi appositamente in monastero, nell'arte del disegno e della musica istrumentale? 3) Se si possa tollerar l'uso che le lezioni di disegno e di musica istrumentale si diano alle giovani educande da qualche professore nel parlatorio esteriore, alla presenza però e sotto la vigilanza della maestra? » S. Congr. approbante Gregorio XVI 18 aug. 1843 in Annecien. respondit: Ad 1: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* Ad 2 *et* 3: *Prudentiæ Ordinariorum, exclusis tamen magistris quibuscunque masculis sub quolibet prætextu.*

Et in approbatione Sororum a S. Joseph Camberien., anno 1860, habetur: *Minime adprobari poterit, ut viri constituantur magistri educandarum ad eas in arte musica instituendas.*

329. **Congregationes sine votis solemnibus.**

1. Congregationes *virorum* si ab Episcopo tantum sint approbatæ ab ejus nutu omnia pendent. Si vero habeant Pontificiam approbationem, tunc norma esse posset Constitutio Benedicti XIV, 21 jan. 1758, *Emanavit,* data pro Oratorianis; ubi decisum fuit, quod talis Congregatio est Episcopo subjecta in modo, in forma; excepto ejus instituto. Item non subduntur ei interiores œconomiæ, electiones, admissiones et expulsiones presbyterorum.

II. A Congregatione Regular. et Episcop. quæsitum fuit: « 1) Se la regola dell'Istituto della Carità meriti la formale approvazione della S. Sede? — 2) Se convenga estendere ad un tale Istituto (in quo vota simplicia perpetuo emittuntur) i privilegi de' Regolari? — 3) Se questi privilegi vogliano concedersi all'Istituto come a pia Congregazione o come a Congregazione religiosa? — Rescriptum fuit

30 dec. 1838: Ad 1: *Affirmative.* Ad 2: *Affirmative juxta modum, hoc est: pro exemptione a jurisdictione Ordinariorum quoad visitationem domorum et ecclesiarum, et quoad disciplinam et observantiam regularem. Itemque pro facultate expediendi suis subditis literas dimissoriales ad Ordines minores et sacros.* Ad 3: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* »

III. Congregationes vero seu Conservatoria *mulierum* sine votis solemnibus et clausura S. Sedes antiquitus minime approbare consueverat ad tramites Constit. *Circa* s. Pii V. Verum tractu temporis eas laudare cœpit, et ultimo approbare non renuit. Quæ tamen adprobatio non est solemnis uti pro monialibus proprie dictis; sed approbantur tantum uti Congregationes sæculares. Hinc ex S. Congr. Regul. moniales sic profitentes, *quæ clausuræ non obligentur, non sunt veræ professæ* (16 apr. 1619).

IV. Quæ Congregationes, secluso privilegio a S. Sede obtento, vel immemorabili consuetudine, vel conventione, sunt parochis subjectæ, neque potest Episcopus eas ab illis subtrahere quoad jura stricte parochialia. S. C. Concilii interrogata: « An in Communitatibus mulierum religiosarum (cum votis simplicibus) possit Episcopus permittere Capellano ministrare Viaticum et Extremam-Unctionem personis internis, quæ eum habent in vita confessorem, et eum cupiunt habere solatorem in mortis articulo? respondit: *De jure non posse, nisi prius declarata exemptione a jurisdictione parochi.* » (v. *Revue de sciences eccl.,* n. 53. *Acta S. Sedis,* t. IX).

V. Parochiale jus ad pias etiam domus extenditur, nec cessat nisi vel de sui natura exemptum sit institutum vel ob speciale privilegium aut centenariam vel immemorabilem consuetudinem tale factum sit *(Acta S. Sedis,* t. x, pag. 404).

VI. Expediret, ut novitiæ integrum biennium tyrocinii explerent in domo novitiatus, quin ad alios domos mittantur. Pro vestitione et professione præmittenda exercitia spiritualia per decem dies.

VII. Nimis frequens videtur Communio ex præscripto regulæ tribus vicibus in qualibet hebdomada. Novus quasi ritus admitteretur, si sorores instante Communione, in Ecclesia licentiam a superiorissa petere deberent.

VIII. Expungenda sunt quæ edicuntur de introducendis Sororibus in seminaria et collegia (ad parsimoniam curandam); cum sit res periculi plena haud permittenda. Vide *Methodus, quæ a S. C. Episcoporum et Regularium servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium.*

330. **Tertiarii.** S. Franciscus primum Fratrum, alterum Monialium, tertium utriusque sexus sæcularium de Pœnitentia Ordinem instituit. Inde *Tertiarii,* qui nullo suscepto exteriori habitu nec voto inito, perfectionis vitæ regulas profitentur. Quæ tamen ne venialiter quidem obligant. Tertiarii autem Regularium indulgentiis, non vero privilegiis specialibus participiant (V. *Manuale serafico... alle persone del terzo ordine secolare,* ecc. Modena, 1870).

DISPUTATIO SECUNDA

DE OBLIGATIONIBUS LAICORUM

CAPUT PRIMUM

De Imperantibus, Deputatis, Syndacis, de Subditorum obligationibus, et tributorum solutione.

331. **Imperantes.** Præcipue tenentur supremi imperantes:

I. Publico bono prospicere hostes propulsando, vexationes impediendo, etc.; ideo enim summa rerum potiuntur — II. Bonum exemplum præbere; nam *regis ad exemplum totus componitur orbis* — III. Ecclesiæ catholicæ præsto esse. Hinc Rom. XIII: *Neque enim* (princeps) *sine causa gladium portat; Dei enim minister est.* Absit ergo ut Status ab Ecclesia sejungatur; *Gens enim et regnum quod non servierit Tibi, peribit* (Is. LX) — IV. Optimos eligere ministros et consiliarios; experientia enim teste, prava consilia imperantes et imperia subvertunt *(Scavini,* l. I, n. 675).

Encycl. *Quanta cura* a Pio IX damnata est hæc propositio: *Optima societatis publicæ ratio civilisque progressus omnino requirit, ut humana societas constituatur ac gubernetur, nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret; vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.* Item: *Optima est conditio societatis in qua ab imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet* (V. Scavini, l. I, n, 674 *de principum protectione;* et n. 675 *de ministrorum dotibus).*

332. **Deputati.** Cum deputati (idem dicendum de Senatoribus) præcipuam habeant partem in legibus aut statutis condendis, et publico bono curando, graviter delinquunt qui hoc munus suscipiunt necessariis dotibus destituti; et de restitutione tenentur si ideo damnum eorum opera eveniat. Ideo gravis etiam urget obligatio idoneos, probos ac religiosos deputatos eligendi sive communales sive politicos in gubernio legitimo. Et aliis circumstantiis præclusis, non solum peccant qui malis

suffragium tribuunt, sed etiam qui ad id non concurrendo in causa sunt, ut mali ab aliis eligantur; unusquisque enim tenetur quoad potest a republica damna avertere, si spes adest. Quot autem damna ab improbis sive municipalibus administratoribus sive publicis deputatis tum religioni tum civili societati obveniant, nemo unus ignorat (*Scavini*, l. I, n. 676).

Dictum est in *gubernio legitimo;* nam non una est sententia, si quæratur an liceat concurrere ad deputatorum electionem et in legumlatorum conventu sedere, in regno usurpato.

Alii tuentur id licitum esse; si enim societas in extremis versetur, si religiosa quæque in interitum præcipiter ruant, numquid culpandus catholicus homo coram populo, coram Deo, qui se non abstineat, sed suo suffragio, et protestando et reclamando nitatur iniquas leges repellere, justas condere? necessitas caret feriis. Hæc officia per se mala non sunt: quod si ideo usurpator videatur in sua auctoritate firmari, id per accidens evenit et præter intentionem; qui enim illa munia suscipit, hoc unum intendit, Ecclesiæ salutem, Religionis incolumitatem, populi securitatem et societatis ordinem. Præterquamquod facilius est, ut ipsis officia publica administrantibus, vel ad ea concurrentibus, restauretur legitimus princeps, quam si locum usurpatoris fautoribus cedant.

Alii negant licitum esse talem concursum; hoc enim fieri nequit sine scandalo et injustitia. Quo semel admisso actum esset de omni legitima potestate; hæc enim sunt officia illa, quæ directe et active concurrunt ad recognoscendum, ad juvandum, firmandum, solidandum invasorem in suæ usurpatæ potestatis exercitio; nam talia agere idem est ac illius personam sustinere, cum illo leges ferre ac regimen dividere. Esto quod inde aliquod boni evenire possit; at non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Hunc autem concursum maxime pro Pontificia Ditione Pius IX approbare omnino non potuit, ut ipse declaravit 18 junii 1874 et Brevi 29 jan. 1877 (V. *Civ. catt.*, serie 9ª t. VIII; *Scuola catt.*, t. IV). — Attamen merito licitum dicunt, concursum ad eligendos consiliarios municipales et provinciales; hi enim nonnisi res communitatis ac provinciæ bonum tuentur; leges non condunt, sed illas patiuntur ut quilibet privatus. Si tamen aliquid injustum proponatur abstinere debent a concursu. Ideo præstat ut ad eorum electionem omnes concurrant; nam succrescente pedetentim bonorum numero, justum et rectum tandem illam libertatem obtinebit, qua malum ipsum gaudet, ut ajebat ipse Pius IX Brevi anno 1876 ad catholicum Bononiæ Congressum (V. *Delle elezioni amministrative, racconto;* Bologna, 1878. It. Rondolino, *Dell'intervento dei cattolici piemontesi nelle elezioni amministrative;* Torino, 1878).

Alii media via procedunt, et docent rationem habendam esse locorum, personarum, temporum et circumstantiarum, quæ cum diversæ esse possint, ad diversas conclusiones nos conducere valent; et hoc (silente superiore, cujus responsum esset decretorium) prudentum est in praxi definire; ideo aliquando erit expediens, aliquando non. Quod sane uno tempore potest haberi uti conniventia ultronea, publici scandali ac perniciosa, prout contingere potest ab initio invasionis; alio tempore erit firma et utilis propugnatio, atque impellens necessitas ad publicum societatis et religionis bonum tutandum. Hinc patet vulgatum illud *neque electores neque electi*, et verum

et falsum esse posse, habita ratione circumstantiarum. Si enim nulla spes adsit rem publicam tuendi ac salvandi, vel si res eo devenerit ut regnum usurpatum mole suorum delictorum et errorum obrutum, in ruinam pronum sit, omnibus invisum, odiosum, intolerabile, non illud debemus nostro suffragio ac concursu ulterius fulcire et sustinere. Aliter vero resolvendum erit, si res non ita se habeat; quisque enim pro suis viribus tenetur ad impedienda mala et promovenda bona. Hinc nil mirum si responsiones legitimæ auctoritatis diversæ sint pro circumstantiarum diversitate; non enim agitur de objecto fidei aut de rebus intrinsece malis, quæ immutabiles sunt. Hinc S. Sedes si uno tempore concursum non expedire judicavit, alio vero tempore permiserat munus deputati ac senatoris suscipere, si tamen in juramento, quod emittitur fidelitatis et obedientiæ a lege civili præscripto, vel in publico Diario, vel alio modo satis noto limitatio fiat: *salvis legibus divinis et ecclesiasticis*, ita ut auferatur scandalum. Ad rem autem ajebat Pœnitentiarius major 25 febr. 1867 respondens ad Episcopum Montisregalensis: *L' applicazione ai casi particolari del principio di fare il bene e d' impedire il male dipende da mille circostanze, le quali ben ponderate faranno giudicare quando si debba o possa concorrere alle elezioni* (Scavini, l. IV, n. 244).

Cum ergo casuum resolutio admodum difficilis sit in praxi, saltem inopportunum est velle proprio marte quæstionem resolvere, quæ tanti momenti est. Sacræ auctoritatis placitum expectemus, cujus est definire liceat necne et quo pacto, hisce publicis se ingerere negotiis.

Quæres: *An liceat eligere indignum ad excludendum indignissimum?* — Alii cum Hurtado negant; nam malum est malum velle et eligere; et si non sunt facienda mala ut eveniant bona, a fortiori non sunt facienda mala ut eveniant minora mala; id enim est intrinsece malum ac jure naturæ prohibitum. Huc facit illud: *Pereat mundus, sed justitia fiat.* — Alii cum Lugo affirmant; nam licitum est consulere minus malum ut majus evitetur. Et tunc proprie non eligitur malus quia malus vel ad malum, sed ideo eligitur, ut impediat majora damna, quod bonum est. Et hoc non potest dici esse malum intrinsece et per se, cum in præsenti casu rationem boni habeat; est enim mali diminutio. — Alii tandem id ultro concedunt si non tantum ex tali electione minuatur malum, sed aliquid boni intendatur et speretur ab eligendo, uti si per eum catholici assequi valeant eam libertatem, qua mali fruuntur. Hinc Cardin. Archiep. Neapolit. hac de re ajebat 28 martii 1867: « *Si spes haberi nequit, ut catholici viri eligantur, clarum est quod tunc necessitatem subire debemus bonum possibile operandi ad majus malum vitandum. In hoc casu etsi candidatus non sit nostræ plenæ fiduciæ, erit eligendus, modo talis sit ut valeat multa mala evitare, et bonum agere vel aliis se uniendo ad leges iniquas impediendo, vel vocem suam attollendo pro tuenda religione et justitia, vel aliud bonum sua auctoritate procurando.* » Accipe, si concursus sit permissus (V. La Scuola catt., *t.* XI: *Le liste concordate;* Diana, *De potestate Episcopi;* Lugo, *De justitia;* Croix, *De Beneficiis).*

333. **Syndici.** Syndici communitatum eorumque adjutores (sicut et cæteri reipublicæ præfecti, ac provinciarum consiliarii) suas habent obligationes, et quidem gravissimas; cum a lege deputati sint Communitatum rectores ac tutores, ut nempe illarum bona et jura tueantur legumque observantiam, si

justæ sint. Ideo graviter peccant et tenentur de damnis, si acceptatores personarum ineptos eligant ad publica officia, si malos non cohibeant, si scandala non impediant valentes, si bona communitatis dilapident, si quæ religionis sunt quasi pro nihilo habeant, si ejus liberum exercitium coerceant, jura pervertant, aut illorum usurpatoribus operam præstent.

De quibus si opus, prudenter a confessario sunt interrogandi; nam non raro publici administri fatentur, ut dici solet, peccata Caroli, et tacent peccata Cæsaris, id est confitentur quæ commiserunt ut personæ privatæ, non ea quæ patrarunt uti ad publica officia deputati (1).

334. **Subditorum obligationes.** Sunt præcipuæ: 1) Ut imperantibus eorumque ministris debitum obsequium præstent juxta illud I Petri II: *Deum timete; regem honorificate* (2) — 2) Ut fidelitatem iis servent; qui enim, ait Apostolus (Rom. XIII) *resistit potestati, Dei ordinationi resistit* — 3) Ut justa tributa solvant; hæc enim necessaria sunt ad rempublicam tuendam. *Reddite*, ait Christus (Marci XII), *quæ sunt Cæsaris Cæsari* (3).

335. **Tributorum solutio.** Tributa realia, quæ nempe super terras, agros, domos imposita sunt, non videtur dubitandum solvenda esse in conscientia ante judicis sententiam, seu ante exactoris compulsionem, si nimis non exorbitent; cum ista debeantur modo valde naturali et ordinario, ac respiciant res stabiles, natura sua fructiferas et sub omnium oculis positas.

Quoad alia tributa quæ respiciun successiones, contractus aut merces, an sint solvenda in conscientia ante sententiam et auctoritatis compulsionem, non una est opinio. Prima probabilior, et generatim suadenda docet tributa omnia, si justa sint,

(1) Syndicus græce idem est ac latine *defensor*. Syndicus constituitur etiam casu quo quis oberatus evadat ex *Cod. comm.* Item syndacus appellatur seu procurator apostolicus qui bona religiosorum mendicantium administrat. Ferraris, V° *Syndicus*.

(2) Sane ordo justitiæ requirit, ait d. Thomas (2, 2, q. 104, a. 6) ut inferiores suis superioribus obediant; aliter non posset humanarum rerum status conservari.

(3) Tributa imponere possunt generatim omnes, quibus publica rerum administratio commissa est; cum id necessarium sit ad sustinenda onera communia. Hinc: 1) Imperatores, Respublicæ Principes cum suprema potestate. 2) Pontifex etiam quoad subditos aliis principibus subjectos ex potestate indirecta disponendi de temporalibus, si id opus est ad regimen spirituale. 3) Episcopus, cum consensu Capituli, in sua Diœcesi potest aliquam collectam imponere ad cultus necessitatem: est enim princeps sacrorum in propria Diœcesi. 4) Illi, quibus Principes elargiuntur hanc facultatem, uti sunt Civitates et Communitates. Cæterum per se tributorum impositio est actus primariæ jurisdictionis, seu eorum qui in terris suis superiorem non habent (*S. Alph.*, l. III, n. 615).

regulariter antequam petantur, in conscientia et ex justitia esse solvenda. Innititur Apostoli verbis: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* (Rom. XIII).

Secunda sententia, quæ negat, sua auctoritate et probabilitate non caret: licet enim subditi per se loquendo teneantur de jure naturali congruum subsidium Principi aut reipublicæ ministrare; non tamen tenentur sub culpa ad tot illa tributa quæ imposita sunt sub pœna notabili solvenda a fraudatoribus. Rationabiliter lex existimatur disjunctiva, nempe vel ut tributum solvatur ut liber quisque eat, vel ut solvatur pœna, casu quo fraudator deprehendatur. Quod est magis præsumendum; tum quia tot tributorum solutiones certo excederent principum et reipublicæ necessitates, si subditi integras impositiones solverent, tum quia in se videntur plus æquo graviora.

Quidquid sit, id unum pro praxi sapienter notant: generaliter loquendo, sunt populi hortandi ad tributa solvenda. Sed post factum non sunt cogendi ad restitutionem tributi defraudati, quodcunque sit; etiamsi tributa obligarent in conscientia, si probabiliter sibi suadeant in tanta eorum multitudine aliquid injuste solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates (*S. Alph.*, l. III, n. 615).

336. Notanda pro praxi: 1) Præpositi tributa non exigentes in re gravi graviter peccant, et ad restitutionem tenentur; cum ad hoc officium stipendio deputati sint. Excipiunt plures si benigne agant in re levi, maxime cum pauperibus ex communi sensu.

2) Graviter peccant qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; nam *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Tanto magis si eos pecunia corrumpant; tunc de restitutione etiam tenentur.

3) Posito, quod debeat fieri restitutio ob fraudata tributa, cui restituendum? Alii dicunt principi, quia contra ipsum fraus admittitur, etsi princeps gabellas locaverit; quia ob fraudes prævisas, illas minoris locare adigitur. Sunt tamen recentiores pii ac docti, observat Bouvier, qui docent restitutionem potius fieri debere subditis fidelibus; quia princeps fraudes prævidens istos cogitur tributis gravare, ut sibi compensetur. At cum sit impossibile, ut singulis subditis restitutio fiat, ideo merito concludunt eam pauperibus esse faciendam (*Scavini*, t. II, n. 737).

CAPUT SECUNDUM

De Judice, Juratis, Arbitris, Conciliatoribus et Apparitoribus.

337. **Judex**, seu *prætor* est *persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret.* Magna est judicis dignitas; nam, ut ait Angelicus (2, 2, *q.* 60, *a.* 2), judex constituitur ut minister Dei, unde dicitur Deuter. I: *Quod justum est judicate*, et postea subdit: *quia Dei est judicium.* Porro in judice requiritur:

1. *Scientia sufficiens* earum rerum, quæ ad proprium officium pertinent, ut est scientia legum. Qui enim aliquod munus acceptat, peritiam in illo tacite pollicetur. Porro ignarus judex, non potest absolvi, nisi cito instrui curet, vel officium dimittere sit paratus. Imo si magna imperitia, dolo aut negligentia injustam tulit sententiam, tenetur de damnis, utpote reus violatæ justitiæ non tantum legalis, sed etiam commutativæ, ex quasi-contractu cum privatis tacite inito ratione officii. Judex enim debet esse lex viva et animata.

2. *Animi integritas*, ita ut nec odio nec amori nec promissionibus, nec precibus nec minis cedat, clamante Ecclesiastico: *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Ad quod periculum avertendum omni jure prohibetur munerum acceptatio (1). Si autem peccat judex dona recipiendo, eo ipso peccat qui illa offert; cooperatur enim alterius peccato. Excipe rudes, quos plerunque ignorantia excusat; vel si munera dentur ad avertendam injustam sententiam quæ secus timetur. Item excipiunt levia munuscula, maxime accedente consuetudine; cum enim ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane refutarentur.

3. *Sententiæ* prolatio juxta legis præscripta, pœnas etiam statutas infligendo; judex enim non est dominus, sed executor legis, si tamen justa sit *(S. Alph.,* l. IV, n. 215).

Judex tamen potest relaxare vel imminuere pœnas statutas, si id ejus arbitrio lex remittat; nam *boni viri est, ut sit di-*

(1) Etsi lex positiva munera acceptare prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis; nisi lex exprimat, quod etiam invalida sit donatio, ut esset si quis recipiat pro gratia vel justitia obtinenda in Curia romana; quo in casu fit pauperibus restitutio *(S. Alph.*, l. IV, n. 206).

minutivus pœnarum. Secus non; quia ex d. Thoma *non est suum misericordiam facere;* sed severitatem exercere ad tramitem legis (2, 2, *q.* 67, *a.* 4). Pœnas relaxare a lege statutas et amnestias dare est supremi imperantis, attamen cum causa; secus graviter peccaret, quia excitaret delinquentes et indirecte concurreret ad delicta renovanda *(S. Alph.,* l. IV, n. 205).

338. *Resolutiones.* I. Judex in dubia causa quoad criminalia reo favere debet ex regula juris; *nullus,* ait Angelicus, *debet alicui nocumentum quodcunque inferre absque causa cogente.* In rebus civilibus si dubium sit de proprietate pro possessore standum est; quia in dubio melior est ejus conditio. In dubio vero de proprietate simul et de possessione, res dividenda inter litigantes: neque probabilius est in judicis arbitrio illam adjudicandi cui voluerit; nam judex non est rerum dominus, sed distributor juxta partium jura, jura autem hic sunt æqualia. Excipiunt, si res sit de causis piis, quibus tunc præstat favere *(S. Alph.,* l. IV, n. 210).

II. Judex non potest illum damnare quem privata sua scientia tantum scit reum esse; nam judex non ex privata scientia, sed secundum allegata et probata judicare debet: ita communiter cum d. Thoma. Excipiunt nisi forte necessitas suprema obstet, ut si agatur de bono publico tuendo.

Si e contrario judex privata scientia certo sciat, reum esse innocentem, qui tamen juridice probatur nocens, fatentur judicem debere omnem industriam adhibere, ut ipsum liberet. Si non possit, alii cum d. Thoma (2, 2, q. 67, a. 2) affirmant innocentem posse damnari; nam judicii norma non pendet a privata judicis scientia. Alii autem valde probabiliter cum d. Bonaventura id admittunt si agatur de causa civili, vel criminali minoris momenti, ut est pœna pecuniaria, privatio officiorum; non autem si agatur de criminalibus gravioribus vel de re intrinsece mala. Ratio discriminis est, quia respublica habet directum ac supremum bonorum dominium, ideoque potest subditos iisdem privare ob bonum commune, ne scilicet forma publici judicii subvertatur. Sed non habet dominium directum vitæ et corporis subditorum, neque potest statuere quod est intrinsece malum: sicut esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem judex privatim scit non esse suum maritum *(S. Alph.,* l. IV, n. 208).

339. *Injusta sententia.* Si ea sit certo injusta, non obligat in foro conscientiæ; nam injustitia non ligat; manetque parti

læsæ (etsi non appellet) jus suum illæsum; licebitque, si absque scandalo possit, sibi compensare. Ratio quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem justi judicii.

Verum in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est ad evitanda scandala et incommoda. Neque elapso termino (intra quem appellare licebat) actio illi conceditur; et merito tum in pœnam negligentiæ, tum maxime ob bonum publicum ut litium sit finis *(S. Alph.,* l. IV, n. 215).

340. **Jurati** *(giudici del fatto).* Sunt (vel esse debent) probi viri, qui ex civibus assumuntur in causis criminalibus ad pronuntiandum, post auditam controversiæ accuratam expositionem, circa existentiam facti et culpabilitatem accusati. Qui si accusatum declarent reum, judex pœnas juxta leges illi applicat; sin autem illum dimittit.

Jurati dare nequeunt votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscunt. Nam ex lege jurati (qui ideo juramentum emittunt) pronuntiare debent tantum circa factum et culpabilitatem juxta conscientiæ dictamen; neque tenentur legalem reddere sententiæ rationem sicut tenetur judex.

Si citatus reus sit a sæculari jurisdictione exemptus, juratus cum nequeat de illo cognoscere, deberet se abstinere. Verum si nullam possit adducere causam, ut a judicio abstineat, civili lege punitur. Ideo censent, eum adhuc in hoc casu intervenire posse; attamen prius exquirendo consilium, petendo facultatem, amovendo scandalum, et reo quantum in se est favendo. Quidquid tandem sit, juratus est in sua bona fide relinquendus, etsi non possit licite comparere, quando monitus non prævideatur obtemperaturus ob pœnam quam renuens deberet sustinere; sed amoto scandalo *(Scavini,* l. I, n. 685).

341. **Arbitri.** Illi dicuntur qui ad dirimendam aliquam litem a litigantibus uti judices assumuntur. Pactum quo facultas ipsis tribuitur litem componendi ac finiendi vocatur *compromissum,* quod confici potest scriptura tam privata quam publica, in quo tamen sub pœna nullitatis referenda sunt nomina ac cognomina partium et arbitrum; item determinanda est controversia. Arbitrum sententia ut valorem obtineat, intra quinque dies deponenda est penes Cancellarium Præfecturæ mandamentalis.

Arbitri non possunt mandatum suscipere, si sufficientem doctrinam non habeant; secus contra justitiam peccarent. Caveant autem ab acceptatione personarum, sed juxta leges judicent; vel de bono et æquo rem componant, si partes voluerint *(Cod. process. civ.).*

342. **Conciliatores.** Eorum officium quod ad triennium durat, est lites componere juxta justitiæ normam; et tenentur de damnis si injuste ac culpabiliter agerent. Si porro res de qua contestatio est, excedat valorem triginta libellarum aut sit indeterminatus, actus reconciliationis non obtinet nisi ut scriptura privata, quæ tamen in judicio admittitur (1).

343. **Apparitor** (vulgo *usciere, cursore)*, vel nuntius judicialis. Dicitur qui ex officio mandata judicis defert et exequitur. Cum apparitores sint ministri justitiæ, debent humaniter et fideliter suo officio perfungi. Videant, ne formalitates necessarias omittant; secus non justitiam legalem tantum, sed sæpe etiam commutativam læderent. Uti si se corrumpi sinant in alterius præjudicium; si lustrantes domos aspere agant, ut munus extorqueant; si excedant mandatum in bonis privatorum capiendis, etc. *(C. proc civ.)*.

Spectata lege naturali potest apparitor a singulis integrum salarium exigere, etsi una et eadem vice pluribus jussa tribunalis deferat, quia singulis suum officium præstat *(S. Alph., Ho. Ap.*, tr. XIII, n. 68).

CAPUT TERTIUM

De Accusatore et Denuntiatore, de Teste, Reo, Advocato, Procuratore, Referente, Secretario, Notario, Assessore et Promotore fiscali.

344. **Accusator et Denuntiator.** Is appellatur qui crimen superiori defert, tanquam judici ut puniatur (2). Porro accusare tenentur delinquentem: 1) *Ex justitia* fiscales, custodes agrorum et alii qui ad id deputati sunt, quique ideo stipen-

(1) Rex unum conciliatorem eligit ex tribus quos proponit Consilium communale (si unus non sufficit pro uno loco, possunt plures eligi). Ut eligi possit, debet esse ætate annorum 25, morari in loco sui officii et jus habere ad electiones communitatis. Hoc officium non est nisi honoris. *Cod. proc. civ.*, a. 22.

(2) Accusator proprie dicitur qui crimen superiori tanquam judici in scriptis defert, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum. Accusatio differt tam a *denuntiatione juridica,* quæ est delatio (etiam verbalis) facta superiori uti judici, ut reus puniatur, absque obligatione delictum probandi; quam a *delatione evangelica* sive paterna, quæ fit superiori uti patri ad rei emendationem simpliciter; de qua erit ubi *de caritate*. Hodie tamen denuntiatio juridica et accusatio promiscue sumitur. In causis civilibus accusator venit nomine *actoris;* sed accusatus dicitur *reus* uti in criminalibus.

dium accipiunt; qui si negligant, debent compensare damna inde obvenientia — 2) Quilibet privatus accusare seu potius denuntiare tenetur etiam citra superioris præceptum, ex caritate nempe quando agitur de communi et gravi damno vitando; unusquisque enim uti pars communitatis tenetur ex caritate illius bonum pro viribus tueri *(D. Thomas,* 2, 2, q. 68).

Imo obligatio per se urget, etiamsi agatur de avertendo damno gravi ab aliquo innocente juxta illud Eccli IV: *Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi.* In praxi tamen ad id raro tenemur, si res sit de damno privato; alioquin tribunalia essent plena accusatoribus cum Reipublicæ perturbatione *(S. Alph.,* l. IV, n. 234).

345. Ex *Jure romano* accusare prohibentur pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime conjuncti, id est filii respectu parentum, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti, atque e converso.

Ex *Jure canonico* laici respectu clericorum; hæretici non tolerati, excommunicati respectu fidelium. Item clerici in judicio sæculari, nisi agatur de causa propria vel Ecclesiæ vel suorum usque ad quartum gradum computationis canonicæ: et tunc tenentur ecclesiastici et religiosi, ad vitandam irregularitatem, protestare se tantum accusare ad sui suorumque defensionem. Quæ protestatio si omittitur in causa sanguinis (id est ubi mors vel mutilatio sequatur) etsi per oblivionem inculpabilem, adhuc irregularitas incurritur; quia oblivio excusat a culpa, non ab hac irregularitate, quæ inducta est lenitatis causa *(S. Alph.*, l. IV, n. 238; l. VII, n. 468).

Ex *Jure* autem nostro *civili* accusatio a quolibet fieri potest Procuratori generali *(Cod. proc. crim.*, a. 41). Neque ex d. Thoma est præmittenda *fraterna monitio*, si delictum publicum sit; *quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit; sed etiam aliis in quorum notitiam* (crimen) *devenit* (2, 2, q. 3, a. 7).

346 *Casus.* In quodam Collegio duo juvenes perditis moribus secreto condiscipulos ad graviora crimina inducere conantur. Bonos ad eos denuntiando nota *delatoris* absterret. R. *Magnam reprehensionem merentur qui infamiam seu notam iniqui delatoris* (spia) *illis infligunt qui grave crimen quod in publicam perniciem societatis aut communitatis vergit superiori deferunt, ut tanto malo opportune occurrat; eos siquidem ad id et animarum salus, et securitas publica et bonum communitatis omnino impellit, qui ideo secreto (habito consilio) ad denuntiationem tenentur sub gravi caritatis præcepto, etsi id agant cum displicentia, malorum dicteria despicientes; præterquam quod id semper sub secreto manet* (1).

(1) Quis enim non videt (ad rem cl. Berardi) immensa damna quæ ab aliquo scandaloso in Communitate oriri possunt? *Miseranda res est*, scribit s. Alphonsus (Reg. pro Semin.) *videre tot miseros juvenes antea innocentes et pios, qui postea in seminario evaserunt veluti sentina vitiorum.* Quapropter subjungit: *Quando opus est* (confessarii) *denegent absolutionem etiam seminaristis qui dum possunt alicui gravi scandalo remedium opponere certiorem faciendo Episcopum vel rectorem, abnuunt id facere. Advertendum est autem quod quum agatur hic de malo communi, multoties a gravi incommodo vel damno non excusarentur.*

Sempiternam infamiam potius meretur illud genus hominum qui nulla cogente necessitate, nullo urgente præcepto; sed ex malo animo, ex zelotypia et invidia, ex odio in fratrem aut ex lucri amore vel gratiæ ineundæ ad accusandum moventur (Scavini, *l.* I, *n.* 679: Il delatore e la spia).

347. **Testes.** Testes in genere sunt *personæ idoneæ, quæ ad fidem adstruendam adhibentur.* Juramentum prærequiritur in depositione testium, adeo ut secus nulla fides ipsis adhibeatur in præjudicium tertii. Testes dicuntur *contestes,* si concorditer deponant super eodem facto; *singulares,* si non concordent (1).

348. *Principia.* Nemo ex justitia tenetur se offerre ad testificandum, bene vero ex caritate, si agatur de avertendo proximi vel reipublicæ damno. Quilibet tamen tenetur se sistere in judicio si citetur ut testis, et veritatem aperire si a judice legitime et juridice interrogetur; est enim præceptum superioris; et renuentes puniuntur *(Cod. pœn.)*.

Quilibet; ergo etiam ecclesiastici generatim possunt et debent testari coram judice laico (habita licentia a proprio superiore, ubi vigent canones id præcipientes): ne scilicet in defectu pereat justitia; nam testimonium ferre est munus publicum. Si tamen clericus citetur uti testis in causa sanguinis, ad vitandum irregularitatis periculum præmittat protestationem præscriptam a Bonifacio VIII, se nempe id non agere nisi ad defensionem sui aut suorum, vel justitiæ publicæ utilitatem *(S. Alph.,* l. VII, n. 468).

349. **Juridica et legitima interrogatio.** Judex interrogat *juridice,* si adsit semiplena probatio delicti, v. g. unus testis de visu aut de auditu proprio, vel adsit notorietas aut infamia criminis aut manifestum indicium. Ideo judex tenetur reo manifestare statum causæ, ut constet de interrogatione juridica.

Interrogat vero *legitime,* si de re interroget quæ potest esse materia justi judicii. Hac ratione testis non debet deponere: 1) Si agatur de secreto sacramentali, quod in nullo omnino casu licet manifestare — 2) Si agatur de re quod quis sciat sub secreto naturali; imo etiam commisso, nisi obstet gravissima causa *(v. t.* II, n. 356) — 3) Si quis deberet testificari in sui vel suorum consanguineorum damnum, nisi damnum alienum prævaleat — 4) Si notitiam acceperit a viris non satis fide dignis;

(1) Generatim duo vel tres sufficiunt testes juxta illud Deuter. XVII: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum,* ad habendam probabilem certitudinem, quod satis est in humanis. Si tamen agatur de causa gravissima, plures testes requiruntur. *D. Thomas,* 2, 2, 9, 70, a. 2.

idem enim esset ac si nihil sciret — 5) Si factum cognovit per injuriam, v. g. aperiendo literas vel cogendo alium ad revelationem, nisi res sit de avertendo damno publico — 6) Si sciat reum non peccasse mortaliter, v. g. propter inadvertentiam, ignorantiam, etc.; nam mens judicis est inquirere tantum de gravi et culpabili delicto *(S. Alph.,* l. IV, n. 268; *Scavini*, l. I, n. 682). D. Thomas, 2, 2, q. 70.

350. *Resolutiones.* I. Si testis falsum sine gravi culpa deposuit, tenetur quod dixit retractare damnum eo quo potest modo impediendo; non vero jam illatum damnum reparare, cum non sit in culpa. Si vero id egit cum culpa gravi tenetur sub gravi ad damni reparationem; item testimonium revocare cum pari suo damno *(S. Alph.,* l. IV, n. 269).

II. Testis qui veritatem ex proposito celavit dicens *se nihil scire,* juxta alios tenetur ad restituendum ei cui damnum venit; quia testis posito præcepto, tenetur ex justitia veritatem patefacere. Sed alii probabiliter negant: quia testis non tenetur veritatem deponere, nisi vel ex præcepto judicis vel vi juramenti. Tacendo itaque veritatem non peccavit contra justitiam commutativam; sed tantummodo contra obedientiam vel religionem. Quod valere dicunt probabilius, etsi testis juraverit se dicturum veritatem; nam jurando non intendit se ligare, nisi vinculo religionis. Idem verius obtinet de illo qui sine causa se occultat ante vel post citationem, ne cogatur testimonium dicere; nam *ante* sola urget caritas erga proximum si agatur de bono privato, vel legalis justitia si agatur de tuendo bono publico; *post* etiam obedientia debita superiori; in neutro tamen casu obligat commutativa justitia. Attamen in foro civili qui hæc agit punitur *(C. pœn.).*

III. Qui falsam scripturam, aut chirographum supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus suum certum prosequendum non peccat contra justitiam commutativam; cum jus sit certum. Sed peccat saltem venialiter ratione mendacii officiosi; quia chirographum falsum est.

Potest autem aliquando peccare graviter contra caritatem erga seipsum, se exponendo proximo periculo gravissimarum pœnarum, si falsitas detegatur, quod facile evenire potest; et multo magis peccaret, si falsos testes induceret: nam læderet ordinem judiciorum, et cooperaretur juratæ aliorum falsæ depositioni. Porro in pluribus Synodis est reservata non tantum *jurata falsi in judicio depositio, aut veri reticentia facta ab*

accusatore vel teste; sed *ipsa etiam inductio falsi testis jurati in judicium.*

351. **Reus.** Judici legitime et juridice interroganti sub mortali tenetur veritatem candide fateri, etiam socios sui criminis revelando; nam justo judicis præcepto obediendum est (1). Id enim pertinet ad commune bonum, ut rei dignoscantur ac puniantur; maxime si pœna, quæ timetur, sit ecclesiastica, cum tunc sit medicinalis. Idque firmat Benedictus XIV Constitutione *Paterna caritas* (2).

Imo probabilius censeo cum d. Thoma adhuc obligationem gravem adesse, etsi reus fatendo veritatem periculum mortis incurrat; est enim de ordine publico, ut veritas aperiatur (2, 2, q. 69, a. 2). Attamen alii satis probabiliter, etiam intrinsece, negant cum Suarez, ad id reum teneri casu quo damnandus foret ad mortem, ad triremes, ad carcerem perpetuum, ad amissionem omnium bonorum vel totius famæ et honoris: neque ex silentio timeatur publicum et gravissimum damnum, v. g. eversio religionis vel reipublicæ. Nam non censetur lex imponere reo tam repugnantem obligationem, quæ humanas vires superare videtur.

Quidquid sit omnes conveniunt, uti par est, quod si reus difficile inducatur ad crimen fatendum interrogatus a judice, confessarius eum relinquere debet in sua bona fide si in ea sit, ad vitandum peccatum formale *(S. Alph.,* l. IV, n. 274) (3).

(1) In judiciis maxime civilibus olim tortura erat in usu ad criminis confessionem extorquendam, si illius non aderat clara probatio. Sed hodie merito non amplius adhiberi potest; nam bene multi innocentes vi tormentorum et metu doloris adducti fuerunt ad fatendum crimen quod non commiserunt. In judiciis autem ecclesiasticis rarus admodum fuit torturæ usus, et quidem mitis. *Vecchiotti.*

(2) *Si vero judex,* ait d. Thomas, 2, 2, q. 69, *hoc exquirat quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel per appellationem vel aliter licite subterfugere; mendacium tamen dicere non licet* (2, 2, q. 147, a. 4).

(3) « Si autem (habet Frassinetti) reus peteret a confessario an possit insistere negando (si agatur de vitanda gravissima pœna juxta secundam sententiam) putarem quod confessarius respondere poterit: *si sincere te pœnitet tuorum peccatorum, cum proposito satisfaciendi consectariis quæ ex illis advenerunt, ego te absolvo; quoad reliquum age quod melius putabis.* Sinerem ut publico bono provideat justitiæ administratio omnibus modis qui sunt in sua potestate. Neque puto scrupulose agendum quoad mendacium quod pœnitens proferret negando delictum; nam neque judex nec quivis alius credit reo asserenti se innocentem esse; at mendacium non est falsitatem dicere, quando certum est non esse credendam. »

Sed quid (peto) *si reus putet se graviter peccare si delictum a se patratum neget? et sciscitetur a confessario, an id in conscientia possit negare?* Utique mendacium non est negari quod quis non tenetur fateri vel quando certo fides ei non adhibetur. Sed de hoc instruendus reus, ne peccet conscientia erronea; neque enim id ex se resolvere valebit.

352. **Reorum fuga**. Si carcer reo est per sententiam adsignatus ad pœnam, nefas videtur fugam arripere, quia reus tenetur se submittere sententiæ; cum sit legitimum superioris præceptum. Quidam probabiliter excipiunt, si carcer sit nimis durus, ut damnatio ad triremes; vel saluti corporis nimis noxius, aut animæ periculosus. Tunc videtur supra vires illum obligare ad se minime liberandum, si potest sine vi *(D. Thomas,* 2, 2, q. 69, a. 4).

Si vero reus tantum detineatur ad custodiam, ut sententiam recipiat, poterit fugam arripere, et etiam e manibus militum sese eximere, modo id fiat sine corruptione ministrorum nec mediis per se malis et aliis damnosis; nam nondum delictum est juridice probatum, nec prolata sententia, ut docent communiter cum d. Thoma, 2, 2, *q.* 69, *a.* 4. Lex ipsa civilis tunc tantum intentationem fugæ punit, cum illa violenter vel cum damno evenerit *(S. Alph.*, l. IV, *n.* 279; *Scavini,* l. I, n. 680).

353. Probabilius autem licet reo innocenti, etsi jam condemnato, custodes (præcisa vi et corruptione) decipere ad fugam capessendam; item vincula et carcerem effringere; quia cum finis est licitus, etiam media licita sunt non intrinsece mala. Neque probabiliter tenetur reficere damnum illatum in carcere, vel si custos inde puniatur; hoc enim censetur per accidens evenisse *(S. Alph.,* l. IV, n. 271) (1).

354. **Advocatus et Procurator**. In iis requiritur (2):

1) *Scientia sufficiens*, ne clientem periculo litis perdendæ exponant. Tenentur autem ad restitutionem, si litis perdendæ periculum ei non indicent, quo cognito, cliens non litigaret. 2) *Justitia causæ;* nam iniquum est injustitiam tueri. Quo in casu non possunt compositionem suadere; cum ea non habeat locum, nisi in re dubia. 3) *Diligentia solers*, ut tempore opportuno negotium susceptum gerant: quod si differant cum clientis præjudicio, vel plures acceptent causas quam possint expedire, tenentur ad restitutionem. 4) *Honestas in pretio;* nam excessus est contra justitiam. Quod si a lege non sit taxatum.

(1) Illis qui non sunt ministri justitiæ, probabiliter in conscientia licet non solum consilio juvare reum ut fugiat, sed etiam suppeditare instrumenta (sed in civili punirentur); neque enim prohibeor alio dare, quo is licite uti potest. Excipe si fuga rei esset perniciosa reipublicæ, vel Ecclesiæ, v. g. si reus esset grassator viarum, hæresum seminator *(S. Alph.,* l. IV, n. 283).

(2) Proprie loquendo *advocatus* est qui litiganti præbet auxilium consilio, voce vel scripto; *procurator* vero seu causidicus qui mandato et nomine sui clientis in ipso judicio causam prosequitur. Alicubi eadem persona utriusque partes sustinet.

prudentum judicio juxta peritiam, et *considerata conditione personarum et negotiorum, et laboris, et consuetudine patriæ,* ut ait d. Thomas, taxandum est *(2, 2, q.* 71, *a.* 3 et 4).

355. *Resolve:* 1) Lugo contra alios censet posse advocatos, procuratores et similes in conscientia aliquid exigere ultra pretium taxatum a lege, quia advocati et alii ministri justitiæ vivere debent ex stipendiis proprii officii et jugiter augentur pretia rerum et expensæ; ideo non injuste aliquid supra taxam exigunt, si hæc revera non sufficiat ad honestam sustentationem; maxime, si attendatur ad extraordinarium laborem. *(S. Alph.*, l, IV, n. 231) (1).

2) Si postquam de stipendio conventum est, cliens incœptam causam deserat, advocatus potest totum exigere, si per eum non stet quod lis non prosequatur, nec justa adsit causa litem deserendi *(S. Alph.*, Ho. Ap., tr. XIII, n. 69).

3) Advocatus (idem de procuratore) statim ac advertit causam esse injustam tenetur clientem monere et illum deserere. Non tamen potest secreta causæ adversario aperire, nisi forte adversarius capite plectendus esset, et cliens contra ipsum adhuc injuste procederet. Si vero advocatus cognita iniquitate causæ adhuc illam defendit, tenetur ex justitia parti contrariæ restituere ex peccato commissionis; quia ille fuit causa positiva damni: suo clienti, si erat in bona fide, ex peccato omissionis; quia ex officio eum monere tenebatur. Si tamen cliens sit in mala fide, tunc hic tenetur parti contrariæ primo loco restituere uti mandans, et si non restituat, tenebitur advocatus secundo loco, uti iniquus executor *(S. Alph.,* l. IV, n. 223).

4) In dubio autem de justitia causæ in causis civilibus advocatus potest patrocinari tam pro reo quam pro actore, quia spem habere potest, ut in decursu veritas elucescat, ut non raro evenit. In causis vero *criminalibus* reus semper defendi potest, etsi constet de ejus culpabilitate. Nam sicut reus potest pœnam a se declinare, donec convincatur (secluso mendacio et publico damno); ita advocato licet media quærere, ne convincatur *(S. Alph.*, l. IV, n. 220).

356. **Referentes** (vel *ponentes).* Sunt, quibus litis examen committitur, ut illam judici referant definiendam. Debent ergo scire quæ sui sunt muneris, et diligentiam in illo implendo adhibere; alioquin de damno tenentur.

Principia. Ponentes cavere maxime debent: 1) Ne quidquam ad causæ substantiam in relatione prætermittant. 2) Ne magis unius, quam alterius partis rationes sustineant vel sententiam nondum editam manifestent cum periculo damni (2).

(1) Patrocinium gratis est suscipiendum si de pauperibus aut locis piis agatur quod vel ipsa lex civilis præcipit *(Decr.* 21 nov. 1866). Etiam in Curia episcopali præter promotorem piorum legatorum eligi solet procurator et advocatus pauperum, qui in ipsa episcopali Curia causam habent. — Romæ anno 1877 advocatorum societas instituta est probante et laudante Pio IX, quorum munus est rei catholicæ et Petri Sedis jura, voce, scriptis in foro tueri. Hanc commendat quam maxime etiam Leo XIII Brevi 5 julii. 1878.

(2) Huc veniunt etiam *Auditores* qui ab Episcopo assumuntur ac delegantur ad jus dicendum si tanta sit negotiorum moles, ut ea qua par est celeritate nequeant a suo Vicario expediri. V. *Scavini*, l. I, n. 592.

357. **Secretarius** (seu *scriba*). Dicitur qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, judicum sententias et cætera quæ in tribunalibus aut publicis officiis peraguntur. Unde patet quantæ prudentiæ sit opus.

Principia. Secretarius tenetur sub gravi: 1) Inviolatum, ut ipsum nomen indicat, secretum servare. 2) Acta rite scribere; et restituere teneretur, si quid immutaret in re gravi et damnosa, vel si ad augendum salarium majora quam necesse est scriberet, etc. *Manus fideliter scribens, lingua jugiter tacens*, en secretarius.

358. **Notarius**. Dicitur qui publica auctoritate est constitutus ad notanda et scribenda acta quæ publicam fidem faciunt. Notarii munus gravissimum est; cum ei publica fides sit commissa. Ideo *expertus, fidus, diligens notarius esto.*

1) *Expertus:* unde peccat graviter contra justitiam et tenetur ad restitutionem, si ex gravi officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, ut esset idoneos testes non adhibere, subscriptiones non apponere; adeo ut actus nullus evadat.

2) *Fidelis:* unde graviter item contra justitiam peccat, si violet secretum, si in depositione testium aliquid addat aut detrahat gravis momenti; si ambigua verba adhibeat quæ litibus locum præbeant, si pretium injustum petat, vel aliter damnum inferat.

3) *Diligens:* unde graviter peccat, et tenetur de damnis, si acta negligenter custodiat, vel differat causæ expeditionem.

Ex pluribus diœcesanis Synodis notarii incurrunt in casum reservatum, si culpabiliter *legata pia et alias pias dispositiones testatorum intra sex menses a notitia obitus, Episcopo vel Parocho ipsius defuncti, vel Rectori Ecclesiæ cui legata relicta sunt, vel legatorum piorum Promotori non manifestent* (1).

359. Casus. *Gerbinus vendit Giberto prædium libellis triginta millibus; sed ut imminuantur tributum gravissimum a gubernio impositum, conveniunt de libellis viginti millibus tantum in actu publico notandis. Notarius astutiam novit, suadet et laudat.*

R. Alii dicunt contrahentes peccare contra justitiam et de restitutione erga gubernium teneri; quia semper fraus et mendacium est celare verum pretium. Alii negant hanc adesse obligationem; quia lex ista specialis vel apud benemoratos habetur ut pœnalis tantum ex

(1) Ad Notarios ex parte reduci possunt *Actuarii* et *Cancellarii:* attamen illi majorem habent auctoritatem et constituti sunt ad fidem faciendam quoad quælibet acta generatim; isti vero restrictive quoad actus curiæ seu cancellariæ cui addicuntur. Bouix, *De judiciis.*

recepta consuetudine; hodie maxime in tanta tributorum multitudine. Notarius in secunda sententia ad nihil tenetur, cum non sit constitutus nisi ad actus publicos conficiendos; declaratio autem pretii majoris vel minoris per se ad actus valorem nihil confert.

360. **Assessores.** Illi sunt quos qui judicandi potestatem habet sibi associat, ut ei assideant et assistant, et ad recte judicandum consilium præbeant; et ideo dicuntur etiam *consiliarii.* Regulariter jurisdictionem non habent; etsi autem non requiratur, ut sint laurea donati, debent tamen esse periti, ne teneantur de malo consilio.

361. **Promotor fiscalis.** Est qui deputatur ad bonum publicum curandum, ad malos judicialiter coercendos, ad prærogativas et jura potestatis sive civilis sive ecclesiasticæ apud tribunal tuenda. Hinc patet quam gravia sint ejus officia; qui ideo oportet, ut sit fortis animi vir et in jure peritus; secus respondere debet de malis quæ in societate obveniunt.

Si vero ex nimio causarum numero aliave de causa promotor fiscalis nequeat per se pro parte fisci defensiones coram tribunali perorare, sibi in auxilium vocat patronum seu advocatum, qui hoc ipso *advocatus fiscalis* dicitur.

CAPUT QUARTUM

De Medicis, Pharmacopolis, Operariis, Vectoribus et Custodibus.

362. **Medicorum obligationes.** Grave, nobile ac delicatum munus medicis incumbit (quod pariter valet de chirurgis); cum ipsa hominum vita ejusque sospitas iis concredita sit.

363. **Principia.** I. Ante omnia sub gravi medici debent habere scientiam et peritiam sufficientem; et diligentiam adhibere proportionatam morbi gravitati; secus tenerentur de omnibus damnis quæ inde sequuntur.

II. Cavere ne curationem protrahant lucri causa, aut pauperes negligant, aut alios medicos peritos vocari prohibeant (vel alios ad consultationem vocent sine necessitate, ut et ipsi expensas majores obtineant). Item ne ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua præscribant.

III. Sub gravi tempore morbi contagiosi ægrotos curare, nisi alii sint numero sufficientes qui opem præstent; nam in communi periculo non sibi, sed societati consulere debent. Imo si pretio conducti, fugiendo peccarent etiam contra justitiam.

IV. Pauperum curam suscipere, si versentur in gravi necessitate, nec alius adsit qui illis occurrat, et ipse valeat sine gravi incommodo. Dicitur enim I Joan. III: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* (vide d. Thomas, 2, 2, *q*. 71).

V. Dei et Ecclesiæ præcepta revereri, nec ab istis dispensare sine justa causa. Item vel per se vel per alios tenentur infirmum monere de confessione peragenda si in vitæ periculo sit, nisi moraliter certo sciant ipsum esse in bono statu. Constat tum ex lege naturali: nam unusquisque cum potest tenetur prospicere æternæ proximi saluti; tum ex Decretali Innocentii III *Cum infirmitas*, et Constitutione *Supra gregem* S. Pii V. Utinam id servaretur ab omnibus medicis! quot infirmi, ait s. Alphonsus, damnationem vitarent (*l*. III, *n*. 182; *l*. VI, *n*. 664).

VI. Secreta sibi commissa caute custodire, nec morbos pudendos pandere sine gravissima causa. Toto autem cœlo caveant, ne abortum, aut media illum procurandi quoquomodo suadeant (*S. Alph.*, l. I, n. 686).

364. *Resolve:* 1) Quando desperatur de infirmi salute, certum est esse applicandum remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur, ut infirmo, quomodo fieri potest, provideatur. Quod si remedium sit dubie profuturum et certo non nociturum, adhuc applicandum est; habetur enim aliquid spei, nihil timoris.

2) Quando dubitatur, an remedium profuturum sit, an nociturum, sententia quæ videtur satis probabilis, et fortasse etiam probabilior, docet illud applicari posse casu, quo agatur de infirmo sine spe vitæ. Nam conformius est prudentiæ et voluntati ipsius infirmi tribuere illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis. Hoc tamen fieri nequit ad experimentum faciendum pro aliis infirmis; est enim illicitum quærere experimentum in alterius vita (*S. Alph.*, *Op. mor.*, l. I, n. 45. *Scavini*, l. I, n. 686; l. IV, n. 45).

3) Infirmus generatim tenetur medicum vocare eique parere; ad vitam, ejusque sospitatem tuendam natura nos impellit. Ubi ergo sanitas nostra turbatur, ordinarie loquendo, si per remedia simpliciora morbus non pellatur, tenemur medicum adhibere cum possumus, ejusque præceptis obtemperare, si extraordinariam molestiam non important. Hinc Scriptura (Eccl. XXXVIII): *Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus* (S. Alph., *l*. III, *n*. 32).

Casus. Plato medicus curam denegat cuidam diviti, a quo alias pro cura ipsi præstita honorarium obtinere non potuit — R. *Plato peccavit recusando, si ægrotus alium medicum statim habere nequeat et in gravi periculo sit. Nam lex caritatis obligat ad succurrendum in necessitate versantibus licet indignis, licet inimicis. Ipse autem actionem habet juridicam tum contra ægrotum tum contra ejus hæredes, ut debitam mercedem obtineat.* Pontas.

365. **Pharmacopola.** Cum artem periculi plenam exerceat, maxima cautela opus habet. Hinc peccat ac tenetur de damnis:

1) Si absque scientia et diligentia medicamentum conficiat; vel si unum pro alio cum gravi damni periculo porrigat — 2) Si medicamen suppeditet ad procurandum abortum; vel vendat omnibus indiscriminatim venena, vel remedia inutilia; vel plus justo exposcat, etc.

366. **Artifices et opifices.** Sedulo a confessario examinandi sunt; plerunque enim tacent peccata suarum artium. Sic in genere injusti sunt opera sua locando altiori pretio, vel male exequendo, tempus in domini damnum terendo, alios operarios a labore avertendo (*sciopero,* de quo *Scavini*, lib. I, n. 687).

Sed in particulari injusti sunt:

I. *Aurifabri* et *argentarii,* qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes aut gemmas pretiosas infra valorem ab ignorantibus emunt, aut plus justo vendunt.

II. *Pannifices* et *lanifices,* qui lanam immiscent, ac vendunt uti si tota foret ejusdem qualitatis. Qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui decepti pannos emendo, alios pariter vendendo decipiunt.

III. *Molitores,* qui grana immutunt, aut eis res extraneas immiscent; qui pro salario detinent de farina ultra æquam mensuram. Item *pistores* qui farinæ triticeæ aliam ex siligine, fabis, etc., malitiose immiscent; qui pondus imminuunt. *Laniones*, qui deteriorem carnis qualitatem pro meliori tradunt.

IV. *Sartores* et *sutores*, qui panno aut corio adusto utuntur, qui notabilem partem retinent, fingendo se totum adhibuisse.

V. *Typographi*, qui exemplaria excudunt in majori numero, quam conventum est, ut lucrum capiant: qui adulterinas editiones imprimunt contra jus proprietatis habentis; qui papyrum adhibent deteriorem quam promiserunt, etc. (*S. Alph.,* l. IV, n. 292) (1).

367. **Operum susceptores.** Quoad illos, qui operas peragendas suscipiunt, v. g. murum, palatium, hæc speciatim observa:

I. Si artifex cum labore materiam suppeditet, opus ejus periculo stat antequam domino tradatur; si tamen non sit in mora illud accipiendi.

II. Artifex et architectus ad decem annos respondere debent de detrimentis, quæ opus ob vitium constructionis patiatur.

(1) Agricolarum omniumque operariorum dignitas sublevanda est, ut sua sorte contenti sint; neque enim labor est habendus ut servile jumentorum pondus, sed uti dignum hominis officium; conditio nostra est. Et videmus præclaros viros agriculturam non dedignasse, sapientes et sanctos in operibus manufactis lætanter sese exercuisse. Vel ipse Dominus Jesus per multos annos faber-lignarius fuit, et primis Ecclesiæ temporibus adhuc aratra conspiciebantur, teste Bossuet, ab ipso confecta. Otiari, conjurare, proprium statum linquere alienum invadendo, turpe, vile et abjectum est; sed operari, domui suæ præesse, propriamque artem indefesse colere, honorificum est. Statutum est: *in sudore vultus tui vesceris pane.* Cæterum huc facit illud Victoris Hugo: *Al popolo che lavora, che soffre, date la credenza a un mondo migliore fatto per lui, e sarà tranquillo e paziente.* C. Cantù, *Attenzione: riflessioni di un popolano.*

III. Neque artifici neque architecto, qui cum proprietario de æde construenda convenerint juxta delineatam icnographiam, jus est ad mercedis augmentum eo prætextu, quod creverit pretium constructionis aut materiarum; aut factæ fuerint innovationes; hæ debuerant scripto probari, ac pretio determinari.

IV. Semper licet domino contractum solvere, modo artifici pendat quidquid ei ob præstita opera debetur. Contractus item solvitur ipso jure, artificis morte; nam personalis industria cum ipsa persona deficit *(Cod. civ.,* a. 1631 etc).

368. **Vectores.** Qui terra aut mari vecturam faciunt, quoad res sibi commissas tenentur de earum furto aut damno, nisi probent vi majori aut casu id evenisse.

Insuper debent: 1) Respondere de rebus, quæ sibi commissæ fuerunt in ipso portu, aut in alio loco ut inde in navim aut in currum transferantur. 2) Servare omnia statuta specialia, quæ vel lege vel pactis inducta sunt (*Cod. civ.*, a. 1630).

369. Q. *An qui promisit seu locavit operam suam Titio pro itinere aliquo suscipiendo, possit mercedem integram accipere etiam a Sempronio, si etiam ab hoc ad eundem locum mittatur?*

R. *Aurigæ* etiam a secundo integram mercedem accipere possunt, ob receptam consuetudinem. *Nuntii* vero, qui a duobus mittuntur, etsi satis probabiliter videatur et æquum sit, ut ipsi dimidiam tantum mercedem exigant a secundo mittente; attamen adhuc satis probabile est ipsis quoque licere integram mercedem a duobus petere. Sicut enim si deficerent, duobus obligarentur restituere: ita æquitas postulat, ut si non deficiant, a duobus mercedem accipiant. Non tamen possunt totam mercedem exigere a mittente et ab eo ad quem mittuntur *(S. Alph.,* l. III, n. 862).

370. **Custodes.** Hic veniunt qui custodiæ agrorum, sylvarum, tributorum exactioni, etc. præficiuntur. Qui cum stipendio conducti sint (præter peccatum contra religionem si juramentum emiserint) peccant contra justitiam commutativam erga damnificatos, et ideo in defectu damnificantium tenentur de damnis culpabiliter non impeditis, si delinquentes in materia gravi non denuntient opportuno tempore, nisi se offerant ad privatam compensationem. Item si delationem debite factam postea non sustineant; vel munera accipiant ad non denuntiandum. Quod si innocentes accusent ex odio, vindicta, erga eos tenentur de damnis *(S. Alph.*, l. IV, n. 237).

371. Attamen possunt mitius agere, si damna sint minoris

momenti nec sæpius repetita. Si delinquens sit valde pauper vel puer nec solitus delinquere, et præsumatur dominus eo in casu non esse invitus. Verum caveant custodes, ne in his plus æquo indulgeant. *Gury.*

372. Custodes non denuntiantes, an teneantur etiam solvere mulctam quam dominus a reis percepisset, sunt qui valde probabiliter affirmant; quia omissio denuntiationis est causa, ut illud jus amittatur. Attamen communius ac satis probabiliter negant; quia lex pœnalis non intendit, ut fiscus vel domini ditentur mulctis; sed tantum ut serventur indemnes ac transgressores puniantur. Unde non est nisi indirecte, quod mulctæ debitæ sint, nempe post sententiam. Ideo nec fiscus nec domini jus strictum, seu acquisitum habent ad illas (*S. Alph.*, l. III, n. 383).

CAPUT QUINTUM

De Parentibus et Filiis, de Minoribus et Tutoribus, de Magistris ac Discipulis.

373. **Parentum obligationes.** Parentes debent filios suos amare eisque efficaciter providere tum quoad corpus tum quoad animam. Utrumque enim natura ipsa urget (1).

374. **Parentum amor erga filios.** Parentes filios suos amore efficaci et ordinato prosequi debent, veluti aliquid sui, et carnem de carne sua. Hinc plus minusve contra hanc pietatis virtutem peccant parentes:

1) Si odio in filios incenduntur, aut gravia mala eis serio imprecantur, aut nominibus contumeliosis eos afficiunt aut occulta eorum delicta sine justa causa extraneis manifestant.

2) Si affectu inordinato eos diligant, ita ut omnia ipsis concedant, ne eos contristent.

3) Si uni præ aliis magis faveant sine justa ratione, cæteros indifferenter intuendo aut etiam quod pejus est, quasi adulterinos habendo. Hæc filiorum acceptio fons est rixarum et sine fine malorum, quæ familias eradicant. *Gury.*

375. **Obligationes parentum ad filios quoad corpus.** Parentes tria maxime debent filiis suis quoad corpus, nempe:

I. *Providentiam vitæ;* nam, ut ait Angelicus, *filius est aliquid patris* (1, 2, q. 100, a. 5). Ex quo capite tenentur ab ipso

(1) V. *Scavini,* l. I, nn. 692 et seqq. ubi plura pro praxi; et l. IV, app. 5: Monita ad matres pro physica et morali prolis educatione.

conceptu sedulam prolis curam suscipere, avertendo quidquid ejusdem vitæ obesse possit. Hinc peccant mulieres uterum gerentes, si nimis gravia ferant pondera, vel immoderate saltent cum periculo abortus. Item mariti qui uxores percutiendo vel aliis modis vexando abortus periculum inducunt. Peccant parentes, si non caveant, ne quid mali filiis eveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, vel nimium ploratum.

II. *Providentiam victus,* nempe omnia pertinentia ad cibum, vestitum, habitationem, medicinam, etc.; qui enim dederunt *esse,* illud pro *posse* conservare tenentur. Nec refert, quod proles sit spuria: de jure naturæ est, ut genitores alant filium quocunque modo genitum. Item jus naturæ postulare videtur, ut mater si valeat, filios proprio lacte nutriat; tamen hæc obligatio communiter non censetur gravis, et ideo quælibet rationabilis causa excusat. Sed tunc sub gravi tenetur morigeram et sanam nutricem substituere.

III. *Providentiam status,* nempe filiis providere professionem vel artem illis convenientem, ut honeste juxta conditionem suam vivere possint: *Nec enim debent filii parentibus,* ait Apostolus (II Cor. XII), *thesaurizare, sed parentes filiis.* Rationem differentiæ aperit s. Thomas: *Pater habet rationem principii; filius autem habet rationem a principio existentis. Ideo per se patri convenit, ut subveniat filio, et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam; quod est thesaurizare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc est per accidens ratione alicujus necessitatis instantis, in qua tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum; quia naturaliter non parentes filiorum, sed filii parentum sunt successores* (2, 2, q. 101, a. 2). Quod etiam leges civiles urgent *(a.* 138 *et seqq.).*

Quare dicendi sunt peccare graviter contra pietatem parentes: 1) Qui sine gravissima causa prolem exponunt locis piis, quod ipsa natura refugit. Vel cogunt ad mendicandum, aut vilem artem exercendam sibi non convenientem — 2) Qui recusant sine justa causa constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines promoveri cupiunt; aut filiabus congruam dotem denegant, quia Religionem ingredi volunt; vel quia ipsis invitis nupserint, etiam indignis, sed ætate vigintiquinque annorum expleta, cum tunc sint quoad hoc sui juris. Si autem ante illam ætatem nupserint, probabilius tenetur pater saltem alimenta eis subministrare *(S. Alph.,* l. III, n. 336).

Casus. Caliostrus pater numerosæ prolis, exiguo cibo et vestitu uxori et filiis concesso, reliquum inter pocula dilapidat inquiens: *Nudus ingressus sum in mundum, et nudus egrediar; a parentibus nihil obtinui; mihi ipsi providere debui; filii mei faciant ut ego* — Caliostrus graviter contra pietatem peccavit, nec inde excusari potest, quod nudus mundum sit ingressus nihilque a parentibus acceperit; sed attendendum est ad quod parentes ejus facere debuissent si potuissent, et quod ipse uti paterfamilias de jure naturæ præstare tenetur. *Gury.*

376. **Obligationes parentum ad filios quoad animam.** Parentes quoad filiorum animam tenentur præcipue:

I. Curare, ut filii vix nati baptizentur: parvulorum enim vita variis periculis obnoxia est. Item ut filios vix usu loquelæ præditos ad virtutem instituant: hæc institutio maximi momenti est, cum tenacius inhæreant notiones prima ætate acceptæ, quibus dein omnis vita conformari solet. Hinc vel per se, vel per alios edoceant præcipua christianæ doctrinæ capita, Diœcesis Catechismum adhibendo, ut instructio uniformior sit: *Parochi* (ait Benedictus XIV, Notif. XIX) *gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos Religiosis elementis erudire negligant* (1).

II. Iisdem bono exemplo præesse: exempla enim validiora sunt verbis, maxime si a superioribus præbeantur. Idque maxime evenit in juvenibus, qui imitatione vivunt.

III. Delinquentes corripere. Nam *qui parcit virgæ, odit filium suum* (Prov. XIII). Cavere tamen debent, ne in corrigendo modum excedant; vel in blasphemias erumpant, quod pejus esset. Item illos a fallacibus mundi illecebris et voluptatibus avertere studeant, præcipue a locis suspectis, a clandestinis conventiculis, a colloquiis periculosis, maxime cum personis diversi sexus, a libris perniciosis, a periculosis spectaculis, etc. (2).

(1) Etsi filii nondum sint ratione præditi, parentum est nomen Domini invocare super eos ut vivant et bene sit illis. Hac de re consolatoria sunt ac saluberrima Ecclesiæ nostræ sanctæ dogmata. Ecclesia catholica, præter potestatem administrandi Sacramenta, potestatem habet benedicendi res ac personas quibus Deus gratias suas adjungit. Ecclesia orat in membris suis quando hæc in communione cum illa preces fundunt; et Deus orationes eorum exaudit, et omnes participant qui de Ecclesiæ corpore et anima sunt. Si ideo infantes nondum capaces sunt religionis actus exercendi, parentum esse debet supplere pro illis jam in baptismate renatis, ut uberes gratias consequantur. Hinc religio multa operatur pro adolescentum bono antequam ipsi aliquid agere valeant pro illa. O nimium felices filii qui tales genitores sortiti sunt, qui illos vel a prima *ætate Deo commendant.*

(2) Tria sunt, ajebat Pius IX, quæ hodie juventuti maxime insidiantur, a quibus omni studio ipsa arcenda est: *libri, theatra, imagines.* Libri romanienses, qui mentem perturbant et ad omnes excessus conducunt; theatra, quæ sacra quæque sacrilege assimulant et irrident; imagines obscœnæ, quæ concupiscentiam acuunt atque ad effrenatam libidinem impellunt.

IV. Ipsis libertatem relinquere circa status electionem. Homo enim Dei voluntatem primo sequi debet. Hinc parentes qui filios cogunt etiam indirecte ad statum perpetuum, vel ab eo injuste retrahunt, licet sine vi, peccant graviter. Attamen parentes complures a statu religioso filios avertentes a mortali excusantur, saltem ad breve tempus; si id non agant malo animo, sed ob vehementem affectionem *(S. Alph.,* l. IV, n. 77).

377. Etsi filii pubertate adepta, ut religiosi fiant, debeant per se consensum parentum postulare; ordinarie tamen loquendo ad id non videntur teneri ex d. Thoma (2, 2, *q*. 189, *a*. 10); tum quia parentes hac de re nullam habent cognitionem; tum quia de facili ob proprium commodum mutantur in hostes *(S. Alph.,* l. III, n. 335; l. IV, n. 68).

Monet Gury, non facile suadendum filiis, non emancipatis, ut statum religiosum amplectantur, parentibus invitis, ubi viget civilis lex (ut apud nos) quæ facultatem tribuit parentibus eos etiam auxilio brachii sæcularis a quocunque loco reclamandi. excepto casu quo militiæ nationali nomen dederint.

Casus. Celerinus virginibus in monasteria intrudendis totus est; difficultates facile solvit, dubia omnia in religionis favorem statim dirimit. Contrariam praxim sequitur Filliucius qui circa vocationem religiosam nullum unquam vult proferre judicium, id unum pœnitenti interroganti respondens: *roga Deum* — R. Celerinus imprudenter se gerit tam facile sine prævio et gravi examine ad religionem impellendo; investigare debet an penitus idoneus videatur, an generosa voluntate præditus, an motivis supernaturalibus impulsus, etc. Si dubia sint signa, ferventius orandum et expectandum ut majus lumen affulgeat: sed hoc durante remanendum in statu inferiori; nemo enim debet ascendere ad statum superiorem nisi de vocatione moraliter certo ipsi constare videatur. Filliucius autem limites prudentiæ excedit cum non satis adjuvet pœnitentes bonæ voluntatis qui sibi ipsis relicti, animo deficiunt. *Episc. Eula.*

De directione quoad statum eligendum plura *Scavini,* l. IV, n. 489.

378. **Obligationes filiorum.** Officia filiorum erga parentes vel ipsi ethnici solo lumine naturali edocti noverunt. Pitagora inter alios ajebat: *In primis venerare Deos, deinde parentes.* Quæ officia præcipue reducuntur ad amorem, reverentiam et obedientiam: et hæc ipsis debita sunt etsi vitiosis; nam ratio hujus obligationis non est virtus parentum, sed pietas filiorum; amor quippe debetur ratione causæ, reverentia ratione præeminentiæ, obedientia ratione regiminis.

I. *Amor;* filii nempe tenentur parentes amore prosequi tam *interno*, hoc est bene iis velle; quam *externo,* videlicet benevolentiæ signa iisdem exhibere, et in necessitate tam spirituali

quam corporali constitutis subvenire: *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi* (Eccli. VII). Hinc peccant graviter filii: 1) Si parentibus graviter detrahant, si serio grave malum vel mortem ipsis exoptent, ut liberius vivant, ut hæreditate citius potiri possint — 2) Si mediis iniquis eos impediant a testamento condendo — 3) Si necessaria ipsis indigentibus non subministrent; si in mortis articulo non curent ut eis Sacramenta administrentur, nec vita functis ut sepultura et exequiæ juxta eorum conditiones persolvantur *(S. Alph.,* l. III, n. 333).

II. *Reverentia:* tam interna quæ sita est in corde, quam externa quæ manifestatur per verba, signa et facta juxta illud: *In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo.... Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam* (Prov. XIX; et Eccl. III). Contra hanc obligationem graviter vel leviter pro ratione materiæ peccant filii: 1) *Verbo,* si contumeliis et maledictionibus parentes afficiant — 2) *Facto,* si ad dignitatem evecti parentes despiciant vel negligant. Si eos accusent, verberent; imo grave censetur, si attollant contra ipsos manus minaces, aut in illos expuant. Et plures Synodi reservant *injuriosam parentum percussionem, quæ ex odio aut ira procedit, quamvis in se levis fortasse sit; æstimanda enim est gravis ob personæ qualitatem* (S. Alph., *Ho. ap.,* tr. VII, n. 1).

III. *Obedientia:* filii tenentur parentibus obedire in omnibus rebus honestis; Coloss. III: *Filii, obedite parentibus per omnia.* Contra obedientiam peccant mortaliter filii: 1) Si in re gravi spectante ad mores vel domus gubernationem, parentes audire nolint — 2) Si non dent operam literis aut artibus suo statui congruentibus, sicque tempus absumant et expensas dilapident — 3) Si domum paternam sine causa contra prohibitionem deserant — 4) Si soli rei domesticæ moderatores haberi velint, spreta parentum auctoritate, præsertim si arroganter respondeant: *attende tibi; fastidium affers mihi;* etc. Attamen non raro a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem et inadvertentiam, sæpe ob parvitatem materiæ, sæpissime ob defectum præcepti rigorosi ex parte parentum *(S. Alph.,* l. III, n. 335; *Scavini,* l. I, n. 693).

379. *Quid* (quæres) *sibi debent consanguinei collaterales et affines?* Sibi mutuo debent amorem, honorem, et in necessitate subsidium: idque lege non tantum caritatis, sed etiam pie-

tatis, cum inter se speciali nexu cohæreant; etsi unio ac dependentia inter illos non sit tanta, prout est inter parentes et liberos. Hinc colligit Henno prædictæ cognationis circumstanstiam, utpote quæ speciem mutat, aperiendam esse in confessione: quod tamen non extendunt ultra secundum gradum *(S. Alph.,* l. III, nn. 340 et 947).

Etiam lex civilis urget has obligationes tum filiorum erga genitores, tum aliorum propinquorum ad invicem *(a.* 139 *etc.).*

380. **Minores.** Minores septennio dicuntur *infantes*, quasi *fandi impotentes.* A septennio ad annum decimumquartum completum si masculi, ad duodecimum completum si fœminæ, dicuntur *impuberes.* Sed hodie ex jure civili, quavis alia distinctione sublata, qui vel quæ nondum complevit 21 annum, dicitur *minor;* tali autem ætate completa, *major* (1).

Porro majores suis gerendis negotiis omnino liberi sunt, nisi in aliquo casu id lex speciatim ipsis vetet. Sed minores jure habentur inhabiles nisi emancipentur, tum ad se rite tuendos tum ad propria bona valide administranda. Ideo quamdiu parentes vivunt, sunt sub eorum potestate; si vero genitores moriantur, a lege alii deputantur qui et personæ et bonorum minorum curam gerant. Qui *tutores* appellantur.

Cum tutores vices agant parentum respectu minorum, sequitur minores erga tutores (vel ipso jure civili) ligari ipsis obligationibus (non tamen ita stricte) *amoris*, *reverentiæ* et *obedientiæ,* quibus filii ligantur erga parentes *(a.* 277).

381. **Tutores.** Cum minorum tutela sit officium publicum, pluribus curis refertum, ex civili lege neque omnes eam respuere neque omnes eam sumere possunt vel debent.

Alii enim sunt inhabiles, uti mulieres (exceptis ascendentibus minoris ac sororibus germanis innuptis). Item qui suorum bonorum libera administratione carent, etc. — Alii removentur a tutela etsi jam suscepta, si vel crimine vel furto vel falso, aut reatu contra bonos mores sint condemnati — Alii dispensantur, ut principes familiæ regis, nisi agatur de tutela principum ejusdem familiæ; ministri Status, etc. — Alii jus habent ut dispensentur; sunt mulieres illæ

(1) Dictum est hodie; nam ex Jure romano impuberes si desinebant esse sub potestate patris (ejus morte vel emancipatione filiorum) appellabantur *pupilli:* facti puberes, *minores* dicebantur usque ad annum 25 si filii, ad 21 si filiæ; quo completo, *majores* evadebant. Qui patris loco deputabatur ad tuendam pupilli personam et bona, dicebatur *tutor; curator,* cui cura committebatur bonorum et personæ minoris. Attamen Gregorius XVI pro utroque sexu indiscriminatim designavit annum vigesimum primum completum.

Curator autem hodie non deputatur, nisi quibusdam in casibus, v. g. absenti; minori emancipato aut ad hæreditatem vocato; hæreditati jacenti; filio mox nascituro et inhabilitato (a. 46, 236, 245, 314, 327, 980).

quibus tutela permittitur; qui annum 65 compleverint; jugiter ac graviter infirmi: pater quinque filiorum viventium (et computantur qui mortui sunt in actuali militiæ exercitio); qui jam tutoris officium sustinet; milites in actuali servitio. Item nequit obligari qui non est affinis aut consanguineus minoris, si consanguineus vel affinis in territorio ubi minoris bona sunt posita, capax tutelæ inveniatur. Cæteri renuere non possunt absque gravi probata causa.

In qualibet autem tutela *protutor* est etiam eligendus cujus est vices tutoris supplere *(a.* 265, *etc. Scavini,* l. I, n. 549).

Tutores tenentur in conscientia, et vi quasi-contractus, curam gerere minoris; ejus personam tueri, corrigere, christiane educare et omnem impendere operam, ut artem convenientem ediscant. Item bona ejusdem temporalia curare tanquam parentes, quorum vices gerunt, inventario confecto. Finita tutela, omnium actorum rationem reddere adstringuntur; ac de minus solerti administratione respondere, nisi eos liberet præscriptio decennalis *(a.* 241, 305, 309; *S. Alph.,* l. III, nn. 341 et seqq.) (1).

382. **Magistrorum obligationes** (2). Qui hoc nobile munus suscipiunt, tenentur gravi tum officii tum stipendii ratione:

1) *Necessariam scientiam callere,* ne errare contingat cum gravi discipulorum damno — 2) *Recta edocere,* idest quæ catholicæ fidei consentanea sunt; hæc enim est scientiarum domina atque magistra (3). Religio in scholis primatum habere debet; scientia enim sine religione est gladius in manu furentis; talis instructio hominem magis aptum facit ad delicta — 3) *Necessariam tradere cum sedulitate,* et discipulorum intelligentiæ accommodatam; secus verba quid prosunt? officium proderent, ne mercedem mererentur — 4) Circa discipulorum *mores attente invigilare* eosque corrigere, si opus sit; semel enim depravatis ab adolescentia frustra medicina paratur: hinc omnino repellendi sunt seductores. Aliquando autem etiam coram lege civili magistri respondere debent de damnis illatis ab eorum alumnis *(a.* 1153, *Scavini*; l. I, nn. 698 et seqq.).

383. **Discipulorum obligationes.** Discipuli obligantur tum sibi, tum præceptoribus, tum Deo.

(1) In pluribus deliberationibus pro minoribus audiendum est *consilium familiæ,* eorum nempe, qui a lege vocati sunt. Pro iis autem qui nati sunt extra matrimonium constituitur *consilium* sic dictum *tutelæ* (a. 261, 184, etc.).

(2) De vigilantia Episcopi in scholas v. *Scavini,* l. I, nn. 694 et seqq. ubi etiam habes præclara monita ad magistros et educatores.

(3) Docendi libertas cum licentiam tueatur omnes errores tradendi, etsi a catholico viro per se probari nequeat; attamen dari potest casus, in quo a nobis quoque sit expostulanda, ut nempe boni ea fruantur libertate ad bonum, qua mali fruuntur ad malum; tunc libertatem quærimus ut saltem ex parte nobis concessum sit contra perversos magistros Ecclesiæ jura, animarumque salutem curare. V. Parisis, *Quesiti di coscienza.* Pius IX, *Brevi ad Episc. Dupanloup* 19 *julii* 1875. Et Syllabus *proposit.* 45 et seqq.

1) *Sibi* debent studium et laborem assiduum, juxta illud: *Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.* Hinc peccant, si tempus terunt in otio, ludis aliisque ineptiis. 2) *Magistris* amorem, reverentiam et gratitudinem ob curam quam pro illis suscipiunt. Hinc peccant qui magistris detrahunt, eos irrident ac molestiis afficiunt. 3) *Deo* cultum, ipsum reverendo; nam *initium sapientiæ timor Domini* (Ps. CX); et nulla vera scientia sine Deo, qui *scientiarum Dominus est* (I Reg. II).

384. **Monitum.** Parochi omni studio, zelo et industria adnitantur, quoad possunt, ut omnia in scholis sive publicis sive privatis ad catholicæ fidei normam edoceantur. Religiosa institutio ac doctrina in gymnasiis, in familiis, in ecclesia, extra ecclesiam, pro parvulis, adultis, pro omnibus semper et ubique locorum primatum habere debet; ipsa enim omnium hominum officia, omnia vitæ tempora omnesque societatis conditiones amplectitur, ab eaque supremum bonum derivat estque omnium bonorum maximum, sine qua animalis homo non potest percipere quæ sunt Dei. Hinc vel ipse Victor Hugo ajebat: « Bisognerebbe trascinare dinanzi ai tribunali quei genitori che inviano i loro figli a scuole, sulla cui porta sta scritto: *Qui non si insegna religione.* » Igitur toto pectore commoneantur magistratus, magistri, rectores, scholares, sed præcipue parentes eos opportune importune obsecrando et urgendo, ut si ipsis filiorum salus cordi est, hac in re sedulo invigilent, animadvertentes quod Deus ab illis animam pro anima requiret in tremendo suo judicio, si in hoc supremo negotio indifferenter se exhibeant, nec curent, ut religiose eorum filii instruantur.

Si ab initio religionis freno a vitiis non continetur juventus, senescens magis roborabitur in illis; qui suum non curat Creatorem quomodo se habebit erga creaturas? Moralitas atque honestas non habet cui consistat, si Deus qui judicat juste et probat renes et corda, exulet ab educatione nostra: et homo nonnisi hominem timere debeat. Bonitatem et disciplinam et scientiam docet nos Deus. Frustra ergo laboramus ad efformandos virtuosos cives ac familias benemoratas, si catholicus catechismus veræ et solidæ virtutis et moralitatis codex, clavis, fundamentum, familiarumque ac gubernii tutamen et vindex a scholis nostris prohibeatur (1). Cœlum et terra sejungi

(1) « Beauzé membro dell' Accademia di Francia, il quale era venuto a trovare il Diderot... ha scoperto e udito cosa, di che trasecola. E che vide, che intese il Beauzé? Oh mirate, signori! In fondo del gabinetto se ne giace il Diderot sdrajato sopra il seggiolone a bracci, e avente un libretto in mano: davanti e ritta sui piè gli sta la piccola figlia, con la quale mena un dialogo lungo e serio.... Il Beauzé come scorge il Diderot chiudere il libretto ed accomiatare la ragazza, si manifesta, si precipita nella stanza ed esclama: *Come! a voi filosofo, a voi queste cose?* E il Diderot senza punto scomporsi, ma così un poco atteggiandosi al sorridere: *Che volete,* risponde, *che volete, o amico! A me preme di bene istruire la mia dolce figliuola. Ed ecco che fatte le molte ricerche, non trovai libro migliore a tal uopo che il Catechismo della Diocesi. Sì, non vi stupite; io mi valgo del catechismo; l' ho per il più sicuro trattato di pedagogia. Qual più sodo fondamento posso io dare all' istruzione di mia figlia?* » Clarissimus Card. Alimonda, *Conferenza:* Il catechismo del popolo (vide *Scavini,* l. II, n. 920).

« Il migliore reggimento di gendarmeria è un buon catechismo *(Dumortier).* La religione è la chiave dell' edifizio sociale *(Sclopis).* Il catechismo fu l' unico codice

nequeunt, quin homo pervertatur, societas dissolvatur, et mundus ad barbariem reducatur, ubi non jus, sed vis suum tenebit imperium. Juventus sine religiosa disciplina est dolor patris, mœstitia matris, familiarum dissolutio, societatis exitium (1).

Sed præstat audire Summum Pontificem Leonem XIII, Litera 26 junii 1878 ad Cardinalem Vicarium, in qua tam paterno animo tantaque sententiarum altitudine catholici catechismi e scholis in Italia interdictionem lamentatur: *Populorum saluti ac prosperitati nunquam datum fuit tutelam reperire extra veritatem et justitiam, quarum maxime præsens indiget societas, quibusque sarta tectaque jura sua catechismus protuetur.... Idque juvenum indoles ac specialis in qua vivimus conditio repetunt; neque enim in puerum renovare licet Salomonis judicium eundemque irrationabiliter ac inhumaniter in medium dividere quoad ejus intelligentiam ac voluntatem; eoquod dum prima excolitur, ad consequendos virtuosos habitus ultimumque finem insectandum secunda dirigi debet. Ille qui totis viribus mentem excolit posthabens voluntatem, id consequitur, ut instructio perniciosus fiat gladius apud improbos....*

Dicunt: Per ethicam naturalem juvenum voluntas excolitur, illos ad civilium et socialium virtutum acquisitionem dirigendo. *Ast*, respondit s. Pontifex, *moralis hæc philosophia nedum ad altiorem finem, divina bonitate constitutum in beatifica Dei visione, hominem ducere valet, sed impar quoque evadit ad hoc ut infantis animus ad veram instituatur virtutem, et in recto constans tramite permanere queat; neque hominis justa implet desideria et studia, quoniam eodem tempore animal est religiosum et sociale, nullusque scientiæ progressus abripere ex animo posset penitissimas fidei religionisque radices....*

Addunt: Religiosa instructio adhuc exhibetur pueris, illis, quorum parentes id expresse petierint. Verum *hæc ratio* (iterum s. Pontifex) *prorsus illusoria est; neque enim captu facile est, quomodo impii hujus consilii auctores, non pensitaverint quo malo afficiatur sensu puer qui ratione ab aliis prorsus diversam videat religiosam instructionem haberi. Puer cui omnino innotescere debent*

morale per tanti secoli di tutto il mondo *(Rossi)*. O catechismo o internazionale *(Bonghi)*. Il catechismo contiene nelle sue poche pagine più sugo di filosofia che non a spremere i molti volumi dei filosofi *(Juffroy)*. » Auctores certo sunt non suspecti. Concludamus: « *L'insegnamento è il padrone del mondo, e Gesù Cristo ne è il Re* » (De Belcastel, 7 martii 1877, Tolosa).

Et merito a Pio IX Encycl. *Quanta cura* damnatur propositio: *Clerus utpote vero utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicus, ab omni juventutis instituendæ, educandæque cura et officio est amovendus!* V. Mons. Scalabrini, vescovo di Piacenza, *Il Catechismo cattolico.*

(1) « *Abolendo il sopranaturale,* natura dimidiatur, finis ejus aufertur illaque sublimitas ad quam vocati sumus ab ipsa *perfectibilitate*, quæ in rerum naturalium ordine adesse dignoscitur: *volunt*, ut ait Manzoni, *e calculo excludere numerum alterius vitæ.* Qui ideo sequuntur antiquum *ecclettismum* Cousin, aut novum *positivismum* Comte et Stuart Mill, persuasi quod si a pueritia Codex edoceretur simplicis moralitatis (sensu benevolentiæ, sympathiæ, affectionis ad mentis perfectionem firmatus, et a publica opinione roboratus) idipsum obtineret quod ipsa religio. At minime gentium; homo opus habet non tantum ut sciat, sed etiam ut credat et speret. » C. Cantù, *Attenzione: riflessioni di un popolano.* It. v. *La Scuola catt.*, t. XI: L'educazione moderna. It. Miotti, *Dello spirito irreligioso dominante nell' istruzione e nella letteratura moderna; pericoli e provvedimenti.*

tum necessitas tum utilitas studii alicujus, ut opportune ad illud excitetur, quonam pacto se habebit erga institutionem, pro qua auctoritas ipsa aut gelide aut hostiliter sese exhibet, quamque ægre patitur? Quod si aut animi improbitate aut ignorantia, aut socordia parentes (quod haud difficile est) pro filiis religiosam non exposcerent instructionem, magna juvenum pars saluberrimis documentis careret, maximo cum discrimine nedum animarum innocentium illorum, verum etiam civilis societatis ipsius. Tanto autem malo nonne scholarum præsidibus mederi incumbit?...

Oportet igitur nedum curam zelumque ingeminare parochos quoad catechismi instructionem; sed vacuo quod alterius culpa efficitur, novis et efficacibus mediis supplere.... Curando ut virtuosi et benefici laici, unius aut plurium sacerdotum ductu, juvenes catechismum edoceant; et ut parentes per parochos ad mittendum inibi filios exhortentur, dum iidem certiores fiant de onere, quod omnes urget exigendi ut in scholis suorum filiorum religiosa adsit eruditio. Religiosæ hujusmodi instructiones adultis etiam maxime erunt utilitatis; quatenus in locis habeantur qui aptiores habiti fuerint ad hoc ut vivax apud eos maneat, quo a pueritia imbuti fuerint, salutare documentum.... Et huc præcipue spectant Comitatus regionales, diœcesani ac parochiales, qui hortatu Regnantis Pontificis M. jam ubique instituuntur.

CAPUT SEXTUM

De Marito et Uxore, de Dominis ac Famulis.

385. **Conjugatorum obligationes.** Conjugi sibi mutuo debent amorem, fidem ac societatem; hæc natura conjugii, ratio Sacramenti et lex ipsa civilis imperant *(a.* 130).

1) *Amorem;* dicit enim Apostolus (Eph. v): *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* Hinc peccant si rixas, et odia in se invicem foveant, aut conviciis se lacessant. Et de scandalo etiam tenentur erga filios et extraneos.

2) *Fidem,* nempe conjugalem juxta illud: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (I Cor. VII).

3) *Societatem;* conjuges enim matrimonium ineuntes obligationem contrahunt simul convivendi. Hinc illud Gen. II: *Relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ideo tenentur sub gravi cohabitare domo, mensa, thoro; idque ex justitia ratione debiti conjugalis et individuæ societatis, quam sibi mutuo coram Domino pro-

miserunt. Adde, scandala quæ ex separatione solent oriri quammaxima; nisi adsit legitima et canonica causa.

Hinc vir nequit expellere domo uxorem: tanto minus debitum conjugale illi denegare; neque probabilius et communius ob dotem non solutam, etsi promissam; quia illa obligatio non oritur ex dotis solutione, sed ex lege naturali et divina. Item vir nequit diu abesse sine justa causa; qua interveniente tenetur secum uxorem ducere, si commode potest.

Dixi 1) *Diu abesse;* nam poterit vir suscipere brevem peregrinationem, v. g. devotionis causa, etiam invita uxore. Non item uxor, invito viro; quia uxor est subjecta viro, non vir uxori.

2) *Sine justa causa;* causa esset ad bonum publicum tuendum, ad familiam alendam, ad vitandum damnum, etc.

3) *Tenetur secum uxorem ducere,* si commode potest, casu quo diu abesse debeat, ne fraudet jus illius quoad debitum conjugale. Regulariter vero tenetur uxor sequi virum mutantem domicilium (licet mutet sine justa causa, quæ non sit turpis); nam vir est caput familiæ; et hoc ipsa lege civili firmatur *(a.* 131). Imo probabilius (nisi aliud obstet) uxor illum debet sequi etiam in exilium; quia tenetur sufferre infortunium viri *(S. Alphonsus,* l. III, n. 353; l. VI, nn. 937 et 977).

386. **Maritus**. Tanquam caput uxoris speciatim curare debet:

1) *Animam:* ideo peccat graviter si permittat, ut uxor præcepta Dei et Ecclesiæ transgrediatur; tanto magis si impediat ab eorum observantia. Vel eam exasperet conviciis prosequendo, v. g. vocando *adulteram, sagam,* maxime si in aliorum præsentia (1).

2) *Corpus,* nempe tenetur uxorem secum retinere, et alere secundum statum suum, ex debito amoris conjugalis, ex officio capitis familiæ, et ex justitia ratione dotis. Quare mulier nobilis ac dives non posset cogi ad officia famulæ, ut esset verrere domum.

3) *Mores;* debet enim vir uxori invigilare: quam si redarguere debet, meminerit illud Marci Aurelii: *uxor monenda sæpe, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nun-*

(1) Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat: quia mulieres ordinarie sunt procaces. Melius est, re dissimulata, ipsi commendare orationem, patientiam, mansuetudinem et majorem sollicitudinem pro viro: sicque pluribus occurritur malis.

Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur id agat, dum maritus est bene affectus. Quod si non juvat et agatur de re gravi, curet, ut per parochum vel alium maritus admoneatur.

quam. Uno verbo vir tenetur uxorem habere uti sociam, non uti ancillam; Deus enim dedit illam non in vile mancipium, sed *in adjutorium simile sibi* (V. Scavini, *l.* I, *n.* 704) (1).

387. **Uxor.** Hæc specialiter debet marito:

1) Ex corde *obedire* in iis, quæ ad familiam pertinent, cujus cura illi committitur. Unde Apostolus: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est Ecclesiæ* (Eph. V). Non licet itaque mulieri agere expensas contra mariti voluntatem, quæ suum statum excedant, nisi ex paraphernalibus bonis (2).

2) Ex animo *placere:* sit mansueta, lenis, patiens; omnem garrulitatem, pertinaciam et suspicionem circa fidem sedulo avertat. Graviter autem delinqueret si maritum soleat irridere, subsannare, et ita ad iracundiam et blasphemias provocare.

3) Indigenti de suo *providere;* hoc enim ad debitum conjugalis amoris pertinet: etiam civili lege præcipitur *(a.* 132).

388. **Dominorum obligationes.** Præcipue debent domini:

I. Famulorum *instructionem* curare; inquit enim Apostolus: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* (I Tim. V). Hinc peccat dominus qui eos ad catecheses et conciones sacras opportune non mittit. Gravius autem peccat, si absque gravi causa eos die festo impediat a Missa; si opera servilia iisdem imponat, etc.

II. Illos *corripere,* si opus sit; sunt enim domini caput to-

(1) Ad rem Angelicus: *Conveniens fuit mulierem formari de costa viri, ad significandum, quod inter virum et mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite; neque despici debet a viro tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus* (1, q. 98). De ipso porro jure naturæ imperium supra mulierem ad virum pertinet, cum vir sit natura firmior, prudentior et cui plus oneris in alenda familia ab ipsa natura censetur impositum.

Dixi *de ipso jure naturæ,* nam ex eo quod Genesis III mulier in pœnam peccati subjicitur viro, inferri nequit eam subjectionem solo jure positivo inductam fuisse. Nam eodem loco in numero pœnarum nonnulla recensentur quæ, spectata solius naturæ conditione, nulla præcedente culpa erant eventura. Enim vero serpens cui Deus dixit: *Super pectus tuum gradieris,* etsi illa tentatio abfuisset, pedibus ad incessum cariturus erat, et eodem quo nunc alimento victurus. Nempe fieri potest, ut quod naturale est, pœna et probrum fiat, quando sententia judicis, et culpa peccantis præcessit. *Signoriellus.*

(2) *Domesticæ curæ;* est vocatio mulierum, ex qua domus ornamentum, familiarum robur, sponsorum gloria, filiorum ædificatio ac societatis prosperitas. In publicis autem officiis partem habere, vel rebus politicis se immiscere dedecet omnino mulierum naturam, indolem, capacitatem ac modestiam; fœminarum enim conditio si melior est in his quæ sunt infirmitatis, deterior est in his quæ prudentiæ et dignitatis sunt (V. *Scavini,* l. IV, n. 33. Negro, *Feminiana Educazione, influenza, caratteri e doveri delle donne, con commenti;* Bra, 1877).

tius familiæ, quam debent recte dirigere. Unde peccat gravissime, si non corrigant vel incorrigibiles non dimittant famulos irreligiosos, blasphemos, turpia loquentes et prava exempla præbentes (maxime filiis ac filiabus, quorum ætati tanta reverentia debetur). Sed iis quidquid lubet, indulgent, modo labores rite præstent; imo perversis principiis eos imbuunt; imo ipsorum pietati irrident; imo eos seducunt, vere animarum interfectores.

III. Illos *amare* amore interno et externo, ideoque eos plus æquo non gravare, convenienter alere, benigne alloqui, *remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis* (Eph. VI).

IV. Illos *justo pretio nunquam fraudare.* Dicit enim Scriptura: *Dignus est operarius mercede sua. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt* (I Tim.).

389. **Famulorum obligationes.** Famuli debent dominis:

I. *Amorem;* dominorum enim bonis fruuntur, et sub eorum custodia vivunt: quo quidem amore etiam dominorum filios prosequi tenentur. Hinc peccant ancillæ, quæ vix ab oculis parentum subductæ, filios tenellos despiciunt, aut vexant.

II. *Reverentiam;* clamat Apostolus: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur* (I Tim. V). Hinc peccant mortaliter, si occultos et graves dominorum defectus manifestent, si gravibus injuriis eos afficiant, v. g. *diabolos, canes* appellando (nisi ex indeliberata ira hæc proferant, et absit scandalum). Vel si eos graviter irrideant, aut lubenter sinant ut in sui præsentia ipsis graviter detrahatur.

III. *Obedientiam;* prima lex famuli est voluntas domini. Hinc Scriptura: *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis; cum bona voluntate servientes sicut Domino et non hominibus* (Epist. I Petri, et Paulus Eph. VI). Ideo plus minus pro ratione materiæ peccant famuli, qui cum aliquid ingratum eis præcipitur, obmurmurant, vel simulant se jam illud fecisse.

IV. *Fidelitatem* in servitio; ideo enim stipendio conducti sunt, ut fideliter serviant ac res domini curent; nec damnum culpabiliter afferant.

390. *Resolve:* I. Si famuli inculpabiliter damnum afferant domino in exequendis muniis sibi commissis, vel in transferendis mobilibus et supellectilibus domus, ad nihil tenentur; nam cum res pereat domino, et dominus censeatur agere per famu-

lum, et revera agat, ipsi domino stant damna, quæ inculpabiliter famulus affert rei domesticæ, nisi alia sit conventio.

II. Si famuli non impediant furta contra dominos ipsi tenentur restituere, si furtum fiat ab extraneis; nam ex officio tenentur rem dominorum tueri: et ideo valde probabiliter omnes obligantur in solidum. Si vero furtum fiat ab aliis domesticis adhuc tenentur ratione officii, si res sit illis commissa specialiter, vel se obligaverint, vel habeant præsidentiam totius domus. Si secus, licet alii item affirment ob generalem rationem famulatus; alii tamen negant communius et probabilius, quia res domini tueri a domesticis ex justitia non obligantur, sed solum ex præcepto generali caritatis; justitia enim respicit extraneos *(S. Alph.,* l. III, nn. 344 et 544).

III. Famuli possunt valide recipere salarium a domino debitis gravato, si bona fide famulatum præstiterint; est enim justum pretium laboris. An vero teneantur discedere, si ex tali famulatu advertant dominum reddi impotentem, alii cum Navarro affirmant, quia tunc servi efficaciter influunt in damnum creditorum accipiendo a debitore impotente. Sed alii negant non improbabiliter cum Molina, quia dominus dat rem suam, et servus mercede dignus est; idque maxime si dominus servo indigeat *(S. Alph.,* l. III, n. 694).

IV. Famulæ cum heris peccantes, si semel vel bis tantum peccaverint, et post admonitionem confessarii occasionem tollere curaverint, absolvi possunt: secus si occasionem removere neglexerint. Sed nunquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, adeo ut occasio ratione circumstantiarum proxima habenda sit. Si tamen exhibeant extraordinaria dispositionis signa, et sint in admodum gravi necessitate, si nempe sine gravissimo incommodo nequeant proprio statui aliter providere hic et nunc, poterunt per aliquas vices absolvi *(S. Alphonsus,* l. III, n. 439; v. t. II *de recidivis)* (1).

V. Si famulus ad annum conductus per mensem ægrotet, verius ei non debetur ex justitia integrum salarium (nisi aliter se habeat consuetudo, vel nisi infirmitatis causa fuerit nimius labor a domino impositus); cum non præstiterit servitium integrum. Imo dominus ne tenetur quidem ad expensas infirmi-

(1) Res est valde periculosa, quod puellæ rusticæ majori commoditate vel vitæ splendore attractæ in urbes commigrent, ut ibidem ancillentur, præsertim ubi neminem habeant, quem consulere possint. Quare facile est, ut vel impio seductori in prædam cadant, vel nimio luxui indulgentes in omnia vitia præcipites ruant.

tatis, ut probabiliter contra alios docet Lugo, modo famulus non sit in necessitate, nec aliter ferat usus. Non tamen tenetur servus operas suas ob morbum interruptas supplere; quia promissio tempori determinato affixa est.

Si vero famulus sine causa ante annum dominum suum deserat, licet recte non agat, aliquod tamen ei debetur, ut communius dicunt; cum servitus exhibita mereatur mercedem. Excipe nisi ideo domino damnum obvenerit, vel aliter ferat conventio (*S. Alph.*, l. III, nn. 342 et 864) (1).

Casus. Mulier timens Deum adeoque a peccato abhorrens pluries ab hero enixe ad malum sollicitata; semper ei resistit. A confessario inducta ut domum illam deserat, renuit ob majus stipendium quod accipit et quia alium locum tutum difficile invenire valet. — R. *Suadendum est mulieri ut præsentem deserat occasionem, et sic etiam herum a peccato liberet. At si firma sit in resistendo, nec facile alium locum honestum inveniat, ad id obligari non poterit.* Gury.

(1) « Ho udito molti padroni lamentarsi dei loro servidori, e spesso aveano ragione, ma avevano anche la loro quota di torto. I servi sono quali i padroni li fanno; e perciò vi domando, che cosa avete fatto per indurli a servirvi meglio? vi siete sempre mostrato giusto con essi? non avete preteso cosa che eccedesse le loro forze, o che potesse umiliarli? gli avete pagati convenientemente e puntuale? non trattati con dispregio o con durezza? E se in qualche disgrazia ebbero bisogno del vostro appoggio, gli avete protetti, soccorsi? siete discreti nell' esigere? Duro con duro non fe' mai buon muro. In somma volete buoni servi? siate buoni padroni....

» Ma anche i servi devono cooperarvi. Certamente chi serve non sta nella bambagia, e il pan degli altri ha sette croste; ma renderebbe la sua condizione meno dura, se meno ricalcitrasse contro di essa.... Non v'è faccenda sì lunga che non si possa abbreviare col prenderla pel suo dritto; non peso sì grave che non si possa render più leggero caricandolo come va. Al bove che tira di buona voglia, non tocca il pungetto. A servo pigro ogni padrone pare esigente; a servo infedele, ubriacone, goloso, l'economia e l'oculatezza pajono spilorceria e diffidenza; a servo insolente un comando, un avvertimento sa d'oltraggio... tolleranza dunque; o servi come servo, o fuggi come cervo. » C. Cantù, *Buon senso e buon cuore;* Conf. XXXVII. V. *Scavini,* l. I, n. 705.

TRACTATUS QUARTUS

DE PECCATIS ET CENSURIS

DISPUTATIO PRIMA

DE PECCATIS IN GENERE.

391. **Peccati definitio.** Peccatum communiter definiri solet: *Libera legis divinæ violatio.* Dicitur 1) *Libera;* quia debet esse in voluntatis potestate actum illum ponere vel non ponere: *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* — 2) *Legis;* etenim *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et quidem legis *divinæ,* quo nomine intelligitur lex omnis; cum ab illa omnes leges dimanent et vim obtineant juxta illud Apostoli: *Non est potestas nisi a Deo....; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (V. d. Thomas, 1, 2, q. 71, a. 4) (1).

392. Huc revocatur etiam peccatum rectæ rationi repugnans: nam qui peccat contra rectam rationem, simul et indivisibiliter peccat contra legem Dei; cum dictamen rectæ rationis sit ipsa legis divinæ intimatio. Ideo merito Alexander VIII damnavit distinctionem a nonnullis invectam inter peccatum mere *philosophicum* quod soli rationi repugnat, quin Deum offendat; et *theologicum,* quod legi divinæ adversatur et est offensa Dei (*S. Alph.,* l. v, n. 11. *Scavini,* l. I, n. 881).

(1) S. Augustinus sic peccatum definivit: *Dictum vel factum vel concupitum* (non contra naturam entium rationalem, sed) *contra legem æternam Dei.* Quæ vocabula perpendens Angelicus ait: *S. Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit:* dictum vel factum vel concupitum. *Alium autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit:* contra legem æternam (1, 2, q. 71, a. 6).

393. *Peccati divisio.* Peccatum multipliciter distinguitur.

I. *Originale* et *personale;* prius ex culpa Adami primi parentis nostri naturali propagatione in nos derivat; posterius propria ipsius peccantis voluntate contrahitur (1).

II. *Actuale* et *habituale.* Illud est peccatum actu existens, id est ipsa actio peccaminosa; hoc est macula animæ inhærens ex actuali peccato nondum deleto.

III. Peccatum *actuale* multiplex est, prout multiplici sub respectu consideratur. Potest enim considerari: 1) Ratione causæ occasionalis, quæ ad peccatum nos inducit — 2) Ratione differentis speciei, et habetur *differentia peccatorum specifica* — 3) Ratione differentis gravitatis, et venit peccatum *mortale* et *veniale* — 4) Ratione multiplicationis, et appellatur: *differentia peccatorum numerica* — 5) Ratione modi, quo peccatum patratur, et huc revocatur peccatum tum *commissionis* et *omissionis;* tum *internum* et *externum,* nempe *cordis, oris* et *operis.*

Item peccatum dicitur *formale,* si scienter seu culpabiliter committitur. Dicitur *materiale,* si transgressio est involuntaria, quæ proprie peccatum non est, neque Deum offendit.

CAPUT PRIMUM

De Peccato originali.

394. **Peccatum originale.** De fide catholica est, *peccatum originale in omnes et singulos homines transfundi, qui via naturali ex Adamo descendunt, nisi tamen privilegio speciali eximantur.*

Probatur. Apostolus (Rom. v) ait: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit.* Concordes habemus Patres, Concilia, traditionem omnium ecclesiarum, omniumque fere gentium; adeo ut vel ipse Voltaire scribere non dubitaverit: *Casus hominis est fundamentum theologiæ omnium pene antiquorum populorum.* Hinc merito Tridentinum: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi*

(1) « La differenza che corre (ait s. Alphonsus) fra il peccato originale e personale è questa, che il peccato personale si commette colla volontà fisicamente propria; l'originale fu commesso colla volontà fisicamente aliena, e moralmente propria.» *Opera dogmat.)*

soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod mors est animæ, anathema sit (sess. v, c. 2). V. Perrone, Knoll, Billuart, etc.

395. Neque injustus Deus puniendo filios ob peccatum patris. Deus (ut scite tradit d. Thomas, 1, 2, q. 81, a. 3) constituit Adam *caput naturale et morale totius generis humani tum ad conservationem tum ad amissionem justitiæ originalis*, ita ut eo perseverante in bono, omnes nati fuissent justi; eo autem prævaricante, omnes nascerentur justitia originali exuti. Potest sane rex aliquem divitiis et singulari amore prosequi hac lege, ut si fidelitatem servat, eodem favore tum ipse tum ejus filii et nepotes gaudeant; quod si perduellis fiat, omnes simul cum ipso evadant ipsius amicitiæ indigni ac filii iræ: quæ porro hic injustitia? Pari ratione intelligimus Deum potuisse ditare Adam donis supernaturalibus gratiæ atque immunitate a concupiscentia, a doloribus et morte ea conditione, ut nisi comedisset de fructu vetito, tum ipse, tum ejus posteri naturali generatione ab ipso procedentes, in perpetuum hoc privilegio gauderent. Contra si hoc præceptum violasset, ut omnes una cum ipso traheret in illorum donorum privationem (v. *Scavini*, l. I, nn. 882 et seqq., ubi etiam de homine *præhistorico* et *homine simia*).

396. Dixi: 1) *In omnes et singulos homines transfundi;* æqualiter enim, ut ait d. Thomas, omnes relationem habent ad primum principium vitiatæ originis, ex quo peccatum originale recipit quoad omnes rationem culpæ. Nempe peccatum originale est peccatum naturæ, sed natura æqualiter est in omnibus (1, 2, q. 82, a. 4).

2) *Qui via naturali ex Adamo descendunt*, ut ita eximatur Christus, et alii qui per miraculum formarentur. *Revera*, ait Tridentinum, *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti* (sess. v, c. I).

3) *Nisi privilegio eximantur*, ut excludatur Virgo Maria; absit ut Eam includamus, *opus* (ex Petro Damiani) *quod solus Opifex supergreditur*. Et quidem decebat omnino, ut ipsa perfectissimæ sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpæ labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret. Decebat omnino, ut sanctorum regina, inferorum dominatrix, Dei et Domini sui Mater ne uno quidem instanti sub potestate dæmonis existeret.

Quam veritatem in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam ac revelatæ doctrinæ charactere insignitam, illustria venerandæ antiquitatis Ecclesiæ orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Hinc Pius IX die 8 decembr. 1854 toto plaudente catholico orbe, Lit. Apostolicis, *Ineffabilis Deus*, de fide declaravit: *Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem* (plura *Scavini*, l. I, nn. 710 et 893).

397. **Effectus peccati originalis.** In præsenti vita effectus peccati originalis corpus et animam afficiunt. Tridentinum enim docet, *totum Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse* (Sess. V, c. 1).

Effectus ex parte *corporis* sunt ærumnæ, morbi, et ipsa mors; nam *per peccatum mors* (Rom. V). Licet enim corpus nostrum ex contrariis compactum naturaliter esset corrumpendum; Deus tamen benignitate sua dederat per justitiæ originalis donum, ut dissolutio impediretur lignum vitæ vescendo. At semel amissa originali justitia, corpus in pœnam pristinæ naturæ restitutum est — Ex parte *animæ* quatuor effectus seu vulnera numerat Angelicus, nempe vulnus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis et concupiscentiæ (1, 2, *q.* 85, *a.* 3).

Dictum est: *In præsenti vita.* Quod enim spectat ad vitam futuram, de fide est, originale peccatum, etiam solum, a regno cœlorum perpetuo excludere juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joann. III). Per baptismum enim originale deletur.

398. Qui cum solo peccato originali moriuntur de fide est illos et excludi a regno Dei, ut patet ex verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit* etc., et statim a morte in loca inferiora descendere puniendos, pœna tamen ab illa reproborum dispari, ut definivit Concilium Florentinum. Quinam vero sit iste locus inferior, an infernus damnatorum, an alius subterraneus locus; item quænam sit hæc pœna, an sola damni, seu sola privatio visionis Dei, an etiam sensus, seu etiam pœna ignis, disputant. Alii cum Gregorio Ariminensi docent pueros illos pœna ignis mitissima tamen in inferno esse puniendos, cum post ultimum judicium non admittant aliquid medii inter paradisum et infernum. Alii cum Bellarmino docent illos pœna sensus non esse puniendos, cum hanc Scriptura iis solum comminetur qui actuali peccato detinentur; sed putant eos in æternum tristari de amissione beatitudinis. Alii cum d. Thoma putant eos fore immunes non solum a pœna sensus, sed etiam a tristitia animi ob gloriæ amissionem, cum hæc ipsis sit indebita: sicut non contristatur homo, quia non potest

volare. Imo isti pueri gaudebunt de hoc quod participant de divina bonitate et perfectionibus naturalibus (1). *Quamvis pueri non baptizati,* ait Angelicus, *sint separati a Deo quantum ad illam conjunctionem quæ est per gloriam; non tamen ab eo penitus sunt separati, imo illi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione* (De malo, a. 2) (2).

CAPUT SECUNDUM

De Peccato actuali ratione causæ occasionalis.

399. **Causa peccati.** Vera, directa et efficax nostri peccati *causa* est sola nostra voluntas: *Ad culpam personæ* (ait Angelicus, 1, 2, q. 73) *requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur.* Attamen regius Psaltes (Ps. XVIII) etiam de alienis timet: *Ab alienis parce servo tuo.* Quod non ita accipiendum est, quasi ad ea committenda non debeat concurrere nostra voluntas, quæ sola est peccati sedes; sed eo sensu, quia illa sub aliqua ratione etiam nobis debent imputari. Hæc imputatio incurritur dupliciter:

1) *Positive,* quando quis alium ad peccatum inducit imperio, consilio, plausu vel per illecebras, ut si perversos libros evulget, turpes imagines exponat, etc. — 2) *Negative*, si ob desidiam

(1) Quæ opinio non est confundenda cum hæresi Pelagianorum; isti quoque illis pueris naturalem beatitudinem concedunt, sed sine morte animæ: unde juxta ipsos exclusio ab intuitiva Dei visione non habet rationem pœnæ, quod negant catholici; et constat proposit. 26 Synodi Pistoriensis (V. s. Alph., *Opera dogmatica,* sess. V; item *Dissertazioni teologico-morali,* diss. VI. *Scavini,* l. I, n. 901. Scotton, *Gli angioletti e la famiglia cristiana*, ecc. Perrone, *De Deo creatore.* Bernino, *Storia di tutte le eresie;* sec. V. Anfossi, *Difesa della Bolla* Auctorem fidei, t. II).

(2) « His (placet concludere cum doctissimo Archiep. Genuensi D. Magnasco) si nobis aliquid addere liceat, arbitramur alienum non esse tum a fide tum a ratione opinari parvulos illos statum suum probe noscere, nempe se fuisse a Deo ut cæteros creatos propter regnum cœlorum, et ab eo etiam pro se media sufficientia fuisse parata; item Christum voluntate generali pro ipsis quoque redimendis mortuum esse et suum sanguinem fudisse, quamvis hisce beneficiis vel ob concursum causarum naturalium vel hominum oscitantiam aut malam voluntatem frui minime potuerint. Intelligunt igitur non esse ex defectu bonæ voluntatis Dei et Christi, quod in illa privatione versentur, ideoque non culpandum Deum et Christum; sed utrumque maxime esse laudandum et grato animo prosequendum pro iis beneficiis etiam sibi pro bona eorum voluntate paratis. Hinc cum eorum voluntas sit naturaliter ordinata, quia peccatum originale non est ex voluntate propria, sequitur quod Deum et Christum laudent et revereantur et in eos gratum animum gerant, et ita in summa animi tranquillitate vivant suntque sua sorte contenti. Caveant tamen divini Verbi præcones ne hanc doctrinam publice enuncient, tum quia etsi sit valde probabilis, tamen non est omnino certa, et in hac materia probabilitas non valet nisi sit etiam veritas; tum ne detur parentibus aliisque causa desidiæ, et ita dum divinæ bonitati innituntur, judicium invenient *(Instit. Theol. dogmatico-scholast.*, t. III *de primo homine et peccato originali).* »

nostram alii peccatis libere indulgeant. Ex qua parte parentes, magistratus, educatores, parochi, episcopi, qui suis non invigilant, severum judicium expectent: ex his patet, hanc peccatorum alienorum imputationem immensum non raro orbem describere, ut notat Stapf *(V. Scavini,* l. I, n. 903).

400. Causa vero occasionalis nonnisi indirecte, seu alliciendo, ad peccatum inducit. Quæ quidem mala occasio est tum externa, tum interna, prout ipsi hominis naturæ inhæret vel non.

1) Causa externa occasionalis duplex est: *diabolus,* qui homines tentat variis artibus pro cujusque natura et moribus (v. d. Thomas, 1 p., q. 114; et 1, 2, q. 80). *Mundus* totus in maligno positus, qui tentat ad peccatum pravis tum exemplis tum sensuum illecebris — 2) Causa vero interna occasionalis triplex est: *ignorantia* ex parte intellectus, *concupiscentia* ex parte appetitus, *malitia* ex parte voluntatis. Inde exurgunt peccata ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ.

401. **Mala ex ignorantia**. Si ignorantia vincibilis sit et versetur circa ea quæ quis scire tenetur, culpabilis est tum in se tum in suis consectariis, cum sit voluntaria in causa, seu in negligentia discendi. Species et gravitas peccati sumitur ex natura et gravitate præcepti ignorati. Hinc medicus medicinæ ignarus peccat gravi injustitiæ peccato ob grave damnum in proximum.

Si vero ignorantia sit invincibilis, quæ nempe *studio superari non potest,* ex Angelico (1, 2, q. 76, a. 2), non erit peccaminosa neque in se neque in consectariis: *Non enim tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*, ait Augustinus; *sed quod negligis quærere quod ignoras.* Quod valet etsi ignorantia sit juris naturalis; una semper est ratio: *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Hinc illa Baji propositio damnata est ab Alexandro VIII: *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato* (S. Alph., *l.* v, *n.* 4).

Casus. Cajus ignorans esse vigiliam manducavit carnes, sed ex pigritia die dominica non adfuit Missæ, in qua obligationes de hebdomada occurrentes denuntiari solent — R. *Si Cajus dum Missæ interesse noluit dubium grave habuit de obligatione forte eventura intra hebdomadam, et neglexit inquirere hac de re, tunc ejus ignorantia fuit vincibilis et peccavit contra præceptum jejunii, contra præceptum audiendi Sacrum et peccato acediæ Si nulla ei occurrit cogitatio de præfata jejunii obligatione, licet peccaverit omittendo Missam et indulgendo pigritiæ, non tamen peccavit ob jejunii omissionem.* Gury.

402. **Peccata infirmitatis.** Peccata, quæ ex concupiscentia proveniunt, dicuntur *peccata ex infirmitate,* quasi totidem animi ægritudines. Quæ tamen ægritudines vel pravi motus ad quos concupiscentia nos inclinat, non sunt vera peccata quamdiu voluntas iis non assentit: est de fide contra Lutherum et Calvinum, aliosque paucos hæreticos. Hinc damnata est hæc Baji propositio: *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto:* non concupisces. *Unde homo eas sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum:* non concupisces; *quamvis transgressio in peccatum non imputetur* (1).

Non tamen negandum concupiscentiam frequentissimam esse peccati causam, quatenus nos trahit ad assentiendum objecto illicito. Hinc Daniel. XIII: *Concupiscentia subvertit cor.*

403. **Peccata malitiæ.** Peccata quæ quis nec ignorantia deceptus nec concupiscentia allectus, sed ex plena libertate committit, dicuntur *malitiæ.* Peccata provenientia ex ignorantia voluntarie quæsita vel ex passione libere excitata, æquiparantur peccatis malitiæ; cum prima earum radix sit sola prava voluntas, quæ vel ignorantiam vel passionem procurat. Tale est peccatum illorum, qui *lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (Prov. XI).

Idem est de peccatis commissis ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet. Nam *manifestum est,* inquit s. Thomas, *quod quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia;* peccat ex majori inclinatione voluntatis (1, 2, q. 78, a. 2).

404. **Tentatio.** Tentatio generatim sumpta est probatio, seu experimenti susceptio de aliquo. Speciatim vero ac communi usu definitur: *Incitamentum voluntatis ad malum* (2) — Sentire tentationem non est peccatum; *non nocet sensus,* ait d. Bernardus, *ubi non est consensus.* Imo potest esse perutilis; nam per ipsam homo humiliatur, purgatur et eruditur: imo necessaria; nam ad præmia perveniri non potest nisi per magnos labores. Quod si resistentia nobis impossibilis videtur per naturam, fit possibilis per gratiam: nam *fidelis Deus est, qui non*

(1) Ad rem d. Chrysostomus: *Sciendum est quod aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere passionis est, velle autem arbitrii; frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat; magis autem gloriosiorem reddit coronam* (Hom. LII in Matth.).

(2) Deus intentator malorum est: quod si aliquando Deus tentat, hoc est ad probationem, non ad seductionem. Item dicitur Deum excæcare, obdurare; sed hoc sensu excæcat et obdurat, non jam impertiendo malitiam; bene vero non impertiendo gratiam, quod occulto suo judicio facere potest *(Scavini,* l. I, n. 901). Vide d. Thomas, 1, 2, q. 79.

patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis resistere (I Cor. x).

405. *Remedia contra tentationem.* Si tentatio sit levis, illico contemnatur; si gravis, en remedia præcipua: 1. Vigilare et orare; vigilantia nos cautos reddit, oratio fortes nos facit.

2. Tentationem citius aperire proprio directori; diabolus enim totus tenebrosus lucem timet. Et plerunque satis est pravorum machinationes pandere, ut evanescant.

3. Tentationem non aspicere in se, nec disputare cum tentatore, maxime si tentet contra castitatem. Observat Angelicus, quod tentationes venereæ felicius vincuntur fugiendo, scilicet nos ad alia illico convertendo, quam directe illis resistendo. Item dicito de tentationibus contra fidem et spem, ac de cogitationibus suspiciosis contra proximum (*S. Alph.*, Ho. ap., tr. III, n. 48).

4. Confidere in Deo expectando perseveranter, et patienter ejus adjutorium. Væ his qui perdunt sustinentiam, et cedunt arma inimico. Nunquid in æternum probat Deus? Minime sane; sed post hiemem sequitur æstas, post noctem redit dies, post tempestatem magna serenitas; et tunc consolationes tuæ, Domine, lætificabunt animas tribulatorum. *Kempis.*

CAPUT TERTIUM

De distinctione Specifica peccatorum, de eorum differenti Gravitate, et de distinctione Numerica.

406. **Distinctio specifica peccatorum.** Peccata specie differunt inter se, si non habent eandem deformitatem seu malitiam. Unde autem id desumitur? nos dicimus specificam deformitatem seu differentiam repetendam esse ab oppositione specie diversa cum lege; peccatum enim constituitur per hanc oppositionem: si ergo oppositio sit specifice diversa, peccatum specie diversum habebitur (1). Idque contingit:

1) *Quando diversæ offenduntur virtutes.* Sic apostasia a fide, desperatio, odium Dei differunt specie inter se. Quare?

(1) Putant aliqui differentiam peccatorum specificam desumendam esse ex oppositione, quæ sit notabiliter major cum lege. Sed communiter id rejicitur cum s. Thoma; nam majus et minus non diversificant speciem, seu non mutant malitiam, sed tantum augent vel minuunt malitiam ipsam jam existentem (1, 2, q. 1, a. 6)

quia tribus virtutibus inter se diversis opponuntur, idest fidei, spei et caritati.

2) *Quando diversa violantur præcepta ejusdem virtutis, seu quando eadem virtus læditur modo diverso.* Sic furtum, detractio, homicidium inter se specie differunt. Quare? quia opponuntur modis diversis eidem virtuti, nempe justitiæ, quæ jubet, ut nemo lædatur neque in bonis vitæ, neque in bonis famæ, neque in bonis fortunæ.

3) *Quando eadem læditur virtus, sed modo prorsus contrario.* Sic prodigalitas et avaritia differunt specie inter se. Quare? quia opponuntur quidem eidem virtuti, nempe liberalitati; sed modo plane opposito, prima nempe per excessum, altera per defectum. Hinc versus:

Virtutes læsæ, diversa objecta, modusque
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.

407. *Resolve.* Qui ligatus voto castitatis peccat carnaliter cum consanguinea conjugata, quatuor peccata committit, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe *castitatem* ob peccatum carnale; *religionem* ob votum quod emisit; *pietatem* ob injuriam in consanguineam; *justitiam* ob adulterium, quod patrat (*S. Alphonsus,* l. v, n. 33).

408. **Peccatorum differentia quoad gravitatem.** Fuit Stoicorum sententia, quam Jovinianus amplexatus est, omnia vitia paria esse, et ideo omnes peccantes tum quoad culpas tum quoad pœnas esse æquales. Calvinus vero et Lutherus docuerunt omnia peccata ex se esse mortalia, et venialia evadere si venia obtineatur. Wiclephus dixit omnia reproborum peccata esse mortalia, prædestinatorum venialia; ideo peccata esse mortalia vel venialia, non in se, sed externa imputatione.

Sed de fide est, peccata natura sua differre ratione gravitatis tum in prædestinatis tum in reprobis, et ideo ex se alia esse mortalia alia venialia. Christus Pilato de Juda proditore dixit (Joann. XIX): *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et Joannes distinguit *peccata ad mortem et non ad mortem* (Ep. I). Adde: peccatum est recessio a bono virtutis; porro magis vel minus quis ab eo recedere potest. Ergo major vel minor erit malitia quo major vel minor erit talis recessus. Patet etiam ex corporalibus: sic sanitas consistit in debita humorum proportione; ideo quo major erit vel minor humorum inæqualitas,

major vel minor erit infirmitas (*d. Thomas,* 2, 2, q. 88). Hinc merito damnata fuit hæc Baji propositio: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam* (S. Alph., *l.* v, *n.* 51) (1).

409. Peccata autem eo graviora sunt ex suo genere, quo majorem præseferunt malitiam, seu quo majori bono privant et excellentiori virtuti opponuntur: sic odisse Deum gravius est quam odisse proximum.

Dixi: *ex suo genere;* quia per accidens fieri potest, ut peccatum quod privat ex se bono specie majori, vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus, vel ex eo quod non ita directe majori bono opponatur, sit levius peccato inferioris speciei. Sic sodomia et bestialitas perjuro graviora sunt: quia magis disconveniunt. Imo fieri potest, ut idem actus magis disconveniat in uno, quam in alio, ratione circumstantiarum, personæ, etc. Hinc illud Psal. LIV: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos!* Hinc s. Thomas: *Cæteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit* (2, 2, q. 10, a. 3).

Quod maxime dicendum est de ecclesiasticis peccatoribus tot gratiis dignatis.

410. **Peccatum mortale et veniale.** Ratione gravitatis peccatum aliud est mortale, aliud veniale. *Mortale* est gravis offensa Dei privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens pœna æterna dignum. *Veniale* vero est levis Dei offensa, quæ nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab æterna beatitudine excludit; minuit tamen fervorem caritatis et reddit hominem dignum pœna temporali. Dicitur veniale, quia veniam facile consequitur, non vero quasi sit res parum attendenda; si enim veniali peccato Deus offenditur, hoc erit malum alia mala superans post mortale (*D. Thomas,* 1, 2, q. 88).

Differentia peccati mortalis a veniali in eo maxime posita est ex cl. Gerdil, quod mortale est contra legem et finem legis,

(1) D. Hieronymus ex professo scripsit pro hac veritate contra hæreticum Jovinianum; eique gratulatur d. Augustinus. Ad rem item d. Augustinus: *Si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt, mures et elephanti pares erunt, quia utraque sunt animalia* (Epist. CIV ad Nectar., c. 4). V. Angelicus, 1, 2, q. 73, a. 2.

nempe caritatem quam extinguit; veniale vero est contra legem quæ et illud vetat, non tamen repugnat legis fini, cum possit cum caritate consistere *(v. Scavini,* l. I, n. 906).

411. *Peccatum mortale* duplex distinguitur: aliud tale est *ex genere suo,* aliud tale *ex genere suo toto.*

Mortale ex *genere suo* est illud, quod in sua specie sistendo, et absque nova malitia, potest esse mortale; tale est furtum, quod licet ex levitate materiæ fieri possit veniale: attamen per se, sine accessione malitiæ alterius speciei, mortale esse potest.

Si vero objectum peccati seu materia ex omni parte graviter semper dedecet naturam rationalem, dicitur peccatum *mortale ex genere suo toto;* quia scilicet pars quælibet semper continet gravem inordinationem, uti odium Dei, hæresis, perjurium, blasphemia, simonia de jure divino, fractio sigilli sacramentalis vel jejunii naturalis ante communionem, et actus venerei extra matrimonium. Quæ quidem non admittunt parvitatem, nisi ratione imperfectæ advertentiæ vel imperfecti consensus *(S. Alph.,* l. v, n. 53) (1).

412. **Principia.** Tria requiruntur ad mortale constituendum:

I. Ex *parte objecti* materiæ gravitas (saltem ratione finis); ex objecto enim actus primam malitiam desumit.

II. Ex *parte intellectus* requiritur plena advertentia, seu mentis attentio ad malitiam actionis, vel omissionis; nam nil volitum nisi præcognitum. Ubi notandum contingere posse vel quod intellectus noster ita rapiatur a delectabilitate objecti, ut nihil malitiæ in eo advertat: et hi motus dicuntur *motus primo-primi,* qui antevertunt omnem advertentiam rationis, et sunt omnino culpæ expertes. Vel quod intellectus non advertat nisi semiplene, quia forte sumus semidormientes, alio distracti, aut graviter mente commoti; et hi dicuntur *motus secundo-primi,* qui culpam venialem non excedunt; quia voluntas in illos non consentit perfecta libertate. Vel quod intellectus plene advertat, si videlicet mente expedita nos aliquid decernimus: qui quidem *motus deliberati* appellantur, cum fiant cum plena advertentia intellectus discernentis malitiam mortalem (saltem in genere), et cum pleno consensu voluntatis. Et hoc requiritur

(1) *Potest, quod est ex genere suo mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus sed subitus.* D. Thomas, 1, 2, q. 88, a. 6.

ad mortale constituendum cum illud debeat esse plene voluntarium et liberum (1).

III. Ex *parte voluntatis* requiritur perfectus consensus, ille nempe actus, quo voluntas objectum sibi ab intellectu propositum deliberate amplectitur; sane motus nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii. Consensus autem potest esse vel *explicitus,* si voluntas objectum ipsum in se directe amplectitur; vel *implicitus* et indirectus, quando quis vult causam, ex qua necessario oritur effectus. Porro ad mortale requiritur quidem perfectus consensus, nam cum mortale sit plena et consummata malitia, ad illud necesse est plenum et perfectum voluntarium. At sufficit consensus indirectus, quia et in hoc plene adest ratio voluntarii: hinc qui legit obscœna, jam velle censetur pravos motus inde exurgentes. Clericus qui fastidit studium, vult per consequens ignorantiam, et mala inde sine numero obventura *(S. Alph.,* l. I, n. 53; l. VI, n. 476).

413. Etsi ad mortale requiratur plena advertentia, non tamen actualis necessaria est; nam multipliciter evenire potest quod plura mala quamvis actualiter non advertantur, bene tamen imputentur ad culpam ea patrantibus. Esset si eorum ignorantia sit aliquo modo ac satis voluntaria in causa, v. g. vel ob negligentiam graviter culpabilem, vel ob passionem aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando, ut patet de obcæcatis, de obduratis in malo et de consuetudinariis *(S. Alph.,* Ho. ap., l. III, n. 27; *Scavini,* l. I. n. 724).

414. Hinc collige a peccato gravi non excusari: 1) Qui negligunt se instruere in propriis obligationibus, vel qui proprium judicium obstinate superiorum judicio præferunt. 2) Qui vivunt in continua dissipatione; vel loquuntur et operantur in rebus magni momenti absque ulla reflexione. 3) Qui dum patiuntur dubium de gravi malitia alicujus actionis quam facere intendunt, negligunt illud examinare, quia timent, ne actionem prohibitam invenientes, teneantur ab illa abstinere (2).

(1) Aliqua deliberatio seu advertentia requiritur in ipso peccato veniali; et nonnisi sub hoc sensu peccatum veniale *indeliberatum* appellari potest, quatenus nempe fit sine plena advertentia. Audiatur s. Alphonsus: *Venialia alia sunt deliberata, indeliberata alia: indeliberata nempe quæ committuntur absque plena advertentia aut absque perfecto consensu, minus culpabilia sunt, et in hoc omnes homines incidunt, Maria Ss. tantum excepta* (Trid., sess. VI, c. 23). *Culpabiliora sunt venialia deliberata quæ scilicet plena voluntate et considerate committuntur; et magis si nimis desiderantur, ut evenire solet in quibusdam odiis, ambitionibus et in quibusdam radicatis affectibus* (Instit. catechetica). Ex quo patet nonnisi improprie peccatum appellari *indeliberatum;* atque ideo illud non dari sine aliqua cognitione seu conscientia.

(2) Sunt tamen solandæ animæ piæ vel timoratæ quæ timent ne in eo quod fecerunt ignoranter, per negligentiam graviter peccaverint; nam cum istæ curent

415. **Regulæ ad dignoscendum peccatum mortale.** Prima regula est, ut recurratur ad sacras Scripturas: *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio,* ait Augustinus (Ench., c. 87). Ea autem peccata existimanda sunt mortalia, quæ in sacris Literis dicuntur *digna morte,* aut *excludere a Regno Cœlorum,* vel enunciantur cum particula *væ.* Quæ expressiones significant deformitatem profecto gravem. Sic Apostolus loquens de operibus carnis ait: *Prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur* (Gal. v). *Qui talia agunt, digni sunt morte* (Rom. i). Et Job x: *Si impius fuero, væ mihi est* (1).

Secunda regula est ut sacris Scripturis deficientibus, recurratur ad Pontificum definitiones et Conciliorum generalium Decreta, si in eis aliquod peccatum declaretur mortale, aut gravibus pœnis affectum. Ecclesia enim est columna veritatis.

Tertia regula est, ut consulantur tum sancti Patres et Ecclesiæ Doctores, tum saniores Theologi, qui doctrina præstent et pietate. Patres ac Doctores positi sunt in Ecclesia lucernæ ardentes ad illuminandos fideles in via veritatis. Theologi in expositione sacræ doctrinæ Patribus successerunt.

Quod si adhuc res dubia sit, non facile damnemus de mortali, ne exponantur pœnitentes periculo peccandi lethaliter. Hinc si eo in casu confessarius a pœnitente interrogetur, an illa actio sit gravis, id unum dicat peccatum esse; quod satis est ad regendos fidelium mores *(S. Alph.,* l. iii, n. 132; l. v, n, 51) (2).

416. **Peccatum veniale.** Ad peccatum veniale constituendum præter malitiam actus objectivam, requiritur tum advertentia mentis: nam *nil volitum, quin præcognitum;* tum voluntatis consensus, *voluntas* enim *est qua peccatur,* ait d. Augustinus.

417. **Principia.** I. Peccata venialia, utcumque multiplicata,

propriás addiscere obligationes et intentionem semper habeant Deum non offendendi, et vigilent supra proprias actiones, licet aliquid fecerint contra legem, generatim loquendo, judicari potest non peccasse, vel nonnisi venialiter. *Prammaggiore.*

(1) Gravia item ordinarie judicantur *tum* ea, quæ directe sunt contra Deum aut aliquam ejus perfectionem; ut peccata contra fidem, spem, caritatem; item blasphemia, perjurium. *Tum* ea, quæ gravissime nocerent humanæ dignitati, si admitterent temperamentum, ut peccatum contra castitatem, circa quam semel admissa levitate ob nostram proclivitatem omni turpitudini esset locus. *Tum* ea quæ in indivisibili consistunt, ut jejunium naturale in sumptione Eucharistiæ.

(2) Errant ergo confessarii, qui volunt semper judicium facere de peccati qualitate, an sit grave vel leve, et contorquent pœnitentes ut sciant quali animo aut conscientia hoc fecerint: qui multoties respondent ut casus occurrit, adeo ut postea interrogati negent quod prius affirmarunt. Dixi *semper*, bene enim possunt interrogari sufficienter instructi, aut si dubitetur de pleno consensu tentationi præstito.

Generatim præsumi potest, quod pœnitens objectum peccati, prout in se malum est, apprehendat, nisi circumstantiæ aliud suadeant. *Gury.*

per se loquendo non possunt constituere peccatum mortale; quia plura individua unius speciei non possunt constituere speciem aliam. Sic mille mendacia jocosa, sunt mille peccata venialia; sed ne unum quidem mortale. Dixi *per se loquendo;* nam si materiæ venialium possunt in unum coalescere, ita ut fiat unum objectum grave relate ad idem præceptum, tunc peccatum evadit mortale; sed non per se, bene vero quia ultimus actus, etsi in se levis, ob continuationem cum aliis complet materiam gravem. Sic plura parva furta constituunt furtum mortale, non quia sunt parva furta; sed quia ultimum furtum complet materiam gravem contra justitiam *(S. Alph.,* l. v, n. 52).

II. Peccatum veniale evadere potest mortale: 1) Ratione *gravis damni* tam spiritualis, puta gravis scandali; quam temporalis, uti si quis instrumentum parvi momenti auferendo prævideat, quod artifex in blasphemias erumpat, vel notabile lucrum amittat.

2) Ratione *finis mortaliter mali,* si quis, v. g. ad seducendam puellam mendacium proferat officiosum. Nam actus participat de malitia sui effectus, et suam a fine speciem sumit. Satis tamen est in Confessione exprimere seductionem; quia, seclusa malitia mortalis finis, mendacium illud manet veniale.

3) Ratione *mali affectus,* ut si quis rem venialiter malam aut indifferentem perficiens, paratus animo sit eam facere, tametsi esset mala mortaliter; satis enim ostendit suam malam voluntatem. Item est de eo qui deliberat de consensu rei graviter malæ præstando, etsi rem illam malam non agat; quia voluntas ad illam jam se paratam ostendit.

4) Ratione *periculi proximi* labendi in peccatum mortale: uti si quis ex familiaritate cum muliere videat se grave incurrere periculum labendi in turpia — Qui vero vellet sola mortalia vitare non curando de venialibus ex proposito, etsi forsan non peccaret graviter, cum id per se non inducat proximum periculum graviter peccandi; tamen in praxi rem perdifficilem aggreditur, nam *qui spernit modica paulatim decidet.*

5) Ratione *contemptus formalis* legis vel superioris, quatenus superior est; talis enim contemptus redundat directe in Deum, a quo est omnis potestas.

6) Ratione *conscientiæ erroneæ,* qua quis putat se peccare mortaliter; nam tunc consentit in mortale apprehensum (d. Thomas, 1, 2, q. 73 et q. 78). Hinc versus:

Damnum, finis, discrimen, spretus et error.

418. **Distinctio numerica peccatorum.** Peccata intra eandem speciem dicuntur distingui numero, quando ea multiplicantur, ita ut peccata numerari possint, v. g. duo, tria. Ex duplici autem capite, seu ex duabus radicibus desumitur distinctio numerica peccatorum intra eandem speciem: 1) Ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. 2). Ex multiplicitate objectorum totalium moraliter diversorum.

419. I. **Ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum.** Nam quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et singuli in propria malitia constituuntur. Sic qui pluribus vicibus furatur, tot peccata furti committit quot sunt furta, quia hæc tot actus diversos constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur: 1) Per revocationem expressam; hæc enim impedit ut actus posterior cum priore moraliter conjugatur, v. g. tibi complacebas in delectatione mala, actum displicentiæ elicis, sed postea ad eandem voluntarie redis; duplex commisisti peccatum — 2) Per cessationem voluntariam ab actu, seu per mentis applicationem ad diversa objecta — 3) Per moram satis notabilem, ad quam determinandam sequentes regulæ communiter traduntur:

Regula I.ª Actus mere interni seu qui interne omnino perficiuntur, complentur statim ac interrumpuntur, et proinde toties multiplicantur quoties eorum evenit interruptio; quia tunc tot sunt actus voluntatis completi et distincti; cum unus ab alio non pendeat, et nihil in se habeant, per quod sibi invicem uniantur. Hinc pœnitens debet exprimere si possit quot vicibus internæ tentationi adhæserit: quod si nequeat, dicat circiter vel saltem an valde frequenter in die consensum dederit. Notant tamen quod si plures hujusmodi actus ex eodem concupiscentiæ impetu procedant, unum mortale constituunt, etsi aliquod intervallum inter eos actus intercedat.

Regula II.ª Actus interni juncti cum proposito externam actionem ponendi multiplicantur toties quoties pravum propositum formaliter innovatur; quia tunc novus actus voluntatis formaliter distinctus intercedit. Si vero propositum non renovetur, non fit novum peccatum, quia tunc prior actus voluntatis in ipso effectu vel opere externo intento perseverare censetur; propositum autem idem perdurare censetur majori vel minori tempore pro varia ejus intensitate, nec non pro diversis circumstantiis personarum, ætatis, sexus, indolis, etc. In praxi si ultra biduum vel triduum perduraverit, de temporis

duratione confessarius inquirat, ut numerum actuum internorum moraliter intelligere valeat.

Regula III.[a] Actus externi seu externe consummati moraliter interrumpuntur et multiplicantur, quando non subordinantur ad aliquem actum principalem completum, ut si quis pluries percutiat sine intentione occidendi, vel si quis sine intentione furandi centum, tamen centenis vicibus centum surripiat; quia tunc quilibet actus habet suam solam et completam malitiam.

E converso actus externi duobus modis uniuntur, ita ut unum constituant peccatum : 1) Si ex eodem impetu procedant, puta cum quis ex eodem impetu pluries aliquem percutiat — 2) Si ad ejusdem peccati consummationem dirigantur, quando nempe sunt veluti partes actus principalis, seu ad finem unicum tendunt; quid unum morale efficiunt, quod non completur nisi consummato actu principaliter intento. Sic si quis ad furtum patrandum plures dies de eo cogitat, propositum pravum sæpius renovat, tempus opportunum quærit, etc. unicum peccatum committit; quia actus prior voluntatis in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur.

420. II. **Ex multiplicatione objectorum totalium moraliter diversorum.** Est commune: etenim ubi sunt plura objecta totalia distincta, sunt etiam ibi plures actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, ac proinde plures malitiæ distinctæ, et consequenter plura peccata. Hinc diversa numero peccata committit qui uno actu plures homines occidit vel pluribus detrahit, vel unico actu optat ad plures fœminas accedere; vel a pluribus furatur aut pluribus una vice scandalum præbet, vel uno actu malum pluribus desiderat (1).

Casus. Barabbas rem ad plures hæredes, nondum divisa hæreditate, pertinentem surripit; equitem unico ictu cum ipso equo occidit; et proposuit totum omittere jejunium quadragesimale, sed propositum revocavit iteravitque, tandem ex media parte omisit. Sic autem confitetur: *semel in re gravi sum furatus: hominem occidi, jejunium per mediam quadragesimam omisi.* Quoad 1) tot Barabbas furti peccata commisit, licet actus fuerit unicus, quot sunt hæredes ad quos res sublata pertinebat; quia singuli injuria spe-

(1) Qui e contra negat uno actu plures fidei articulos, verius unum mortale tantum committit; nam objectum fidei unicum tantum est, nempe veracitas Dei revelantis. Item qui uno actu furatur eidem personæ magnam pecuniæ summam quæ sufficiat pluribus peccatis lethalibus committendis; nam in hoc casu non habentur diversi actus externe completi; et objecta ipsa materialia, quamvis distincta physice, in unum moraliter colliguntur, quia in una eademque re per unicum actum eandem personam lædunt; adeoque eorum multiplicitas est tantum circumstantia aggravans ratione quantitatis *(S. Alph.,* l. v, n. 48).

ciali affecti fuerunt. Quoad 2) duplex peccatum injustitiæ commisit, quia duplicem injuriam specie diversam equiti intulit, scilicet violando ejus personam et rem ad illum pertinentem. Quoad 3) unum peccatum saltem commisit sibi proponendo totam violare quadragesimam. Non desunt tamen Theologi qui dicunt, tale propositum 40 peccata includere. Aliud peccatum patravit propositum retractatum renovando. Tandem tot peccata commisit quot sunt dies quibus jejunium non servavit. *Gury.*

421. **Media ad peccatum.** Qui ad peccatum consummandum plura arripit media, sed peccatum postea non consummat, omnia media valde probabiliter debet explicare uti peccata distincta, etsi illa media per se non sint mala, uti scalam deferre ad furtum, parare arma ad homicidium, etc. Ratio quia quilibet actus distinctus nec positus sub eodem passionis impetu, ex se malus est, cum a mala intentione finis informetur. Non est tamen necessaria ut media indifferentia singillatim et materialiter indicentur; nihil enim refert ad mores, si tale vel tale medium in se indifferens fuerit præmissum, sed satis est dicere peccatum actibus externis attentatum esse. Si vero media mala fuerint in se, declaranda sunt omnia et speciatim si sint specie diversa, ut tactus turpes, verba obscœna, etc. ad peccandum adhibita (*S. Alph.,* l. IV, n. 13).

422. Qui uno actu violat plura præcepta condita diversis legibus super eadem materia, plura peccata committit si leges conditæ sint ob diversos fines formales: quod evenit, cum ipsæ trahunt actum ad aliam virtutem specialem. Secus negative, quia non haberentur malitiæ diversæ. Sic qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in quadragesimam, etsi duplex violat præceptum vigiliæ et quadragesimæ, non committit nisi unum peccatum; quia in utroque præcepto unica est ratio formalis et motivum proximum, nempe maceratio carnis: et ideo satis est, ut in Confessione se accuset de uno jejunio violato (1).

E contra qui furatur rem sacram reus est et furti et sacrilegii; quia furtum hujusmodi prohibetur jure naturali et civili intuitu justitiæ; divino vero et canonico religionis intuitu.

(1) Item qui committeret homicidium sub pœna etiam ab Episcopo prohibitum, unum peccatum committeret; quia tam Deus, quam Episcopus habuerunt prohibendo unum tantum motivum justitiæ. Item qui in statu laicali emisit simplex votum castitatis et postea subdiaconatum suscipiendo emittit votum etiam solemne, non committit duo peccata, si castitatem violet: nam illa vota unum habent religionis motivum; et ideo necesse non est in Confessione voti etiam privati violationem notare (*S. Alph.*, l. IV. nn. 4, 15: l. V. n. 33: et *Homo ap.*, tract. II, n. 32).

CAPUT QUARTUM

De peccatis Commissionis et Omissionis, Internis et Externis.

423. **Peccata commissionis et omissionis.** Peccatum commissionis est *transgressio præcepti negativi,* fitque agendo quod prohibetur a lege, v. g. furtum patrando. Peccatum vero omissionis est *transgressio præcepti positivi,* fitque deliberate omittendo quod a lege præcipitur, v. g. Missam die festo non audiendo. Cæterum etiam ad peccatum omissionis requiritur actus positivus voluntatis, ut notat Angelicus; voluntas enim non exercetur nec peccat nisi per actum *(S. Alph.,* l. v, n. 10).

424. Etsi peccata omissionis et commissionis proprie et formaliter inter se non differant specie (ut docet d. Thomas, 1, 2, q. 72, a. 6), quia ad idem ordinantur et ex eodem motivo procedunt; differunt tamen materialiter saltem secundum gravitatem; certe differunt diverso modo, uti est odium Dei et omissio actus amoris Dei; ideoque qui Deum odisset, peccatum suum sufficienter non declararet dicendo, se contra caritatem divinam peccasse *(D. Thomas,* 2, 2, q. 79, a. 4).

425. **Principia.** I. Si actus qui conjungitur omissioni culpabili concomitanter tantum se habet ad omissionem, nil de pravitate omissionis contrahit, nisi aliunde sit malus; unde non est declarandus in Confessione. Sic qui firmiter statuit omittere Sacrum, si postea tempore Sacri studet, puta ne otiosus remaneat, satis est si declaret omissionem Sacri; studium enim in se malum non est.

II. Si actus est causa omissionis culpabilis, sed actus ille in se est bonus, solam malitiam contrahit omissionis; cum nulli alteri præcepto adversetur præter illud, cui opponitur omissio. Unde in Confessione sufficit omissionem declarare: ita qui Sacrum festo die causa studendi omiserit, satis est si dicat, se Missam sine sufficienti ratione omisisse.

III. Si actus qui est causa omissionis est ex objecto malus, tunc duplex in omissione pravitas: alia ipsius omissionis, alia causæ; et utraque aperienda est. Sic qui ad furandum Missam omisit, et furtum et omissionem Missæ tenetur confiteri.

IV. Peccatum omissionis incipit imputari illo puncto, quo advertenter ponitur illius causa, etsi omissio non sequatur, ut

recte docent cum Angelico (2, 2, q. 79, a 5); quia qui ponit causam omissionis, jam interpretative vult omissionem ipsam. Hinc qui vult jocare prævidens, se ideo esse Sacrum in festo omissurum, talis omissionis statim reus est, etsi postea Sacrum audiat.

Si tamen peccaminosa omissio reapse sequatur, aperienda erit in Confessione cum ipsa causa (si hæc suam habeat malitiam propriam); nam actus mali externati sunt de necessitate Confessionis. Si tamen ante effectum secutum retractetur voluntas, tunc est probabile non teneri confiteri effectum secutum (*S. Alph.*, l. IV, n. 149. Vide supra n. 42).

426. **Peccata interna et externa.** Peccata *interna* sunt quæ tantum corde patrantur; *externa* quæ etiam externo opere complentur. Essentialiter non differunt peccata interna ab externis quoad malitiam; nam peccatum externum totam suam imputabilitatem sumit ab interno, et est ipsius peccati interni complementum (v. n. 42) (1).

Ex his colligitur peccata interna, sive omnes pravos affectus esse completa peccata. Hinc Prov. XV: *Abominatio Domini cogitationes malæ*, si nempe assentimur (v. *Scavini*, l. I, n. 910).

427. Inter peccata interna distinguuntur *desiderium*, *gaudium* et *delectatio*, habita ratione diversi modi, quo quis peccat.

Desiderium respicit tempus futurum; et est actus voluntatis, quo quis deliberate cupit opus determinatum perficere: vel *absolute*, ut cum quis media suscipit ad illud perficiendum; vel *conditionate*, si nempe non proponit opus perficere: sed esset perfecturus, si posset, ut si quis diceret: *Si rem illam furari possem, furarer.*

Gaudium e contrario seu *complacentia* respicit tempus præteritum: est cum quis de malo opere patrato sibi blanditur, et illud quodammodo approbat. Huc revocatur displicentia, malum data occasione non fecisse, v. g. puellam non seduxisse.

Delectatio respicit tempus præsens: et tunc habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum peccati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus actu perficeret; quin tamen intendat illud reapse perficere. Ut si quis fingens se fornicari, in tali actu sibi præsentato delectetur,

(1) Peccatum, ait Angelicus (1, 2, q. 72, a. 7), dividitur per hæc tria, scilicet peccatum *cordis*, *oris* et *operis*; sed hæc tria pertinent ad unam perfectam peccati speciem, cum ab eodem motivo procedant. Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictam primo perturbatur in corde, secundo in verba contumeliosa prorumpit, tertio procedit ad facta injuriosa. Et idem est de quolibet alio peccato.

quin illum intendat peragere. Delectatio hæc dicitur *morosa,* non a temporis mora, cum etiam uno temporis puncto expleri possit et consummari; sed eo quod voluntas advertenter in ea immoratur *eam tenens et volvens libenter,* ut ait d. Augustinus.

428. **Desiderium operis mali.** Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ peccatum est, utpote prohibitum nono et decimo Decalogi præcepto: *Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Sane turpe est desiderare aliquid turpe et illicitum.

Malum autem desiderium est peccatum ejusdem speciei et malitiæ, cujus est opus ipsum, in quod desiderium fertur. Constat ex his Christi verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (Matth. v). Quodlibet enim desiderium in objectum suum tendit, et proinde est volitio specialis istius objecti, ideoque ejus specificam malitiam contrahit. Quare desiderium furandi rem gravem, erit peccatum grave furti: ideo in Confessione aperiendum.

Imo desiderium cum attingat objectum ut in se est cum suis circumstantiis, totam malitiam etiam illarum circumstantiarum contrahit. Hinc pœnitens qui desideravit carnaliter peccare cum Titia, explicare debet, an illa sit matrimonio, an castitate detenta, vel consanguinitate aut affinitate sibi ligata, etc. quia tales circumstantiæ novam malitiam addunt, si ipsi notæ erant.

429. Qui vult quidem objectum graviter malum, sed sub conditione, *si liceret,* si hæc conditio non aufert ab objecto malitiam, peccat graviter; quia est velle id quod in omni casu est malum grave. Hoc verificatur in rebus intrinsece malis, ut si dicas: *Peccarem si non esset infernus.* Idem docent de hisce conditionatis desideriis: *Si non esset peccatum, vellem blasphemare, pejerare, luxuriose vivere, ulcisci,* etc.; hæc enim in nulla hypothesi a peccato immunia esse possunt. Item est, si optares, ut mala quæ intrinsece mala sunt, non essent prohibita; quia malum est velle inverti ordinem et legem naturæ (1).

Si vero conditio auferret malitiam ab objecto, non peccaret saltem graviter, qui illud optat sub conditione, *si liceret.* Quod

(1) At satis probabiliter dicunt alii, quod cum voluntas desiderat aliquod objectum malum impossibile sub conditione, *si liceret,* revera non consentit efficaciter in illud; quando enim objectum optas, dicendo, *si liceret,* et scis nec esse nec posse esse licitum, non vere optas; sed tantum tuam propensionem ostendis; quod (ut dicunt) non videtur mortale *(S. Alph.,* l. v, n. 13).

accidere potest non solum in vetitis de jure positivo, ut si diceres: *Ederem carnes in quadragesima, nisi Ecclesia prohiberet;* sed etiam in vetitis de jure naturali, casu quo per conditionem excludi possit tota malitia, ut si dicas: *Si Deus permitteret, vellem rem illam Titii auferre.*

430. **Complacentia de re mala**. Gaudium (seu complacentia) de malo, malum est; cum includat illius approbationem. Omnis enim virtus exigit, ut non contemnatur; illam autem contemnunt qui de illius violatione gloriantur. Complacentia autem comprehendit totam malitiam objecti et omnes ejus species; cum secundum se tota in illud feratur. Unde qui sibi complacet de copula habita cum conjugata, de novo adulterium committit; quia tunc voluntas complectitur totum objectum pravum cum omnibus circumstantiis, nec ab illis præscindere potest. Item qui gaudet de copula sodomitica, committit sodomiam.

Qui vero se jactat de peccato patrato coram alio tripliciter ordinarie peccat: 1) Quia gloriatur de re mala — 2) Quia magnum præbet scandalum — 3) Quia de facili se complacet de peccato patrato; quæ omnia in Confessione explicanda sunt *(S. Alph.,* Ho. ap., *tr.* IX, *n.* 9).

431. **Delectatio de re mala**. Certum est delectationem deliberatam de objecto graviter malo esse peccatum mortale; quia graviter dedecet naturam rationalem: uti si quis in deliciis habeat, quod Deus graviter offendatur. Et quo gradu objectum illud est malum, eodem quoque gradu erit mala ejus morosa delectatio. Hinc illud Oseæ IX: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.*

432. An autem delectatio morosa induat etiam malitiam specificam circumstantiarum, ut desiderium et gaudium, negant valde probabiliter cum Lugo, et ideo si quis delectetur de copula cum muliere quam scit quidem esse nuptam, sed delectetur de ea non quia nupta, sed quia pulchra, non contrahit malitiam adulterii. Circumstantia enim adulterii tunc non intrat in delectationem, et idem dicit probabiliter Tamburini, si quis affectu venereo sine desiderio nuptam aspiciat. — Hoc tamen non obstante valde mihi placet id quod ait Holzman, nempe quod licet ratione delectationis non sit obligatio explicandi circumstantiam adulterii, est tamen in praxi explicanda ratione periculi proximi concupiscendi mulierem illam nuptam, in quod se voluntarie conjicit qui de ea delectatur. Qui porro se exponit deliberate peccandi periculo, jam peccat *(S. Alph.,* l. v, n. 45).

433. **Resolve.** 1) Delectatio de cogitatione vel de lectione rei graviter malæ, ita ut non opus malum, sed ipsa lectio vel cogitatio de opere sit per se objectum delectationis, potest esse vel bona si adsit justa causa, v. g. studii, consultationis, sed cum abominatione objecti; vel venialiter mala si fiat ex curiositate; et aliquando mortaliter mala, si adsit periculum proximi consensus *(S. Alph.,* l. v, n. 17) (1).

2) Non est peccatum si delectatio versetur circa modum male operandi, non circa ipsum opus malum. Sic sine peccato sæpe nos delectant fraudes, furta, lapsus hominis, v. g. ex equo, non secundum se; sed ipso tantum modo inspecto, quia artificiosus, industrius, inopinatus. Neque dixeris hominem ridentem de modo quo ebrius procedit vacillando, peccare. Hoc sensu *Dominus laudavit villicum iniquitatis;* Lucæ XVI.

3) Licitum est gaudere de malo proximi ob majus bonum illius vel innocentis, nempe si delector de proximi infirmitate et etiam morte, ut sic desistat a scandalis, ab Ecclesiæ persecutione, etc. Hoc tamen semper intelligitur quando malum quod evitatur, evidenter præponderat vel coæquat malum proximo optatum. Item videndum, ne quod putatur gaudium de bono effectu, sit potius gaudium de proximi malo; et ideo confessarius, si res postulaverit, mentem pœnitentis prudenter introspicere non negligat *(S. Alph.,* l. v, n. 21).

4) Licet delectari de effectu operis mali et de honesta utilitate inde proveniente; non enim gaudemus opus malum factum esse, sed supposito quod factum sit, gaudemus tantum de bono effectu inde secuto. Hoc sensu Ecclesia gaudet de Redemptione secuta ex Adæ peccato: *Oh felix culpa, quæ talem meruit Redemptorem!* Sed invigilandum ne gaudium boni effectus transeat in gaudium et approbationem mali operis seu peccati.

5) Non licet gaudere de opere objective malo ob bonum effectum inde secutum, quamvis illud non fuerit per accidens peccaminosum. Nam delectatio cadit in objectum per se malum: quod recta ratio dedecet. Hoc in dubium non videtur amplius revocandum post propositionem sub n. 15 damnatam ab Inno-

(1) Audiatur d. Thomas: *De fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata.... Cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea* (amoto tamen proximo periculo consensus). *Quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat* (vel lectionem instituit), *sicut cum vult de ea prædicare vel disputare,* etc. (1, 2, q. 71, a. 8).

centio XI: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato* (ideo inculpabiliter) *propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas* (S. Alph., *l.* v, *n.* 20) (1).

6) Non licet delectari de re, quæ actu est mala quia prohibita; sed tractu temporis erit bona, cessante prohibitione. Nam delectatio reddit objectum sibi præsens, et ideo actu mala est, cum actu desit conditio illud cohonestans. Sic nefas erit sponso, nondum celebrato matrimonio, delectari de ejusdem usu; nam matrimonium est tantum in spe, delectatio in re (2).

7) Licite quis potest actionem ponere, ex qua prævidet malas cogitationes aut pravos concupiscentiæ motus se esse passurum, si gravis adest causa et actio est honesta, ac secluso periculo consensus; quia utitur jure suo, et tentationes inde exurgentes non censentur voluntariæ. Si aliter esset, plures deberent suum officium relinquere, quod nimis grave est: hinc non peccant confessarii, chirurgi qui munus suum exercent, etsi ideo pravos patiantur motus, modo se præmuniant et caveant a consensu. Quod si nulla legitima adest causa, sed actio illa ex levitate tantum fieret, esset mortale illam ponere, si proximam contineret dispositionem ad turpes motus, indeque proximum consentiendi periculum; nam qui vult causam, vult etiam effectum (*S. Alph.,* Ho. ap., *tr.* III, *n.* 69; et infra dicenda *t.* I, *n.* 474; *t.* II, *n.* 683).

434. Si pœnitens dubitet, an pravis cogitationibus consenserit, sunt sequentes regulæ attendendæ:

1) Præsumendum est pœnitentem non consensisse, si agatur de eo, qui Deum timet et abhorret ab illis peccatis; in dubio enim res resolvitur ex communiter contingentibus. E contrario pœnitentes laxæ conscientiæ generatim peccata dubia declarare debent, quia ipsis præsumptio adversatur.

(1) Ex dictis resolve: non licet gaudere de Missa, de jejunio, de Officio præcepto ob inculpabilem oblivionem omissis in se spectatis; nam omissio est objective mala. At non est peccatum si quis delectatur, quia per illam omissionem non peccavit, vel si tantummodo delectetur de commodo inde secuto.

Item non licet delectari de ipsa pollutione in somnis habita si evenerit ex tactu vel turpi somno, quia tunc hæc fuisset objective mala; licet tamen delectari non de causa, sed de effectu secuto, nempe de exoneratione naturæ causata a pollutione (*S. Alph.*, l. v, nn. 20 et 27).

(2) « Aliud est, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam futuram cum sponsa, quando sibi erit uxor; quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subjungo (ait s. Alph., *Ho. ap.*, tr. III, n. 51), quod per hujusmodi desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus magnum subest periculum delectationis præsentis; ideoque debet confessarius omnino prohibere, ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur. »

Addunt tamen quod plerunque sponsi et vidui sunt in bona fide non putantes esse mortale delectari de objecto licito, uti est copula in matrimonio, et ideo confessarius prudenter tacebit de peccato mortali, nisi ideo videret sequi pollutionem.

2) Qui dubitat vigilans an dormiens, sui compos an non quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse nec consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare.

3) Si quis ubi primum reflectit ad pravas cogitationes aut motus, statim sentiat tristitiam, aversionem, prudenter præsumitur in dubio non consensisse; et ipsa pravæ cogitationis continuatio non est indicium consensus; diuturna esse potest et tentatio et resistentia.

4) Si adsit ætatis defectus, puta si septennium nondum sit completum, perfecta saltem advertentia et plenus consensus non præsumitur (*S. Alph.*, l. v, n. 63. *Scavini*, l. I, n. 912).

CAPUT QUINTUM

De Effectibus peccati actualis.

435. **Effectus mortalis peccati.** Præcipui sunt:

I. *Gravis offensa Dei;* peccator enim Dei voluntati contumaciter reluctans, si non verbis, facto dicit: *Non serviam* (Jer. II). Deumque suum conditorem, legislatorem, redemptorem, judicem et amicum contemnit. Et Angelicus docet mortale peccatum *habere quandam infinitatem malitiæ ex infinitate divinæ majestatis, quam offendit* (3 p., q. 2, a. 2).

II. *Jactura gratiæ sanctificantis;* quæ nobis tribuit, *ut filii Dei nominemur et simus.* Hinc Tridentinum: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti* (Sess. VI, c. 15).

III. *Fœdissima animæ macula.* De Jerusalem peccatrice dicitur: *Maculata es in inquitate tua* (Jer. II); et Tridentinum ait, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum* (sess. V, c. 2). Hæc macula (dicente Angelico, 1, 2, *q.* 86) importat quendam defectum animæ nitoris propter recessum a lumine rationis vel divinæ legis; et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati; sed postquam reddit ad illud (quod fit per gratiam), macula cessat.

IV. *Amissio meritorum,* quæ in statu gratiæ anima jam sibi comparaverat; legitur enim Ezech. XVIII de peccatore: *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Item inhabilitas ad nova merita acquirenda in ordine ad vitam æternam; nam *ubi deest caritas, nihil est quod prosit ad gloriam.*

V. *Angor spiritus* et *cordis perturbatio.* Habet Job LVII: *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

VI. *Pœnæ reatus:* id est obligatio subeundæ pœnæ; æquum

est enim, ut qui ordinem violavit, ab ordinis Auctore puniatur. Hæc pœna duplex est: una quæ solvitur in præsenti vita, uti sunt diversa morborum genera, ærumnæ, afflictiones; nam *miseros facit populos peccatum; ira mea super universum populum ejus, gladius foris et pestis, et fames intrinsecus* (Prov. XVIII et Ezech. XIV). Alia persolvenda in vita futura, vel temporanea in purgatorio, si peccatum fuerit deletum quoad culpam, non totaliter quoad pœnam; vel æterna in inferno, si peccatum non fuerit deletum quoad culpam (*D. Thomas,* 1, 2, q. 87).

Peccatum mortale inducere reatum pœnæ æternæ, de fide est contra Origenistas et Socinianos, quibus adhærent increduli, et nonnulli ex protestantibus (1). Sane in veteri lege habetur: *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper,* seu ut legitur in versione Alexandrina, *in contemptum æternum* (Daniel. XII). Et in nova lege Christus sic reprobos alloquitur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* Definitum est contra Origenistas in Constantinopolitano II *(Scavini,* l. I, n. 913) (2).

436. An vero unum peccatum possit esse pœna alterius, negandum per se; cum peccatum a libera hominis voluntate proficiscatur. Poterit tamen esse per accidens, quatenus Deus in illius pœnam auxilia

(1) Nulla gens est quæ infernum non admittat; pagana antiquitas, græca et latina, omnes philosophi, nationes omnes barbaræ de ejus existentia nunquam dubitarunt, neque illi qui corrupti corde, et passionibus obcæcati infernum fabulam prædicant. De hoc nemo vere convinci potuit; neque Rousseau qui loquens de inferni controversia aibat: *Quantum ad me est, nil audeo, quia nil scio.* Neque Diderot qui quærebat animæ suæ: *Securane es quod infernus non sit?* Neque Voltaire, cuidam enim qui gloriabatur se tandem certo invenisse quod infernus non existit, respondebat: *Ego procul nimis sum ab hoc invento.* Neque Bayle, qui ajebat, illos tantum infernum irridere qui omnibus turpitudinibus inquinantur et ad omnia flagitia parati sunt; cum timor pœnarum turbet eorum conscientiam, quærunt illas negare, dicentes in corde suo: *non est infernus* (Scavini, l. I, n. 913: et Opuscul. *L'inferno è domma o favola?* Torino).

(2) De fide non est quod in inferno (et in purgatorio) sit verus, materialis et corporeus ignis qui cruciet animas; attamen communis et certa sententia ipsi Ecclesiæ sensui consentanea id tuetur; neque hoc repugnat: nonne animæ actionem materiæ subeunt quandiu corpus informant? Igitur quando a corpore sunt separatæ patiuntur ab igne corporeo per modum allegationis cujusdam (prout docet Angelicus): seu ignis corporeus in quantum est instrumentum divinæ justitiæ habet ut ipsum spiritum retineat alligatum ac cruciet. Igitur in inferno:

Est ignis torrens, vermis rodens, Deus absens.

Neque repugnat quod adeo gravi atque æterna pœna mulctetur ille qui uno instanti forsan deliquit. Id vel ipso hæretico Leibnitio adeo justum visum fuit, ut scripserit: *Quotiescunque anima a corpore discedens in actu est peccati mortalis, adeoque male affecta erga Deum, sponte quadam sua (quemadmodum pondus semel abruptum, neque ab externa causa denuo retentum atque exceptum) in exitii baratrum delabitur, atque a Deo abalienata sibi ipsi damnationem irrogat.*

subtrahit, quibus homo destitutus in peccata alia voluntarie labitur. Hinc in pœnam superbiæ gentiles *tradidit Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* (Rom. I). D. Thomas, 1, 2, q. 87, a. 2.

437. An autem unus pro alio puniri possit, distingue pœnam a pœna, multipliciter enim hæc accipitur: 1) Pro *pœna vindictæ,* seu vindicativa, et est sensus molestus inflictus in vindictam peccati. Hæc est proprie dicta pœna, quæ non infligitur nisi propter peccatum proprium juxta illud: *Filius non portabit iniquitatem patris* (Ezech. XVIII).

2) Pro *pœna satisfactoria,* et est sensus molestus toleratus ad compensandam injuriam læso illatam; et ita se liberando a molestiis gravioribus.

3) Pro *pœna medicinali:* est sensus molestus toleratus ad medelam contra futura peccata, uti esset, v. g. jejunium ad propulsandos stimulos libidinis.

4) Pro *pœnalitate:* pœnalitates autem sunt mala afflictiva tolerata absque peccato; sic vocantur, quia habent similitudinem, sed non veritatem pœnæ, cum non supponant aliquod peccatum in patiente. Ita miseriæ quas B. Virgo, Job aliique sine peccato sustinuere, fuerunt pœnalitates respectu ipsorum. Sic etiam de cæco-nato hoc sensu dicebat Jesus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*, ut cæcus nasceretur (Joann. IX). Hoc sensu accipitur illud Exodi XX: *Ego sum Dominus... visitans iniquitatem patrum in filios.*

438. **Effectus peccati venialis.** Peccatum veniale:

I. *Deum offendit:* quo sensu veniale est pejus omnibus mundi malis collectim sumptis; imo ipso inferno, prout infernus est mera pœna. Nam hæc omnia sunt mala creaturæ: peccatum vero veniale malum Dei est, quatenus ipsum offendit, etsi gratiam non extinguat.

II. *Minuit animæ decus et caritatis fervorem.* Sit levis nebula, at quælibet nebula aliquantisper lucem impedit.

III. *Minuit timorem Dei* ex una parte, ex altera auget *animi teporem.* Homo etenim juxta viam, quam semel elegit, facile progreditur.

IV. *Impedit gratias speciales,* nosque reddit indignos peculiari Dei affectu juxta illud: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Matth. VII).

V. *Inducit reatum pœnæ* temporalis subeundæ in hac vita per tribulationes; vel in altera, ubi purgabit Dominus spiritu ardoris sordes electorum suorum (S. Alph., *Op. dogm.).*

VI. *Disponit ad mortale,* præsertim si ex habitu committatur in eadem materia: scriptum est enim Eccl. XIX: *Qui spernit modica, paullatim decidet.* Ex hoc enim, ait Angelicus (1, 2, q. 88, a. 3), quod si quis consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eli-

gendo id quod est mortale; horrorem nempe ad mortale sensim sine sensu amittens.

Ideo periculose negliguntur venialia, maxime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem, uti sunt religiosi et ecclesiastici. Ac propterea confessarius non satisfaceret muneri suo, si pœnitentem etiam a venialibus non removeat, quæ maxime plena cum advertentia habitualiter committuntur.

Casus. Lucius contendit pœnæ æternitatem rectæ rationi repugnare; nulla sane proportio quod æternaliter puniatur unum lethale peccatum quod plerunque committitur unico instanti. Quod si revera velit Deus in æternum irasci, et peccatores in altera vita omni suo beneficio expoliare, deberet etiam illos existentia privare eos annichilando, cum *esse* sit primum ac fundamentum omnium bonorum.

R. Etsi peccatum actuale duret brevi, habituale tamen seu impœnitentia post mortem durat in æternum. Quare juste potest Deus exigere æternam pœnam: cum enim æterne in anima damnatorum perseveret, æterne puniendum est. Addunt peccatum mortale habere quandam infinitatem malitiæ ex parte infinitæ personæ quæ offenditur, cum a læso sit mensuranda culpa juxta axioma: *Honor est in honorante, injuria in injuriato;* ergo infinite puniendum est saltem (si aliter non possit) extensive, nempe quoad ipsam durationem. Justitia autem Dei convenientius peccatores in *esse* conservat, ut scite more suo docet d. Thomas; tum quia voluntas est quæ culpabiliter contra Deum agit, non autem natura, et ideo talis esse debet pœna quæ voluntatem affligat: si autem creatura omnino ad nihilum redigeretur, esset tantum nocumentum naturæ et non afflictio voluntatis. Tum quia in peccato duo sunt: 1) Aversio ab incommutabili bono, nempe a Deo. 2) Conversio ad bonum commutabile, nempe ad creaturas. Porro si aversioni a Deo pœna damni respondet, conversioni ad creaturas respondere debet pœna sensus. At si ad nihilum creatura redigeretur, esset quidem pœna damni æterna, sed non remaneret æterna pœna sensus *(De conserv. rerum,* q. 5, a. 4). Hinc illud Eccl. III: Omnia opera quæ fecit Deus *perseverant in æternum;* mutabuntur, dissolventur, sed quoad *esse* perseverabunt (1).

(1) V. Card. Menning, *Il peccato e le sue conseguenze;* Novara, 1879.

DISPUTATIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE SEU VITIIS CAPITALIBUS.

439. **Vitia capitalia**: septem enumerantur cum Angelico: *Superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia* et *acedia.* Dicuntur *capitalia,* non quia sint cæterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia sunt aliorum causa et fons (1, 2, *q.* 84, *a.* 3).

Duo dicuntur *carnalia,* nempe *gula* quæ perficitur in delectatione ciborum, et *luxuria* quæ perficitur in delectatione venereorum; cætera *spiritualia,* cum perficiantur in delectatione spirituali. Carnalia sunt *minoris culpæ,* quia non important directam aversionem a fine; sed *majoris infamiæ* ob majorem indecentiam ex parte peccantis *(D. Thomas,* 1, 2, q. 72, a. 2; et q. 73, a. 4).

CAPUT PRIMUM

De Superbia, Avaritia ac Luxuria.

440. **Superbia**. Definitur *amor inordinatus propriæ excellentiæ; superbus,* ait S. Isidorus apud d. Thomam, *dictus est, quia super vult videri quam est* (2, 2, q. 162) (1).

Superbia alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* committitur: 1) Quando quis ideo recusat Deo propriam dependentiam etiam in re minima. 2) Quando quis putat bona quæ habet, vel a se habere, vel a Deo meritis propriis fuisse debita. 3) Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia; seu in amore proprio qui est regula omnium actionum, ex quo omnia

(1) *Inordinatus;* nam appetitus gloriæ per se pravus non est, cum dicat Dominus: *luceat lux vestra coram hominibus* (Matth. VI). Imo ex Angelico neque inordinatus per se mortalis est; at periculosus, quia disponit ad gravia peccata, *in quantum per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, et nimis de se ipso confidens* (2, 2, q. 132, a. 3).

mala; unde Sapiens: *Initium omnis peccati est superbia* (d. Thomas, 1, 2, q. 84, a. 3; et 2, 2, q. 162, a. 7). Ex quo patet superbiam perfectam semper esse mortalem; cum semper adversetur graviter Dei caritati et honori. — Quo sensu ex Apostolo superbi *digni sunt morte* (Rom. I).

Imperfecta vero committitur, quando quis *vel* plus æquo se extollit, *vel* de propria excellentia nimis sibi placet. Hæc non est nisi venialis; quia non est graviter inordinata, neque graviter repugnat caritati (*S. Alph.*, l. v, n. 66).

Filiæ superbiæ sunt: 1) *Præsumptio*, inordinata cupiditas aliquid faciendi ultra proprias vires. 2) *Ambitio*, inordinata cupiditas honoris, potentiæ et dignitatis. 3) *Vanagloria*, inordinata cupiditas humanæ existimationis. Per hanc directe et indirecte peccatur: *directe* per jactantiam in verbis, per inventionem novitatum in factis veris, per hypocrisim in factis falsis. *Indirecte* per pertinaciam in intellectu, per discordiam in voluntate, per contentionem in verbis, per inobedientiam in factis. Tribus autem superbiæ filiabus opponitur pusillanimitas (*D. Thomas*, 2, 2, q. 131, 132, 133).

Remedia: præcipua sunt considerationes propriæ infirmitatis, vanitatis gloriæ humanæ et humilitatis Christi, et minarum in superbos (*Scavini*, l. I, n. 917).

441. **Avaritia.** Est *inordinatus amor divitiarum.* Vitium hoc est aliis periculosius, tum quia alia vitia in senectute vires amittunt, sed avaritia magis crescit; tum quia alia vitia satisfacta facilius sedantur, non tamen avaritia. Si quis, ait Angelicus (2, 2, *q.* 118, *a.* 4), propter divitias non velit aliquid facere nec contra Deum nec contra proximum, ejus avaritia erit venialis (*S. Alph.*, l. v, n. 69; *Scavini*, l. I, n. 758).

Filiæ avaritiæ sunt cordis durities, inquieta animi sollecitudo, fraus, proditio, fallacia, perfidia, violentia (1).

Remedia sunt considerationes vanitatis rerum terrenarum, turpitudinis, et infelicitatis hujus vitii; item eleemosynæ elargitio.

Avaritiæ opponitur *prodigalitas*, quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi (2). Est ex genere suo venialis, levior quam avaritia; tum quia minus exulat a virtute libera-

(1) *Fallacia* est dolus in verbis; *fraus* dolus in facto; *proditio* est deceptio contra fidem debitam, quæ contingit vel circa personas vel circa res, vel circa secretum (*S. Alph.*, l. v, n. 69).

(2) D. Thomas, 2, 2, q. 119, a. 2. *Prodigalitas quandoque ex avaritia nascitur, ut sicut cum aliquis prodige multa consummit intentione captandi favorem aliquorum a quibus divitias accipiat.*

litatis; tum quia prodigus est multis utilis, avarus autem nulli; tum quia prodigalitas est facile sanabilis, non ita avaritia (*d. Thomas*, 2, 2, q. 119, a. 3). Potest autem prodigus aliquando mortaliter peccare, si nempe gravia sequantur mala, ut si ideo impotentem se reddat ad debita solvenda, si suorum pauperiem creet, etc. (*S. Alph.*, l. v, n. 68).

442. **Luxuria.** Ante omnia juvat referre verba s. Alphonsi: « Oro... studiosos qui ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc Tractatum quemadmodum et alium de debito conjugali, legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ se commendent, ne dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur (*Op. mor.*, l. III, n. 413). »

443. **Definitio et natura.** Luxuria definitur: *Inordinatus appetitus rei venereæ.* Vel est directe quæsita, vel indirecte: prior habetur quando voluptas carnalis præcise in se intenditur; posterior vero quando aliud intenditur, ex quo tamen voluptas carnalis potest suboriri, uti ex lectione libri minus casti.

444. **Principia.** I. Luxuria *directe* voluntaria cujusvis generis vel speciei est per se grave peccatum; nam Apostolus (Gal. v) luxuriosos a regno Dei excludit. Et sane illa gravissime pugnat contra naturam; usus enim rei venereæ ex natura sua institutus est et necessarius ad solam propagationem generis humani, cujus conservatio exigit societatem propagantium educatricem. Non potest igitur usurpari extra matrimonium (et in matrimonio nonnisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione.

II. Luxuria *directe* volita parvitatem ex parte objecti seu materiæ non admittit, semper enim naturam rationalem graviter offendit quævis positiva immunditia. Quod quidem demonstrat raro ignorantiam invincibilem hisce in turpitudinibus admittendam esse; et vix vel ne vix quidem, si agatur de externo peccato. Attamen admitti potest parvitas ex parte subjecti; si nempe in illo adsit imperfectus consensus (*S. Alph.*, l. III, n. 415; *Scavini*, l. I, n. 918).

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiæ, quia nullus tunc est directus consensus seu directa intentio in voluptatem veneream: sed tantum in causa, quæ leviter vel graviter erit peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit. Ratio est; cum luxuria non sit volita nisi in causa, eo gradu mala erit, quo mala est ipsa causa (*S. Alph.*, l. III, n. 384) (1).

(1) *Divisio.* Luxuria alia est *imperfecta* seu non consummata, in qua nempe non intervenit humani seminis effusio, et sistit in delectationibus carnalibus, in osculis, amplexibus, tactibus, aspectibus, turpiloquiis, comœdiis, saltationibus, etc. Alia vero est *perfecta* seu consummata, quæ consistit in voluntaria humani seminis effusione.

Perfecta autem alia est *naturalis*, si nempe serventur conditiones quas natura requirit ad hominis generationem, unde est conjunctio viri et fœminæ modo generationis apto, sed extra conjugium. *Non naturalis*, seu contra naturam in qua tales conditiones non servantur.

Species luxuriæ perfectæ et naturalis sunt: 1) *Fornicatio*, ad quam reducitur *meretricium* et *concubinatus*; 2) *Stuprum*; 3) *Raptus*; 4) *Adulterium*; 5) *Incestus*; 6) *Sacrilegium*. Quinque species posteriores specialem continent malitiam

Art. 1. — De peccatis Luxuriæ non consummatis, id est de Delectatione, Osculis, Amplexibus, Aspectibus, Picturis, Verbis turpibus, Theatris et Choreis.

445. **Delectatio venerea.** Est delectatio orta ex commotione membrorum seu partium generationi inservientium. In venerea seu carnali delectatione extra conjugium non datur parvitas materiæ; talis enim delectatio cum advertentia et deliberatione capta est quædam semper inchoata pollutio, seu motus ad ipsam; ideo semper grave peccatum. Hinc Alexander VII damnavit propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Hinc fortiter improbandus qui sic delectando manum mulieris attrectat, digitos contorquet, premit, etc.

446. E contrario *delectatio sensibilis* seu naturalis per se mala non est; hæc enim oritur ex conformitate rei sensibilis cum organo sensus nostri. Talis est delectatio visus ex re pulchra, auditus ex musica, gustus ex sapore, odoratus ex flore. At recte monet Billuart: quoad certas personas a delectatione sensibili ad sensualem facilis est progressus, ut maxime evenire solet in sensu tactus et visus si habeatur ab adultis diversi sexus, et fiat cum mora in id insistendo. Ideo caute invigilandum (*S. Alph.,* l. III, n. 416).

447. **Oscula, amplexus, tactus.** De illis quæ fiunt extra conjugium et in ipsis partibus honestis.

Principia. I. Si hæc fiant ex intentione delectationis venereæ certe mortalia sunt. Quod si fiant præcise ob solam delectationem naturalem et pure sensitivam, etsi sistendo ibi, vacent a culpa mortali, in praxi qui talia agunt cum mora haud facile a mortali excusantur; est enim se exponere proximo periculo in delectationem carnalem labendi ob naturæ corruptæ infirmitatem.

II. Si hæc fiant tantum vel ex patriæ consuetudine, vel causa officii aut benevolentiæ, vel alia intentione non mala, non erunt peccata etsi suboriatur aliqua sensibilis delectatio, modo nullum sit periculum delectationis venereæ; tunc enim ex nulla parte illicita haberi possunt (quoad sponsos vide dicenda *de matrimonio* t. II, n. 938).

III. Si fiant ex quadam levitate, joco, curiositate vel petulantia, cum supponantur in se honesta, et tantum deficiant in modo, per se non erunt nisi venialia; si tamen absit consentiendi periculum, nec scandalo sint, uti essent scandalo, si hæc fierent ab ecclesiasticis.

luxuriæ superadditam; cum deformitatem includant specie diversam, quæ ideo in Confessione distincte aperienda est.

Species luxuriæ perfectæ contra naturam sunt: 1) *Pollutio* seu *mollities;* 2) *Sodomia;* 3) *Bestialitas;* 4) *Onanismus* (de quo erit *de matrim.*). Singulæ species invicem differunt natura sua; quia specialem includunt deformitatem. Unde Alexander VII damnavit propositionem: *Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione: se procurasse pollutionem.* Quæ omnia detestatur Apostolus, Rom. I, et immunditiam vocat (Vide d. Thomam, 2, 2, q. 154).

Si vero hæc crebro contingant, cum mora atque ardore, uti cum os ad os fiant quasi gustatis labiis vel lingua introducta, præsertim inter personas diversi sexus, erunt grave peccatum; quia tunc valde ad libidinem solent excitare *(S. Alph.,* l. III, n. 416).

448. **Tactus inhonesti.** Sive proprii sive alieni corporis:

Principia. 1) Quoad *proprium corpus,* si tactus in parte pudenda fiat ex fine honesto, v. g. ad abstergendas sordes, nullum erit peccatum etsi venerea suboriatur tentatio, modo eam voluntas adversetur; causa enim honesta est, periculum vero remotum, nulloque modo volitum. Quod si tactus procedat ex levitate vel joco, erit venialis, si obiter fiat, non repetitis vicibus, et absque periculo consensus venerei; non enim tunc adest, nisi aliqualis turpitudo. Mortalis vero erit tactus, si fiat studiose, morose et cum proximo turpis concupiscentiæ periculo.

2) Quoad *corpus alienum* regulariter a mortali excusari nequit qui absque necessitate tangit partes pudendas alterius, vel partes admodum vicinas, etiamsi persona illa sit ejusdem sexus, et tactus fiat super vestes. Quia talis actio, quamvis poneretur ex animi levitate, natura sua ad venerem excitat, et honestati valde adversatur. Hinc graviter increpanda mater, quæ filios omnino nudos una simul vel cum filiabus in lectulo collocat, cum tanto periculo pudoris ac verecundiæ. Et maxime si masculos jam grandiusculos una cum ipsa dormire permittat. Dixi *regulariter;* quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes ex levitate et joco, absque ulla delectationis venereæ intentione, a mortali poterunt excusari; cum in hoc casu non videantur in eandem (saltem graviter) ex se influere (1).

3) Qui permittit se ab alio turpiter tangi, si tactus sunt graviter impudici peccat dupliciter et mortaliter: tum quia consentit peccato alterius; tum quia se exponit periculo turpis affectionis. Peccat pariter lethaliter qui voluntarie admittit oscula, amplexus, si hæc fiant affectu libidinoso *(S. Alph.,* l. III, n. 420).

449. **Aspectus inhonesti.** Partes inhonestæ, seu turpes et obscœnæ sunt partes genitales iisque proximæ.

Principia: 1) Aspicere partes inhonestas proprii corporis, si fiat ex levitate aut curiositate, veniale non excedit, quando secluso affectu venereo obiter contingit; quia tunc non est incentivus libidinis.

2) Si aspectus partium inhonestarum refertur ad personas ejusdem sexus, non est per se mortale; quia nec videtur graviter honestati adversari, nec adeo ad luxuriam inclinare. Hinc excusantur per se a mortali personæ ejusdem sexus quæ se nudas leviter aspiciunt si-

(1) Hinc vix mortalis reatus invenitur in puellis invicem se tangentes in mamillis, etiamsi ubera nuda tangant simul et ostendant; agitur enim generatim de quadam levitate vel curiositate absque ullo venereo affectu. Idem dic de ancillis et nutricibus, quæ dum induunt vel spoliant infantes aut puerulos, partes eorum pudendas aspiciunt vel tangunt ex levitate, hæc enim ordinarie non est conjunctum cum gravi carnis commotione. Attamen istæ graviter sunt increpandæ, quia si id in more habent, turpem habitum se tangendi de facili vel ipsi pueri contrahunt, qui inde non raro in profundum veniunt, cum adolescunt *(S. Alph.,* l. III, n. 420).

Genitalia brutorum tangere (etiam ex sola curiositate, vel levitate) usque ad effusionem seminis belluini, probabilius est mortale cum hoc vehementer ad libidinem excitet; per se tamen tangere, molliter tractare genitalia bruti non est nisi veniale. Conjungentes vero equos, tauros, etc., ad procreandam prolem, non peccant, etsi motus libidinis exurgat, modo ei non consentiant: cum sit res necessitatis, vel utilitatis. Olfacere ex curiositate menstruum, semen et cætera fœda, videtur inordinatio gravis vel levis juxta periculum *(S. Alph.,* l. III, n. 420).

mul natantes aut se lavantes, præsertim si impuberes. Sed si aspiciens sit ad turpia valde inclinatus, tunc illi periculum esset proximum. Item est si pulcher adolescens aspiciatur nudus; vel si aspectus sit nimis diuturnus: neque enim in hac naturæ corruptione diu talis esse potest, quin concupiscentia stimulos acuat suos (1).

3) Si aspectus voluntarius partium inhonestarum refertur ad personam diversi sexus, vel ad humanum concubitum, erit mortalis (nisi visio contingeret e loco valde longinquo, et tempore brevissimo et absque turpi affectu). Talis enim visio ad luxuriam vehementer inducit, et maximam turpitudinem includit *(S. Alph.,* l. III, n. 421).

450. Quoad aspectus vero partium honestarum personæ pulchræ diversi sexus, dicimus cum d. Thoma, diuturnum mulieris pulchræ aspectum in eo, qui inordinato amore erga eam feratur, esse peccatum grave ob grave, cui se exponit, libidinosæ delectationis periculum; idem est de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta. Si vero aspectus contingat ex simplici urbanitate, vel ex causa alia honesta, non erit peccatum: vel veniale, si aspectus sit diuturnus aut ex curiositate, ratione aliqualis periculi *(S. Alph.,* l. III, n. 422).

451. Aspicere autem vel tangere partes minus honestas proprii corporis, nempe pectus, brachia, crura, etc. per se (maxime in viris) non est peccatum: quod si fiat ex levitate, veniale non excedit. Item est si aspiciantur partes minus honestæ corporis alieni etiam mulieris, si aspectus non sit diuturnus, neque aspiciens ad venerem valde proclivis; tunc grave periculum non adest pravæ delectationis. Quod currit etiam de tactu, qui ex joco vel levitate fiat; non tamen de osculo, quod non potest supponi fieri sine ullo affectu libidinoso in partes non ita honestas *(S. Alph.,* l. III, n. 423) (2).

452. **Picturæ obscœnæ.** Qui aspicit picturas obscœnas per se et speculative loquendo, non peccat, si nulla sit delectatio turpis, neque proximum ejusdem periculum; quia revera artificialia minus movent, quam naturalia. In praxi tamen putamus difficulter a mortali posse excusari virum, qui partes inhonestas mulieris depictæ morose aspiceret; difficulter enim iste liberare se poterit a turpi delectatione, vel saltem a proximo ejusdem periculo; nisi aspiceret per tempus brevissimum vel in magna loci distantia, vel si aspectus fiant ex levitate, vel ex curiositate; aut si picturæ infantes tantum repræsentent *(S. Alph.,* l. III, n. 424).

453. Quod vero pertinet ad illos qui pingunt vel exponunt publice imagines obscœnas, scilicet detectis verendis vel tenui velo obductis, isti peccant gravi scandalo, cum picturæ istæ præsertim adolescentes valde ad libidinem provocent. Quod etiam valet de iis, qui eas domi retinent omnium aspectui expositas; cum sibi et aliis pravam præbeant occasionem. Moneantur parentes ut filios ac filias prohibeant ab hodiernis pinacothecis, ubi tanta licentia reperitur.

(1) In aliquibus collegiis natationes et balnea sunt in usu, etiam in præcepto. Quanta hac de re cura, vigilantia et sagacitate necesse est in educatoribus! Item est de gymnastico exercitio quoad puellas; quod quidem illarum conditionem et modestiam non ita decet.

(2) Cæterum fortiter est increpanda illorum juvenum procacia, qui manus ex proposito immittunt in sinum mulieris; affectus enim libidinosus si non antecedit, certe sequitur ex tali tactu, uti experientia docet. Adde vel ipsam quæ tangitur, non raro sic exponi pollutionis, vel libidinosæ delectationis periculo.

Ait Goritia: tactus uberum, fœminæ præsertim jam puberis, sunt mortales cum sunt pressi et morosi; veniales vero, si fiant a viris obiter, superficialiter sineque affectu libidinoso.

454. **Turpia verba.** Mortale est turpia verba proferre, si ea sint nimis lasciva, uti si nominentur pudenda alterius sexus, aut modus copulandi, maxime si fiat cum aliorum scandalo, quod adest ut plurimum, cum dicuntur coram puellis aut pueris, vel si sint cum periculo malæ delectationis in se ipso. Unde Apostolus I Corinth. II: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Si tamen proferantur ex joco aut ex ira inter personas, in quibus levis carnis commotio excitari soleat, non sunt nisi venialia (dempto semper aliorum scandalo); cum periculum sit valde remotum: ut si ista nominentur inter conjugatos qui venereis assueti parum ordinarie moventur (1).

Hic etiam notandum dicteria, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, etc., remoto scandalo, de se non esse mortalia; quia ea proferentes et audientes parum commoventur *(S. Alph.,* l. III, n. 426).

455. Quod dicitur de obscœna verba proferente, idem generatim dicendum de ea ex proposito *audiente.* Cæterum hac in re notamus:

1. Qui audiunt obscœna, si auctoritatem habent in proferentes, eos sub gravi cohibere debent quantum moraliter possunt. Si non habent, eos admonere tenentur: aut ad minus tacere, nec consentire.

2) Non subito pronuntiandum est eos omnes, qui audientes turpiloquia parum rident, mortaliter peccare; fieri enim potest, ut de modo dicendi potiusquam de rebus ipsis rideant. Ideo in hoc casu mortaliter non peccant, nisi grave præbeant scandalum, ut facile præberent religiosi et clerici.

3) Quod de verbis turpibus diximus, pari ratione dicendum est de cantilenis. Carmina valde turpia componere, cantare vel libenter audire est mortale: item mortale est, si grave detur scandalum, v. g. si clericus carmina etiam æquivoca conficiat, aut coram aliis, præsertim sæcularibus, ea cantet aut approbet *(Scavini,* l, I, n. 924).

456. **Fare all' amore.** Juvenes qui ad invicem amorem fovent, generatim loquendo non omnes sunt indistincte de gravi culpa damnandi; sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet, nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu. Hinc cardinalis Picus de Mirandula, episcopus, suos monuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si ter ab aliis jam admoniti, ab hujusmodi amore non abstinuissent, præsertim tempore nocturno aut diu aut clam intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscœna *(S. Alph.,* Praxis Conf., *n.* 65).

457. **Theatra.** Licet de se mala non sint, sed indifferentia cum bene et male haberi possint, ordinarie tamen loquendo (hodie maxime) negari non potest ea esse plena periculi. Nam et luxum fovent et animam enervant et passionem nimium acuunt. *Ex quadringentis celebrioribus tragœdiis* (ajebat ipse Voltaire) *vix decem inveniuntur quæ in tricis amatoriis minime fundentur.* Imo, quod non raro lu-

(1) Videant tamen conjugati, ne aliis gravi scandalo sint: « Rarum non est (ait *Stapf),* ut homines omni spurcitia repleti corruptionis suæ initium a propriis parentibus repetant, quippe quorum pudendæ conversationis testes fuerunt. Omnem fidem superat quæ sit circa hanc materiam ætatis adhuc teneræ sagacitas; hinc summopere dolendum est ubi parentes proles suas sui jam quodammodo compotes vel in suo secum cubili tenent, vel coram ipsis inhoneste jocantur, etc. Hujusmodi impressiones tenello animo infixæ hærent, et serius vel citius in fœdissima ulcera prorumpunt. »

gendum est, Religionem, ritus catholicos et ministros irrident, non sine maximo animarum scandalo ac ruina (v. *La Civ. catt.* 7 sept. 1872 et 24 ejusdem mensis) (1).

Principia: I. Ad meritum quæstionis veniendo, dicimus cum d. Thoma (2, 2, q. 168, a. 3): nullum esse peccatum sive comœdiis interesse sive eas agere, si honestæ sint. Si vero comœdiæ sint aliquantisper turpes, eas audiens peccabit tantum venialiter, nisi jam expertus sit suam fragilitatem; nam pro modo periculi peccatum est. Si tandem comœdiæ sint notabiliter turpes vel in re vel in modo, mortaliter peccant interessentes ideo ut delectentur: cum talis delectatio nata sit ad venerem excitandam.

II. Quoad illos qui ob solam curiositatem vel solatium intersunt, secluso periculo pravæ delectationis, licet forsan excusari valeant a mortali, si sint simplices spectatores; non excusantur tamen: 1) Adolescentes, et alii parum timoratæ conscientiæ, in quibus de facili semper adest delectatio turpis, vel saltem illius periculum — 2) Ecclesiastici omnes et religiosi, quos merito docet Benedictus XIV non posse iis comœdiis interesse absque scandalo gravi. Dixi: *Si sint simplices spectatores;* nam semper mortaliter peccaret qui positive ad comœdias notabiliter turpes concurrunt, quamvis sine ipsis comœdia adhuc fieret; etenim positive concurrunt ad opus graviter malum. A fortiori peccant qui comœdias notabiliter turpes impedire tenentur et possunt, neque impediunt. A fortiori qui illas componunt, vel repræsentant. Neque obstat quod repræsentationes ordinentur ad subveniendum pauperibus, hospitali, etc.; non ideo pravitas aufertur. Neque liberantur eo quod scandalum non intendant, sed lucrum: opus enim de se illud satis intendit. Neque amissio magni lucri excusat, nam bonum corporis non valet bonum animæ.

III. Ab omni peccato excusantur: *Milites,* qui interesse tenentur ad invigilandum. *Famuli,* qui dominorum; *filii,* qui parentum; *uxores,* quæ virorum indignationem paterentur gravem, si renuerent. Justa enim extante causa, periculosa actio poni potest; salutaribus tamen præsidiis peccandi periculnm avertendo, oculos claudendo, de alio cogitando, jaculatoriis se muniendo, novissima memorando, etc. (*S. Alph.,* l. III, n. 429; *Scavini,* l. IV, n. 39; Berardi, *De occasionariis,* ubi plura).

458. **Choreæ.** Choreæ secundum se et ex natura sua, uti observat Salesius, si nempe fiant neque fine malo, neque cum periculo seipsum vel alios ad libidinem excitandi, neque cum aliqua mala circumstantia conjungantur, non sunt malæ nec actus libidinis; sed potius signa lætitiæ. Et non raro, ex Gury, inveniuntur mulieres et puellæ, quæ ut ex eorum confessione apertum est, vel minime peccant, vel nullum aliud peccatum admittunt (maxime si choreæ habeantur inter cognatos et amicos, piis parentibus adstantibus), nisi aliquos superbiæ motus. Hinc legitur II Regum VI, David quoque regem *saltasse viribus totis,* coram Domino tamen (*S. Alph.,* l. III, n. 427).

Verum in praxi *quoad possunt,* sunt dissuadendæ; quia, ut plurimum, fieri solent inter juvenes diversi sexus, intercedente collo-

(1) Quoad potest etiam scenici ludi, qui inter ipsos agricolas fiunt ad religionis cultum tuendum, prohibendi sunt, uti est scenica dominicæ passionis repræsentatio; id enim ordinarie vergit in augustissimi mysterii profanationem; et non raro fit locus ebrietatibus, rixis, morumque corruptelis. Et ideo etiam cautelis adhibitis id non permittendum sine Episcopi licentia, prout in Diœcesi Novariensi (*Scavini,* l. I, n. 925).

quio familiari, blanda manuum attrectatione, procaci nuditate, cæterisque, quæ concupiscentiæ motus solent excitare, ut luctuosa docet experientia. *Quoad possunt:* hic enim vitanda sunt extrema; si enim alicubi jam sunt in usu choreæ ne directe contra illas parochus in prædicatione declamet omnes indiscriminatim de mortali damnando: id enim non aliter inserviet nisi ad multiplicanda peccata. Ideo potius contra peccata quæ de facili tunc committuntur directe invehat, verbis tamen castis et pudicas aures non offendentibus; et precibus ac suasione fideles suos a tali periculo avertere satagat; vel si interesse debeant utpote subjecti, eis monita præbeant ut animæ periculum vitent, v. g. corde orent, mortem meditentur, etc.

Resolve. 1) Alicubi punicum et alia grana (jam feriali die præparata) apud rusticanos sub noctu solent pedibus excuti in festis choreas ducendo. Quamvis id non sit contra santificationem festorum, attamen sine periculo animæ non fit, ut testantur experti. Idem dicunt de choreis quæ aliquando ducuntur in publicis plateis, vel inter rusticanos, qui omni licentiæ frenum laxant.

2) Choreæ cum larvis habitæ magis periculosæ sunt; locum enim de facili præbent effrenæ libidini, quam alioquin verecundia prohiberet. Apprehendere autem manum mulieris in choreis uti de more, nulla per se est culpa, secluso omni libidinis periculo. Hoc tamen non raro adest. *Gury.*

3) Quænam sint choreæ prorsus prohibendæ, non ita facile a viro theologo definiri potest, qui res hujusmodi nonnisi ex aliorum narratione novit. Quod enim aliis maxime periculosum, aliis tolerabile videtur, neque saltationes ejusdem generis sunt ejusdem periculi pro omnibus. Generatim ut periculosissimæ habentur choreæ quæ *valtzer, polka, galopp* dicuntur; atque ideo prout communiter fiunt, interdicendæ. Non desunt tamen viri probi, qui has ipsas saltationes dicunt modo non adeo indecoro fieri posse, ita ut leges modestiæ servari queant. *Episc. Eula.*

4) Etsi præstet pœnitentes ab omnibus saltationibus dissuadere, tamen imprudenter promissio illas vitandi sub denegatione absolutionis exigeretur; nisi revera in illis grave et proximum periculum peccandi subeant. Quod item dicendum de caupone qui in suis ædibus choreas admittit, ut plures alliciat hospites *(Scavini,* l. III, n. 461) (1).

Casus. Ezzelinus juvenis solet interesse choræis, in quibus tamen frequenter patitur motus pravos. *An debeat sub gravi abstinere?* Videtur quod non; licet enim choreæ, ut fieri solent, res sint plenæ periculis, adhuc tamen cum ex natura sua sint res indifferentes et possit quis (servato Dei timore) eisdem absque culpa interesse, maxime si aliqua circumstantia, lucrum, urbanitas, etc. id postulent, dicendum Ezzelinum absolvi posse. Nec obstant motus pravi, non sunt enim nisi præambula et incitamenta ad peccatum, non peccata, si motus ipsi non quærantur, nec sit periculum iis consentiendi. Esset tamen quoad potest dissuadendus: at non sub gravi cogendus per se, si nempe aliud non obstat. *Croix.*

(1) Est et aliud malum quod jam a suis temporibus detestabatur Bascapè: « Intendiamo essere in molti luoghi di questa Diocesi (ait venerabilis Novariensis Episcopus) un abuso importante, che nelle notti del verno riducendosi le donne nelle stalle, o stufe o luoghi simili a filare e far sue opere, vi vanno ancora in molti luoghi degli uomini, e che è peggio, oziosi e disposti a fare peccati; e vi conducono suonatori, e ballano e si trattengono lascivamente con gran danno e scandalo delle anime. » Urget autem parochos ut hac de re sedulo invigilent, moneant populum, puellarum matres, domorum dominos, ut tanto malo occurratur. *Avviso ai curati*, 4 dic. 1596. V. Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne.*

ART. 2. — De peccatis luxuriæ consummatis juxta naturam, id est Fornicatione, Meretricio, Concubinatu, Stupro, Raptu, Adulterio, Incestu et Sacrilegio.

459. **Fornicatio.** *Est copula carnalis soluti cum soluta ex mutuo consensu.* Fornicatio est graviter prohibita jure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat: 1) ex Scriptura; Apostolus *Corinth.* VI ait: *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt.* 2) Ex ratione; si enim fornicatio permitteretur, plerunque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione relinqueretur: atque ideo subversio ordinis naturalis necessario sequeretur. Hinc Innocentius XI damnavit propositionem: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* (d. Thomas, 2, 2, q. 154).

An fornicatio, quam unus ex sponsis habet cum extranea persona, aliquid superaddat, et sit specie diversa a simplici fornicatione explicanda, disputant (*S. Alph.* l. III, n. 432; l. VI, n. 447).

460. Ad fornicationem referuntur: 1) *Concubinatus* qui est fornicatio frequens personæ solutæ cum una eademque soluta persona domi vel alibi retenta. 2) *Meretricium* qui est status mulieris omnibus prostitutæ. Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario et per se præcise in Confessione declaranda, cum per se speciem non mutet (1). At in praxi est explicanda ad statum et genus occasionis manifestandum, atque ad directionem (*S. Alph.*, l. III, n. 432).

461. *Directio quoad meretrices.* Pessima est earum conditio ratione habitualis animi dispositionis, scandali et nocumenti prolis. Ex quo patet eas esse incapaces absolutionis, donec larga experientia constet esse emendatas et a lupanari remotas; sunt tamen a confessario humaniter accipiendæ. Etsi autem emendatæ possint absolvi; non ita est de Eucharistiæ susceptione, ad quam ut admittantur, de earum conversione ad scandalum auferendum, publice constare debet; et omnimode curandum ut e loco turpitudinis prius adsportentur (*Scavini*, l. I, n. 768) (2).

(1) Si concubitus habeatur cum uxorata, adhuc dicitur concubinatus; etsi improprie; et tunc etiam malitiam adulterii addit.

In hoc differt concubinatus a simplici fornicatione, quod fornicatio indicat concubitum soluti cum soluta modo una modo altera; concubinatus vero exercetur erga eandem personam ac si esset conjux. Observat autem Fulcus in suis *Instit. Theol.*: « Ut habeatur concubinatus ipso jure canonico requiritur: 1.° Ut sive domo viri, sive alibi retineatur mulier, vir habeat ad eam facilem accessum. 2.° Ut habeatur pluralitas copularum, seu habeantur quatuor saltem copulæ. 3.° Ut habeatur animus perseverandi in tali congressu. 4.° Ut mulier non habeat cum alio viro non suo commercium carnale. »

(2) Bisogna distinguere il luogo di tolleranza da una donna peccatrice; ad una donna peccatrice colta da malattia nella sua casa che si pente dello scandalo dato, pare non se le possano negare i sagramenti nè della Penitenza, nè della Estrema

462. *Quoad concubinarios.* Gravissimum peccatum est concubinatus; quia concubinarius et peccat et perseverat in statu peccati mortalis. Tridentinum Concilium adversus quemcunque concubinarium tulit pœnam: 1) Excommunicationis ferendæ post datam trinam monitionem. 2) Ejectionis extra oppidum vel etiam extra Diœcesim, implorato auxilio brachii sæcularis (sed hodiernis moribus inutiliter imploraretur) — Contra clericos autem idem Concilium statuit, ut post primam monitionem priventur tertia parte fructuum Beneficii; post secundam priventur pensionibus et Beneficii administratione; post tertiam ipso Beneficio; dein excommunicentur; tunc olim poterat quoque Episcopus eos tradere Curiæ seculari. Notandum tamen ex declaratione S. C. C. nomine *fructuum* non intelligi distributiones quotidianas. In Episcopos vero hoc crimine reos, lata est suspensio, post Concilii provincialis monitum (*Sess.* XXII, c. 14; *Sess.* XXIV, c. 8; *Sess.* XXV, c. 4. *S. Alph.*, l. III, n. 442).

In Synodis ferme omnibus (uti Novariensi), concubinatus reservatus est, licet occultus, licet habitus cum conjugata persona, modo quadam actuum frequentia (sive domi propriæ sive alibi) per integrum annum, ac si delinquentes essent conjuges, duret. Item hoc scelus carcere punitur a lege civili si a conjugato patratum (*a.* 487).

463. Concubinarius publicus etsi dispositus, priusquam absolvatur, concubinam ejicere debet ad scandalum auferendum. Item dicendum de occulto concubinario, excepto casu specialissimæ difficultatis; nam vix evitatur peccatum, tali proxima occasione non dimissa (*S. Alph.*, l. III, n. 445; et dicenda *de occasionariis.* It. *Scavini,* l. I, n. 770).

464. « In qualche caso rarissimo (scribit P. Segneri) può trovarsi anche in gente simile una disposizione di dolore maraviglioso.... Lascerò di accennarvi un partito da provvedere ad un pubblico peccatore se ben disposto. Assolvetelo; proibitegli insieme la Comunione almeno in luogo ove sia conosciuto, » *Confessore istruito,* c. V. Casus contingere potest in persona civiliter tantum conjugata, quæ reducta ad pœnitentiam velit se sincere continere a peccatis; attamen dum curat, ut ejus matrimonium legitimetur, nullimode potest separari quoad tectum. Tunc poterit absolvi, non communicari.

465. **Stuprum.** Stricto sensu acceptum a Jure canonico definitur *defloratio virginis, ipsa invita* (1) Hoc peccatum habet malitiam specialem, quia præter fornicationem continet gravissimam injuriam oppressæ virgini irrogatam, et parentibus si sub eorum tutela virgo sit. Stuprator aufert carnis integritatem, legitimas impedit puellæ nuptias, eamque ponit in via meretricandi. Ideo circumstantia stupri est declaranda in confessione (*D. Thomas,* 2, 2, q. 154, a. 6).

Stupri reus censetur etiamsi quis personam ebriam, fatuam aut dormientem sine prævio ejusdem consensu oppresserit; nam tunc persona illa censetur interpretative repugnare. Imo etiamsi virgo

Unzione; ma nel luogo di tolleranza, in quei luoghi cioè dove si conosce che si permette alle donne di stare insieme per malfare, in questo luogo sia chiunque l'infermo, fosse anche un buon cristiano ivi per qualche necessità capitato, eccetto il sacramento della Penitenza, non puossi amministrare nè l'Eucaristia, nè l'Estrema Unzione. *Episcop. Formisiano.*

(1) Stuprum large sumptum seu ex norma juris civilis est *violenta virginis aut viduæ honestæ oppressio*; et punitur Cod. pœnal. Verum quando agitur de pœnis per sacros canones in stupratorem latis, stuprum accipitur sensu stricto.

Porro pluribus in Synodis est reservata copula carnalis, cum innupta vi metuve sub ficta promissione dotis vel matrimonii extorta. Quoad stupratoris obligationes, vide *De restitutione* (S. Alph., l. III, n. 443).

fraude (v. g. falsa matrimonii aut magnæ dotis promissione, vel gravi metu etiam reverentiali) fuerit ad malum inducta; quia licet ipsa quoque peccet consentiendo, talis tamen consensus extortus fuit per gravem injuriam, nempe vim moralem *(S. Alph.,* l. III, n. 443).

466. **Raptus.** Dupliciter committitur: vel violenter abducendo fœminam repugnantem de loco in locum matrimonii contrahendi causa; vel abducendo virum aut fœminam ad libidinem explendam de loco tuto ad non tutum per vim aut metum gravem (vel fraudem et dolum) illatum aut ipsi personæ raptæ, aut iis quibus illa subest.

Si 1, raptus et grande peccatum est, et constituit dirimens matrimonii impedimentum ex dicendis t. II, n. 993. Si 2, raptus nedum dirimit conjugium, imo ex Tridentino raptor tenetur raptam ducere aut dotare, nisi sit meretrix vel malæ famæ *(Sess.* XXI, c. 6); d. Thomas, 2, 2, q. 154, a. 7.

In raptu duplex est malitia mortalis: nam ex parte *intentionis* est peccatum luxuriæ; ex parte *actionis* est peccatum injustitiæ tam contra personam, quæ violenter abducitur, quam contra illos quorum in potestate persona rapta constituta est. Si tamen puella sponte discedat cum amasio, *fuga* appellatur, quæ non addit malitiam specie distinctam a fornicatione *(S. Alph.,* l. III, n. 444).

467. **Adulterium.** Est copula cum alterius conjuge, seu *violatio tori alieni.* Est gravissimum peccatum et contra castitatem et contra justitiam, cum lædat jus alterius conjugis. Hinc Apostolus: *Neque fornicarii neque adulteri... regnum Dei possidebunt* (v. d. Thomas, 2, 2, q. 54, a. 10) — Si fœmina adultera sit conjugata, gravius committit peccatum, quam si solus vir: idque ob incommoda graviora, uti est incertitudo prolis, damnum filiis legitimis obventurum, etc. Si vero uterque sit conjugio ligatus, malum adhuc gravius erit; quia duplex irrogatur injuria in utriusque conjugem: ideoque in Confessione id erit aperiendum. Uxor autem (et vicissim maritus) erit adhuc adulterii rea etsi maritus in illius adulterium consentiat; quia conjuges in hoc non possunt juri proprio renuntiare; nam matrimonio illud inviolabiliter inhæret. Hinc ab Innocentio XI damnata est propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum;* tunc enim etsi viro non fiat injuria, matrimonio fit *(S. Alph.,* l. III, 445).

Jus canonicum graviter animadvertit in adulteros, et tribuit etiam innocenti facultatem ad divortium (v. *de matrimonio).* Item jure civili adulter punitur *(Cod. pœn.).* — Ex pluribus autem Synodis diœcesanis in reservationem incidit maritus, qui *uxori legitimæ dictis vel factis libere omnino præstat consensum, ut alteri sui copiam faciat, si sequatur copula* (de Obligationibus adulteri vide *De restitutione).*

468. **Incestus.** Est *concubitus illicitus inter personas cognatione sibi invicem conjunctas.* Oritur ex quadruplici capite: ex *consaguinitate* ad quartum gradum inclusive; ex *affinitate* item ad quartum gradum inclusive; ex *cognatione spirituali;* et ex *cognatione legali,* seu adoptione.

469. **Principia.** I. Incestus est gravissimum peccatum; nam præter luxuriæ fœditatem continet turpitudinem specialem, nempe contra reverentiam propinquis debitam. Hinc in veteri lege incestuosus erat morte dignus *(Lev.* XX). Pœnæ autem ex jure canonico in 1 et 2 consanguinitatis gradu est privatio debiti conjugalis. In pluribus vero Synodis adest reservatio, si incestus contingat inter consangui-

neos in 1° et 2° gradu lineæ tum rectæ tum transversalis; vel inter affines in 1° gradu, et inter cognatos spirituales. Graviter tandem incestus punitur lege civili *(Cod. pœn.)*.

II. Certum est incestum inter cognatos spirituales et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos et affines specie differre; cum uterque attingat objectum specie diversum. Sed probabilius non differunt specie inter se incestus inter consanguineos et affines; cum materialiter se habeat, quod una sit a sanguine, altera a copula; quia uterque incestus semper eodem pietatis motivo prohibetur *(S. Alph.*, l. VI, n. 460).

III. Quoad *cognationem legalem*, varii hujus cognationis gradus, uti docent probabilius, inter se non differunt specie. Nam per se non adest naturalis ac diversa deformitas in uno, quam non sit in alio gradu: cum id positivo tantum jure inductum sit.

IV. Incestus pariter *cum affinibus* quoad diversos gradus est commune, esse ejusdem speciei paritate rationis. Si excipiatur incestus inter privignum et novercam, interque socerum et nuram, inter socrum et generum, cujus quidem illico concipitur horrenda et specialis deformitas, atque adeo ut nullum existet exemplum dispensationis super similibus nuptiis, quamvis Pontifices pluries rogati fuerint; etsi stricte loquendo dispensare valeant. *Vecchiotti.*

V. Circa *gradus consanguinitatis*, quoad primum gradum lineæ rectæ, id est quoad incestum cum matre vel patre, videtur omnino tenendum, istum ab aliis differre specie, et matrimonium dirimere jure naturæ; cum hic exhibeat specialem deformitatem ex se. Quoad cæteros vero consaguinitatis gradus, alii cum Lugo dicunt, specie differre etiam primum gradum lineæ transversalis; natura enim ipsa refugit maxime commixtionem inter fratres et sorores. Alii cum d. Thoma docent, primo excluso lineæ rectæ, cæteros gradus tantum continere circumstantiam aggravantem; nam non oritur ex lege naturali (olim enim filiis Adam licitum fuit cum suis sororibus copulari); sed ex prohibitione Ecclesiæ: porro per solum jus naturale specifica diversitas constituitur; et ideo bene potest Pontifex dispensare saltem si impedimentum sit occultum. Attamen non habemus hujus dispensationis exemplum, ut notat Benedictus XIV Epist. *Æstas*, nulla facta publici aut occulti impedimenti distinctione; et nuper S. Pœnitentiaria indispensabile declaravit tale impedimentum, etsi esset occultum *(S. Alph.*, l. VI, n. 470. *Scavini*, l. III, n. 908. *Vecchiotti*, Carrière, *De matrimonio)*.

470. **Sacrilegium.** In materia luxuriæ est *violatio rei, loci vel personæ sacræ per actum venereum.* Manifestum est enim (ait d. Thomas, 2, 2, q. 154, a. 10) quod luxuria secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii; est enim sacrilegium *læsio sacri.*

I. Circa *rem* erit sacrilegium actus luxuriosus, qui Christum lædat sub aliqua re specialiter exhibitum. Hinc sacrilegium est quicunque gravis actus luxuriosus in eo, qui vel Eucharistiam gestat vel Communionem distribuit. Item sacrilegus est qui infra mediam horam post Communionem se polluit. Non tamen qui turpiter peccaret Reliquias gestando; nam istæ specialiter Christum non repræsentant.

II. Circa *locum*, sacrilegium erit omnis actus luxuriosus externus etsi occulte patratus in loco benedicto et deputato tum ad mortuos sepeliendos, tum ad officia divina celebranda, a tecto nempe usque ad pavimentum, exclusis tamen cellis, claustro, sacrario, dor-

mitorio, tecto super Ecclesiam, janua ejusdem et atrio. Excluduntur etiam Oratoria privata, cum non habeantur uti veræ Ecclesiæ. Sicut vero per voluntariam sanguinis effusionem polluitur Ecclesia, ita et per seminis voluntariam effusionem, seu per pollutionem peccaminosam, etiam si secreta sit, quamvis tunc Ecclesia reconciliatione non indigeat, quia illa notoria non est. Quod communius et probabilius dicunt valere etiam de copula maritali; quia semper graviter loci sanctitudini hæc copula disconvenit (*S. Alph.*, l. III, n. 458).

III. Circa *personam*, sacrilegium est omnis actus luxuriosus tam exterior, quam interior in persona, vel cum persona voto castitatis ligata (probabilius quamvis non solemni). Ratio est: vovens vi voti se obligavit ad abstinendum ab omni delectatione venerea.

471. *Resolutiones:* 1) Sacrilegus est qui personam sacram ad peccatum luxuriæ consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia ejus peccato directe et formaliter cooperatur.

2) Duplex sacrilegium commitit persona Deo consecrata, quæ cum alia item consecrata luxuriose peccat; quia dupliciter religionem offendit.

3) Probabilius sacerdos qui simul est religiosus, unum sacrilegium committit peccando contra castitatem; nam contra unum et idem præceptum formale peccat (*S. Alph.*, l. III, n, 455).

4) Verba, tactus, aspectus turpes in Ecclesia sacrilegia esse sententia absolute probabilior affirmat (licet absit periculum pollutionis) si externi actus sint graviter turpes. Nam tunc ipsi per se continent deformitatem externam gravem contra reverentiam loci sacri.

5) Cogitationes graviter luxuriosæ in Ecclesia habitæ si continent desiderium deliberatum externe peccandi in ipsa Ecclesia, tametsi occulte, sacrilegia sunt ob gravem irreverentiam erga domum Dei, quam *decet sanctitudo.* Et valet, etsi extra Ecclesiam pravum desiderium habitum fuerit; quia terminum habet ad locum sacrum; ita communiter (*S. Alph.*, l. III, n. 462).

Si vero tales cogitationes nullimode externantur, non sunt habendæ uti sacrilegia, quia utpote mere internæ non videntur locum sacrum specialiter afficere. Quod si habeantur ut sacrilegia, hæc tamen circumstantia, utpote leviter culpabili, non est necessario in Confessione aperienda. *Gury.*

ART. 3. — De peccatis luxuriæ consummatis contra naturam, id est de Pollutione, Sodomia et Bestialitate.

472. **Pollutio.** Hæc generatim accepta definitur: *Humani seminis effusio sine congressu cum alio,* sive effundatur foras ut in maribus, sive intus in matricem, ut in fœminis. Dividi autem solet:

1) In *simplicem* quæ nullam aliam malitiam habet adjunctam: ut cum quis nullo vinculo ligatus se polluit.

2) In *qualificatam;* est quando præter suam, aliam malitiam habet. Uti si quis vinculo castitatis ligatus se polluit cogitando de consanguinea conjugata: peccat non tantum peccato pollutionis, sed etiam sacrilegii, incestus et adulterii: omnia distincte aperienda.

3) In *voluntariam;* vel in se, ut si quis directe velit pollui; vel in causa seu indirecte, ut si legat obscœna ipsam causantia.

4) In *involuntariam,* si absque cooperatione voluntatis contingat, sed ex causis mere naturalibus, v. g. ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum. De hac nulla quæstio, cum peccaminosa non sit.

473. **Principia.** Certum est pollutionem etiam simplicem, si voluntariam, esse intrinsece ac graviter malam; repugnat enim fini, ad quem ordinatum est semen humanum. Videlicet si fornicatio mala est, quia adversatur prolis educationi, a fortiori mala erit pollutio, quæ adversatur prolis generationi. Hinc legimus Deum percussisse Onan (a quo turpissimum scelus nominari cœpit), quia *semen fundebat in terram,* eo quod *rem detestabilem faceret* (Gen. XXXVIII). Hinc Apostolus, I Cor. VI: *Neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt.* Hinc Innocentius XI damnavit propositionem: *Mollities jure naturæ prohibita non est.*

474. **Resolve:** 1) Omnis deliberata seminis effusio quantumvis parva est vera pollutio et mortalis. Item mortale est pollutionem involuntarie incœptam voluntarie promovere *(S. Alph.,* l. III, n. 477).

2) Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in Confessione an hæc sit persona sacra, an sit cognata, etc.; quia malitiam specialem contraxit.

3) Motus inordinati cum venerea delectatione, etsi leves, sunt peccata mortalia quoties sunt directe voluntarii, vel si eis adhæreat voluntas; quia adest venerea delectatio in se quæsita, quæ parvitatem materiæ non admittit.

4) Licet ei qui pruritum magnum patitur in verendis, illum frixione extinguere, etsi pollutio involuntaria sequatur, modo pruritus ille ex sanguinis acrimonia proveniat, non autem ex ardore libidinis; nam tunc pollutio evenit præter intentionem. Cæterum melius est se abstinere quoad potest ab hisce tactibus, si pruritus non sit valde molestus; idque Croix sapienter suggerit puritatis amatoribus *(S. Alph.,* l. III, n. 483) (1).

5) Pollutio indirecte voluntaria omni peccato caret, si habeatur ratio sufficiens causam ponendi, secluso tamen consensu et complacentia in ipsam pollutionem: *Nihil prohibet* (ad rem Angelicus, 1 p., q. 64, a. 7) *unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem, secundum quod intenditur, non ab eo quod est præter intentionem.* Hinc per se, etsi timeatur secutura pollutio, non est prohibitum equitare recreationis causa, in lecto molli decumbere, temperate sumere cibos calefactivos, confessariis tractatus legere de rebus turpibus, infirmosque in balneis adjuvare, artem chirurgicam exercere tangendo partes pudendas fœminæ ægrotantis, etc. si adsit vera causa; tunc enim potius habetur passio, quam actio. Id fortius dicendum de eo qui id agit ex officio, neque officit quod aliquoties peccaverit: uti si parochus excipiendo fœminæ confessiones aliquando pollutioni consenserit, modo se præcaveat in futurum *(Ho. ap.,* tr. IX, n. 34).

6) Qui sine causa vel necessitatis vel utilitatis actionem ponit ex qua prævidet secuturam pollutionem, graviter peccat, si causa influat proxime; nam lex naturalis graviter prohibens pollutionem, graviter etiam prohibet actiones proxime influentes. Si vero actio

(1) Non tamen facile credatur quibusdam puellis, quæ tactibus se polluere solent prætextu hujusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus præhabitis vel ab habitu pravo contracto se tangendi *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. IX, n. 34).

influit remote et leviter, nec pollutio intendatur, erit tantummodo leve peccatum (1).

7) Pollutio in somnis habita non est peccatum, si ante somnum non fuerit data causa directa et voluntaria ob defectum judicii rationis, ut habet Angelicus (2, 2, *q.* 154, *a.* 4); si vero contingat in vigilia semiplena, tunc etsi adsit quædam delectatio, cum non sit plene deliberata, erit tantum veniale peccatum. Si seminis effusio incœperit in somno, sed consummetur in plena vigilia, modo non adsit consensus in delectationem vel ejus proximum periculum, non est obligatio illam in se cohibendi, ob morbi periculum; ideo etiam quia illa vix potest retineri. Expedit tamen ut mens ad contraria convertatur, et Ss. Jesu et Mariæ nomina invocentur.

8) Distillatio quæ est effusio levis alterius humoris subtilioris, quæque evenit vel cum nulla vel cum levi commotione genitalium, erit mortalis si directe voluntaria sit, quia proximum periculum pollutionis inducit. Si vero evenerit præter intentionem sine voluntario carnis sensu, non plus oportet de ea inquirere quam de quocunque alio corporis sudore *(S. Alph.,* l. III, n. 477).

475. **Sodomia.** Horrendum sodomiæ crimen est *concubitus cum persona vel ejusdem vel diversi sexus, sed in vase indebito.* Si habeatur cum personis ejusdem sexus, dicitur sodomia perfecta; imperfecta vero si sit cum personis sexus diversi *(d. Thomas,* 2, 2, q. 154, a. 11). Debet autem necessario pœnitens aperire in Confessione circa sodomiam:

1) Qualis fuerit persona, quacum peccaverit, an sacra, conjugata, consanguinea vel affinis; idque ob specialem malitiam, quæ tunc superadditur vel sacrilegii vel adulterii vel incestus.

2) In sententia veriori tenetur etiam aperire an fuerit agens, quia in agente multo facilius adest pollutio, quam in patiente; ergo ratione ipsius periculi proximi cui agens sese exponit.

3) An persona complex sit diversi vel ejusdem sexus; nam in sententia communiori perfecta sodomia est diversæ speciei ab imperfecta; cum sit diversa deformitas contra naturam, neque servare debitum sexum, neque debitum vas *(S. Alph.,* l. III, n. 472).

(1) Actiones *proxime* in pollutionem influentes sunt eæ, quæ per se, directe et natura sua, ad pollutionem tendunt, eo fere modo quo dicitur causa per se mortis inflictio vulneris lethalis; idcirco gravem culpam constituunt in genere luxuriæ. Sunt v. g. voluntarius aspectus concubitus humani, colloquia aperte inhonesta, lectio vel auditio rerum valde turpium, cogitationes morosæ de rebus venereis, tactus turpes in pudendis. Omnes ideo actiones istæ (vel pollutiones inde provenientes) peccata mortalia dicendæ sunt, si absque causa proportionata, necessaria vel utili ponantur; cum natura sua valeant graviter incitare ad libidinem. Ita communiter cum s. Thoma.

Actiones vero seu causæ in pollutionem influentes *remote* illæ dicuntur, quæ per se ac directe non tendunt ad pollutionem, ac proinde non constituunt, nisi culpam levem in genere luxuriæ: vel gravem quidem per se, sed non in genere luxuriæ, bene vero in materia diversa. Est v. g. esus vel potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis cum puella, crapula, ebrietas aut carnium comestio nimis immoderata; item audire Confessiones fœminarum, studere rebus venereis; denique omnes aliæ actiones licitæ de se, ex quibus nihilominus solet oriri pollutio. Has porro, uti probabilius docent cum s. Antonino, non tenemur sub gravi evitare etsi prævisas, quia non influunt directe et per se in pollutionem. Adverte tamen, actiones, quæ generatim remote tantum in pollutionem influunt, posse influere proxime in eamdem *respective*, idest relate ad peculiarem alicujus infirmam dispositionem (*S. Alphonsus*, Ho. ap., tr. IX, n. 34).

476. **Principia.** I. Sodomia suum nomen accepit ab urbe Sodoma quæ in tanti criminis pœnam igne a cœlo delapso fuit una cum suis incolis consumpta (*Gen.* XIX). Ex tali autem pœna criminis gravitatem colligere est: et sane illud vehementissime natura refugit. Talem ignominiam graviter quoque insectatur Apostolus (*Rom.* I).

II. Jure canonico, si sodomitæ sint laici sunt excommunicandi, ac declarantur infames. Si clerici vel religiosi, ex Bulla *Horrendum* s. Pii V, privantur omni officio, beneficio et privilegio clericali. Verum sodomitæ has pœnas non incurrunt, nisi post sententiam criminis declaratoriam, ut verius docent; et tantum si sodomia sit: 1) *Perfecta,* nempe cum alio ejusdem sexus — 2) *Completa,* nempe consummata intra vas; lex enim in odiosis est strictæ interpretationis — 3) *Frequentata*, nam Bulla loquitur *de exercentibus sodomiam:* quam pœnam probabilius incurrunt etiam patientes; cum vere sint sodomitæ. Solet etiam ab Episcopis sodomia reservari, si tamen major sit (seu perfecta) et completa. Ex jure civili sodomitæ item graviter puniuntur, pro circumstantiarum varietate (*Cod. pœn.*).

477. **Bestialitas.** Est *coitus cum bestia:* nefandissimum scelus gravius alio quocunque contra naturam; nam ibi non solum non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debita species. In ejus execrationem in Lege veteri (*Lev.* XX) et homo et bestia trucidabantur. De bestialitate opus non est explicare qualis fuerit bestia; cum in genere morum id non referat. Neque prout communiter et probabilius docent, an bestia fuerit mas an fœmella: quia essentialis deformitas consistit in accessu ad diversam speciem; unde qualitas bestiæ et sexus accidentalis est. Bestialitas in Synodis reservata est, licet extra vas naturale expleatur (*S. Alph.*, l. III, n. 474) (1).

Tactus autem impudici cum bestia, licet non sint proprie peccata bestialitatis, habent tamen aliquam specialem turpitudinem saltem venialem. Sed aliter est, si ex iis venerea delectatio quæratur; tunc hæc circumstantia erit necessario declaranda.

ART. 4. — Luxuriæ filiæ ac remedia.

478. **Luxuriæ filiæ.** Sunt præcipuæ ex parte intellectus: *cæcitas mentis*, *inconstantia* et *inconsideratio.* Ex parte vero voluntatis: *affectus sæculi præsentis, horror sæculi futuri*, et *odium Dei,* quia has spurcitias gravissime punit (*D. Thomas,* 2, 2, q. 153, a. 5).

479. **Luxuriæ remedia.** Alia sunt negativa, alia positiva.

1) *Negativa:* abstinentia a lectione librorum, qui agunt de rebus amatoriis; fuga otii, fuga familiaritatis cum personis

(1) Ad hanc reducitur concubitus cum dæmone in assumpta forma humana; quia est verus concubitus cum individuo alterius speciei, in quo consistit malitia bestialitatis. Addita tamen malitia culpæ contra religionem, et etiam fornicationis aut sodomiæ effectivæ, si dæmon appareat in forma pueri aut mulieris; et etiam adulterii aut incestus, si quis delectetur de coitu cum dæmone tanquam cum nupta vel conjuncta (*Alph.* Ho. ap., tr. IX, n. 28; Scavini, l. I, nn. 922, 923).

Caute sed non raro de bestialitate oportet interrogare libidini multum deditos, et maxime, si sint animalium custodes, au scilicet aliquid commiserint cum bestia.

alterius sexus (1); fuga occasionum (sine fuga generatim non obtinetur victoria); fuga ebrietatis, nam in vino luxuria. V. Pellicani, *I compagni;* item *Sulle ree letture.*

2) *Positiva* sunt: oratio frequens, frequens Confessio et Communio, custodia sensuum, memoria novissimorum, et devotio specialis erga B. Virginem matrem pulchræ dilectionis (*Alia ad praxim apud Scavini,* l. I, nn. 803 et 926).

Item ad repellendas tentationes carnales valde aliquibus prodest partes commotas vestibus tegere ac comprimere; non tamen fricare. Ad mentem vero a consensu præservandam, multum valet cogitatio de passione Jesu, de pœnis inferni quæ nunquam sunt finem habituræ, de morte, de remorsu quem patitur anima post peccatum — Præ omnibus item remedium aptius, breve et facile est invocare pluries et confidenter nomina Jesu et Mariæ. Item sufficit in actu commotionis subito ad alia divertere (*S. Alph.,* l. v, n. 8).

CAPUT SECUNDUM

De Gula, Ebrietate, Ira, Invidia et Acedia.

480. **Gula**. Est *inordinatus appetitus cibi et potus,* seu usus immoderatus alimenti ad vitam necessarii. Immoderatio, sive excessus in cibo dicitur *crapula,* in potu *ebrietas.* Quinque modis præcipue committitur hoc vitium: 1) Si edas ante tempus; 2) si nimis exquisita; 3) si plus æquo; 4) si voraciter; 5) si studiose præparata (*D. Thomas,* 2, 2, q. 148, a. 4). Hinc versus:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

481. **Principia**. Vitium gulæ peccatum est, cum rationalem naturam dedeceat, quod vel ipsi gentiles agnoverunt. Hinc Seneca ajebat: *Major sum et ad majora natus, quam ut sim mancipium corporis mei.* Erit autem grave peccatum, si graviter noceat sanitati, si grave scandalum afferat, uti si agatur

(1) Caveat mulier ne ab amasio munera accipiat, secus ipse audacior redderetur ad illam concupiscendam. Quod si jam dona accepit, ea statim vel restituat, vel pauperibus tradat aut flammis (*S. Alph.,* l. II, n. 76; l. III, n. 712).

Cæterum si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, mulier etsi deneget consentire, non tenetur amasio rem donatam restituere; nam donatio omnino liberalis habenda est, cum non intercesserit pactum de peccato committendo.

de ecclesiasticis, qui gulæ nimis in loco publico indulgent, si ineptum reddat ad propria officia, si pertingat usque ad privationem usus rationis, si in hoc collocetur ultimus finis. Qui vero sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum bibant et manducent, vix excusantur a mortali; id enim videtur involvere magnam deformitatem.

Per se autem comedere ad satietatem aliis præclusis non videtur grave; attamen peccatum est: et Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.* Verum cibum sumere cum moderata delectatione nullum peccatum est; hæc enim ab ipso naturæ auctore cibo et potui indita est (*S. Alph.*, l. v, n. 73).

482. **Ebrietas**. Est *voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem;* tunc enim habetur perfecta ebrietas, quæ mortalis est; etenim privat hominem rationis usu, illumque subjicit ad brutorum conditionem (1). Hinc Apostolus (*Gal.* v) ebrios vocat *morte dignos.* Adde scandalum, ineptitudinem ad propria officia, libidinis incentivum et alia mala gravissima quæ jugiter comitantur hoc peccatum (2).

Præ reliquis hoc vitium in sacerdote, præsertim Pastore animarum, atrocitatem fere portentosam acquirit, dum nempe illi infra conditionem brutorum dejecti conspiciuntur, quos populi christiani duces et angelos esse oportet. Hæc sacerdotum perversitas jam ab Isaia (*cap.* XXVIII) inter præcipua incitamenta computatur, quibus populus ad omnem impietatem, Deus vero ad acerbissimam vindictam provocetur. Qui vitæ decursu ab hoc pessimo vitio vinci non vult, juvenis utatur modico vino, et sollicite caveat ab occasionibus. *Stapf.* (v. *Scavini,* l. I, nn. 927 et seqq.).

(1) Ut autem cognoscatur quale peccatum ebrietas sit, audiamus Angelicum: *Contingit* (ebrietas) *esse tripliciter. Uno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen existimet potum esse inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem;... et sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis* (2, 2, *q.* n. 150, a. 2).

(2) Nella Svezia pochi anni fa venne pubblicata la legge contro l'ubriachezza secondo la quale la prima volta che uno compare ubriaco in pubblico è multato di lire 15, di 30 la seconda, di 60 la terza, e per supplemento la prigione. Alla quarta perde il diritto da elettore ed eligibile; la domenica successiva deve fare ammenda pubblica davanti la chiesa; e la quinta volta è chiuso in una casa di correzione, e può esser condannato a un anno di lavori forzati. Chi eccitò altri ad ubriacarsi paga lire 15, e 30 se il sedotto è un giovane; un ecclesiastico colto in tale stato perde il beneficio; l'impiegato è sospeso o destituito. L'ubriachezza non è scusa a un delitto, e chi muore ubriaco non è ricevuto nel cimitero. « C. Cantù, *Attenzione! Rifless. di un popolano.*

483. **Signa perfectæ ebrietatis.** Hæc solent indicari: 1) Si quis non amplius sciat licitum ab illicito discriminare — 2) Si loco stare nesciens, aut in vino ipso quasi sepultus talia pronuntiet et faciat quæ nunquam nec pronuntiare nec facere antea consueverat, v. g. absurda et turpia proferat, familiam graviter perturbet, uxorem filiosque verberet — 3) Si ab ebrietate egressus ignoret quid in ea dixerit vel fecerit, ubi fuerit, quomodo domum redierit. Unum etiam ex istis satis ostendit usum rationis amissum *(S. Alph.,* l. v, n. 78).

484. **Mala in ebrietate admissa.** Si hæc mala ab ebrio nullo modo fuerint prævisa, imputari nequeunt ad culpam; nam ea, quæ non sunt in prævisione, neque sunt in electione. Si vero prævisa fuerint et nihilominus scienter homo se inebriavit, mala illa merito imputantur ad culpam; quatenus voluntaria in causa. Imo verius vel in se ipsis peccaminosa sunt, seu formaliter mala etsi indirecta volita; nam qui ea prævidet et sciens volens causam ponit, illorum malitiæ reapse fit reus. Hinc Angelicus (1, 2, *q.* 76, *a.* 3): *Aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.*

Atque ideo inducunt irregularitatem, reservationem, censuram, si forte in illo genere peccatorum hæ pœnæ latæ sint, et mala revera sequantur; tunc enim externantur prout sunt peccata in se, et serio et animo contumaci illa sunt in causa volita. Quod si mala illa nullimode sequantur, adhuc imputantur coram Deo; nam cum se inebrians prævideret illa probabiliter ex ebrietate secutura, ea voluisse censetur: etenim quoad culpam *voluntas spectatur, non exitus.* Hinc prævisa reputantur mala, et ideo in Confessione aperienda, quæ ebrius ordinarie committere solet, et etiam ad quæ se noverit propensum, et in confuso præviderit.

Ajunt tamen ordinarie non haberi ut veras contumelias mala oris in genere ab ebrio prolata, licet prævisa; quia illa communiter non habentur dedecori, sed potius risu excipiuntur. Verum aliter esset, si quis proferat aliquod infame delictum in hominem determinatum, vel in Deum; quia ex una parte sunt voluntaria in causa, ex alia semper habentur ut injuriosa et audientibus scandalo sunt (S. Alph., *Ho. ap.,* tr. VIII, n. 8; *Op. mor.,* l. IV, n. 149).

485. **Resolve:** 1) Peccat graviter qui advertenter sumit tantam potionem vini, cervisiæ vel alterius liquoris ad inebriandum aptam, etiamsi antequam sensibus destituatur, somno se tradat

et vini effectum effugiat. Item dicendum, si non statim privatio usus rationis sit eventura, sed post unam vel alteram horam, cum nempe vini potator ad aerem prodibit; nam semper haberetur causa deliberate posita.

2) Peccant graviter, qui diu noctuque potantes ebrietatis periculo se exponunt. Vel si multum bibentes alios ad æquales haustus provocant cum præviso ebrietatis periculo. Vel si experti sint se inebriari in illis consortiis, ea tamen frequentant.

3) Item graviter peccant qui prætextu patrii moris convivas urgent ac quasi ad bibendum necessitant cum ebrietatis periculo, vel sine fine aliorum saluti propinando *(brindisi)*. Secus si tantum liberalior potus offeratur.

4) Cum aliquis multum bibit secundum consilium medicinæ, non est reputandus superfluus potus, modo non intendatur ebrietas, neque ideo potus præbeatur, sed sanitas intendatur; nam nil prohibet ut unius actus duo sint effectus, quorum alter sit in intentione, alter præter intentionem, ut docet d. Thomas.

5) Est satis probabile licitum esse aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo majori avertatur; quia tunc intenditur diminutio mali, cum totum illud nequeat impediri *(S. Alph.,* l. v, n. 76; l. II, n. 69. Et *Scavini,* l. I, n. 933: *Brindisi).*

Casus. Richardus caupo copiosum vinum bibulis subministrat licet horum plures inebriandos esse prævideat, idque tum ratione consueti lucri tum ad impediendas blasphemias si recuset. Facile etiam admittit in hospitium suum viros impios sermones et obscœnos proferentes, quos ideo nec arguit, cum ex officio suo non teneatur.

R. *Si agatur de casu particulari, nempe de bibulo jam ebrietati proximo peccat graviter caupo vinum subministrando, quia in casu particulari determinato et certo, damnum leve esset quod subire debet, ut certum peccatum præcaveat. Sed generatim et per se non tenetur peccata ebrietatis impedire cum gravi suo damno, nam caritas non obligat cum gravi incommodo: hæc peccata eveniunt præter cauponis intentionem. Ratio autem impediendi blasphemias satis est ut ebrietatem permittat; ex duobus malis majus vitandum est, uti est blasphemia. Tandem quoad sermones impios et obscœnos, si ingens sit scandalum adstantium, tenetur caupo illos impedire, si illos facile impedire valeat: tenetur enim ratione caritatis. Non tamen tenetur omnia peccata hospitum impedire cum gravi suo damno.* Gury.

486. **Gulæ filiæ et remedia.** *Filiæ* gulæ sunt ex d. Thoma (2, 2, q. 148, a. 6), inepta lætitia, immunditIes, scurrilitas, multiloquium et mentis hebetudo.

Remedia sunt considerare pessimos gulæ effectus quoad corpus et animam, quibus sero medicina frustra paratur, mortificare carnem præsertim in sumenda refectione, recordari frequenter de corporis corruptione, etc. *(S. Alph.,* l. v, n. 74).

487. Si expertis credere est, id maxime confert ad extirpandum hoc vitium: 1) Longe fieri a sociis qui ab tabernam invitant; invitant enim ad grande peccatum (fiat in honorem Jesu). 2) Longe fieri a taberna, nam occasio est funiculum triplex (idque sit in honorem M. Virginis). 3) Vel aquam, vel vinum cum aqua, vel saltem vinum moderate et semper in domo propria simul cum familia bibere, toties illud mercando (idque fiat in honorem Angeli custodis). Hæc qui per aliquod temporis spatium adimplet, a suo vitio curabitur (1).

488. **Ira**. Est *inordinatus appetitus vindictæ*. Dupliciter evenire potest ex d. Thoma (2, 2, q. 158, a. 3): 1) Ex parte modi, ut si nimium exardescas — 2) Ex parte objecti ut si vindictam appetas vel injustam omnino, vel justo majorem. Est autem ira ex genere suo mortalis, quia est directe contra caritatem: hinc ab Apostolo numeratur inter opera excludentia a Regno Cœlorum (*Gal.* v). A mortali tamen excusat materiæ levitas, advertentiæ defectus, et sìmplex excessus in modo, scandalo semper gravi excluso.

Dicitur: *Inordinatus appetitus;* nam debita cum moderatione appetere vel sumere mali vindictam est boni amor et zelus. Sic Christus Judæos circumspexit *cum ira; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo vendentes et ementes* (Marci III). Et Ps. IV: *Irascimini et nolite peccare.* Sic recte agit judex a reo vindictam assumens, pater a filio, dominus a servo si sint discoli. D. Thomas, 2, 2, q. 108 (*S. Alph.,* l. v, n. 79; *Scavini,* l. I, n. 810).

489. *Iræ filiæ.* Iræ filiæ sunt ex d. Thoma (2, 2, q. 158, a. 7), in corde indignatio et tumor mentis; in ore clamor, blasphemia et contumelia; in facto rixæ. Hinc illud:

Corde fremens, ore exilit, actu vulnerat ira.

Remedia sunt consideratio malorum ex ira, mansuetudinis Christi, et vitiorum nostrorum, ita ut cum patientia alter alterius onera portemus.

490. **Invidia**. Definitur: *Tristitia de bono proximi quatenus est propriæ gloriæ et excellentiæ diminutivum*; præcipue enim,

(1) « Osservando la pessima abitudine che molti operai hanno di sbevazzare la domenica e far festa al lunedì, altri introdussero di non pagare i salarj che a mezzogiorno del lunedì, quando essi ancora sono freschi di mente. Così invece di buttare i denari al bettoliere, li portano alla Cassa di risparmio, che li conserva ed accresce per soccorrerli nelle malattie e nella vecchiaja. In uno di quegli Stati (d'America) le fanciulle si accordarono di non ricevere a marito nessun bevitore; come in altri rifiutano la mano a chi non sa leggere. » C. Cantù, *Buon senso e buon cuore* (v. *Scavini*, l. I, n. 931).

ait d. Thomas (2, 2, q. 36), de illis bonis homines invident, in quibus est gloria, et in quibus homines amant honorari et in opinione esse. Est peccatum ex genere suo lethale; quia est contra caritatem proximi, ac providentiam Dei bona distribuentis. Hinc Apostolus peccatum invidiæ reponit in eorum classe, quæ excludunt a Regno Dei *(Gal.* III) — Quot autem malorum ipsa sit causa, Cain, Esau, fratrum Joseph, et Saulis historia abunde testatur. Poterit tamen esse venialis ex parvitate materiæ, vel ex indeliberatione *(S. Alph.*, l. v, n. 72; *Scavini,* l, I, n. 934).

491. *Invidiæ filiæ.* Invidiæ filiæ sunt ex Angelico: detractio, sussuratio, exultatio in adversis et afflictio in prosperis aliorum rebus; et odium (2, 2, *q.* 36).

Remedia sunt considerare gravitatem malorum ex invidia, officia caritatis erga proximum, motus invidiæ prompte cohibere laudando, orando, atque benefaciendo ei cui invidemus *(S. Alph.,* l. v, n. 72).

Casus. Ammonius sæpe tristatur: 1) de scientia et virtute Plautilli sui condiscipuli, non quia Plautillus hæc habet, sed præcise quia ipse iis caret; 2) de dignitate Porsennæ, eo quod sciat certo illum esse indignum; 3) quod Lucillus suus persecutor promotus fuit ad certum officium, unde timet ne occasione accepta sibi gravius noceat; 4) insigniter se affligit videns Miltonium æstimari ob insignem suam pietatem, quod studeat continue solidæ virtuti et quod extraordinaria dona Dei in illo eluceant — R. *Circa* 1) *dicendum: non peccavit Ammonius per invidiam; sed potius fuit æmulatio laudabilis: quia tristitia non est de bonis proximi, sed de propria penuria, quam comparando cum alterius abundantia magis advertit.* 2) *Non peccavit si bona illa considerentur prout a potestate humana contra justitiam distributivam obveniunt indigno, vel prout indignus iis abutitur ad peccandum. Sæpe tamen peccatur, si quis tristetur, quod Deus permittat indignis conferri illa bona, quia voluntas nostra divinæ voluntati nunquam repugnare debet, quæ ob suos justos fines nobis ignotos talia permittit.* 3) *Tristitia illa, si non temere, sed prudenter concipiatur, vitiosa non est: secus si oriatur tantum ex temeraria suspicione.* 4) *Peccavit graviter et hoc peccatum vocatur* fraternæ caritatis invidentia; *invidia enim diabolica est invidere alicui bona supernaturalia, gratiam, sanctitatem, etc.* Voit.

492. **Acedia.** Ex d. Thoma accipi potest: 1) *Late* pro fastidio et tepore animi in exercitio virtutum ob aliquam arduitatem ipsis inhærentem. Esset si quis ob frigus, quod pati debet in auditione Missæ, eam distracte audiat. 2) *Stricte* pro tristitia in Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, et ideo amicitiam illam non curat (2, 2, q. 35; *S. Alph.,* l. v, n. 84).

Primo modo accepta acedia est venialis; quia non inficit rei substantiam: nisi inde omitterentur actus virtutis graviter præ-

cepti, v. g. auditio Missæ die festivo. Secundo modo accepta semper est ex genere suo lethalis, quia repugnat caritati Dei.

493. *Acediæ filiæ.* Acediæ filiæ ex d. Gregorio sunt præcipuæ desperatio de æterna salute, pusillanimitas circa consilia, torpor circa præcepta, rancor contra eos qui ad spiritualia inducunt, malitia in detestando bona spiritualia, mentis evagatio qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita *(D. Thomas*, 2, 2, q. 35, a. 4).

Remedia vero acediæ hæc sunt: consideratio æternæ mercedis, periculorum acediæ, et Dei minarum: *Quia nec frigidus nec calidus es* (idest tepidus) *incipiam te evomere ex ore meo.* Item pia lectio, oratio, frequens confessio, continuus Dei præsentis per fidem intuitus, qui socordiæ nostræ jugis inspector est dum vivimus, et erit judex severus cum morimur, etc.

DISPUTATIO TERTIA

De Censuris in genere.

494. **Censura**. Definitur: *Pœna spiritualis et medicinalis, ab ecclesiastica potestate inflicta, per quam homo baptizatus, delinquens et contumax privatur usu quorundam bonorum spiritualium Ecclesiæ.*

Dicitur: 1) *Pœna,* nam censura supponit præcedentem culpam; ideo illam non incurrunt infantes nec amentes, cum non sint culpæ capaces.

2) *Spiritualis,* tum quia fertur a potestate spirituali in spiritualem christianorum utilitatem; tum quia ligat etiam in cœlo et animas obligat, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei,* qua contraria doctrina sub n. 46 damnatur uti *falsa, perniciosa, in articulo 23° Lutheri damnata, ad minus erronea.*

3) *Medicinalis:* quia Ecclesia in censuris ferendis id maxime intendit, ut christianus a peccato resurgat (1).

4) *Ab ecclesiastica potestate,* idest ab iis, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent.

5) *Homo baptizatus;* qui enim baptizati non sunt, non

(1) Nota illud: *maxime intendit;* potest enim ferri etiam in ultionem delicti: unde cessante correctionis fine, censura adhuc subsistit *(S. Alph.*, l. VII, n. 1).

subduntur Ecclesiæ potestati: *Quid enim mihi* (ait Apostolus I Corinth. V) *de iis qui foris sunt, judicare?*

6) *Delinquens et contumax;* nam censura generatim supponit contemptum Ecclesiæ aliquid vetantis, quatenus delinquens novit quod patrat, esse sub censura prohibitum.

7) *Privatur usu quorundam bonorum spiritualium Ecclesiæ;* id est bonorum quæ sunt in potestate Ecclesiæ, uti sunt preces publicæ, Sacramentorum administratio, sacrificii oblatio, ecclesiastica sepultura, etc. *(S. Alph.,* l. VII, n. 1).

495. **Divisio.** Multiplex est censura ratione modi quo fertur:

I. Alia est censura *a jure;* est quæ per canones seu statutum stabile generaliter fertur in omnes subditos (saltem in certum cœtum personarum, v. g. in *ecclesiasticos),* uti est illa quæ fertur in Synodo, quæ durat etiam post mortem Episcopi. Alia *ab homine;* et est quæ per sententiam judicis aut præceptum speciale fertur in unam vel plures personas determinatas ac speciales. Talis est censura quæ fertur extra Synodum; et hæc post mortem ferentis generatim non amplius incurritur, etsi jam incursa, teneat.

II. Alia est *reservata,* cujus absolutionem sibi superior reservavit vel speciali modo vel simpliciter. Alia *non reservata,* quæ ab inferioribus ministris potest auferri.

III. Alia est censura *latæ,* alia *ferendæ sententiæ.* Censura *latæ sententiæ* est, quando lex statuit eam incurrendam ipso facto, quo quis legem violaverit. Ut si dicatur: *ipso facto, ipso jure, eo ipso incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus.* (Item si in censura contra hæresim dicatur: *anathema sit);* non est ergo tantum censuræ comminatio, ut falso tradit Synodus Pistoriensis propositione 47 damnata. — Censura vero *sententiæ ferendæ* ea est quæ non contrahitur, nisi nova accedente judicis sententia post crimen patratum: v. g. *præcipimus sub pœna excommunicationis* (1).

IV. Alia est *notoria,* alia *occulta,* prout publice constat aliquem incurrisse censuram, adeo ut id celari nequeat; vel non.

V. Alia est *justa* vel *injusta; valida* vel *invalida,* prout superior justitiæ leges observat in ea ferenda, vel non.

Probabiliter controvertitur an valeat censura data sub dis-

(1) Si dicatur: *excommunicetur, suspendatur,* censura erit ferendæ sententiæ quando præceptum excommunicandi, suspendendi a jure alteri imponitur, v. g. Episcopo. Erit latæ sententiæ, si id absolute et modo imperativo proferatur, ut commune est. Cæterum in dubio censura habetur uti sententiæ ferendæ; nam ex jure *pœnæ potius molliendæ sunt, quam exasperandæ.*

junctione, v. g. si dicatur: *maneat excommunicatus, vel suspensus* (S. Alph., l. VII, n. 62).

496. **Principia**. Ecclesiam posse ferre censuras de fide est. Christus enim Ecclesiæ suæ tradidit potestatem proprio e sinu ejiciendi filios contumaces iis verbis: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo* (Matth. XVIII). Atqui hæc potestas ratione substantiæ nihil est aliud, quam potestas inferendi censuras. Firmatur ex constanti Ecclesiæ praxi. Tridentinum autem hanc Ecclesiæ potestatem dicit *nervum ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem, et spirituale gladium* (Sess. XXV, c. 3 *de Ref.)*.

497. Revera quælibet bene ordinata societas habet potestatem arcendi e proprio sinu membra noxia; atqui talis est Ecclesia. Habere autem eam non potest nisi a Christo suo fundatore; ideo hæc potestas dicenda est Juris divini. Hinc Chrysostomus: *Nemo contemnat vincula ecclesiastica; non enim homo est qui ligat, sed Christus qui nobis hanc potestatem fecit* (Hom. IV in Epist. ad Hebr.). Et Pius IX Constit. *Apostolicæ Sedis* subjicit excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Papæ reservatæ *impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori* etc. Quæ jurisdictio respicit etiam ipsam potestatem ferendi censuras (Vide n. 574) (1).

498. In Ecclesia autem possunt ferre censuras de jure *ordinario* omnes et soli superiores ecclesiastici jurisdictionem actu habentes in foro externo et contentioso, quibus nempe per ea verba *quæcunque alligaveritis* etc. Christus tribuit omnem po-

(1) Marsilius Patavinus docuit, ad censuram inferendam requiri civilis Principis vel Reipublicæ auctoritatem; sed hæretica semper hæc doctrina in Ecclesia catholica habita est. Christus non principibus, non reipublicæ civili, sed solis Apostolis. imprimis d. Petro hanc potestatem tradidit. Et ea semper tam Pontifices, quam Episcopi usi sunt absque ulla dependentia ab auctoritate civili. Sane cum Paulus incestuosum in virtute Domini tradit *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat;* quando Hymæneum et Alexandrum tradit *Satanæ, ut discant non blasphemare;* quando Corinthios punire minatur; quando fatetur *in promptu habere ulcisci omnem inobedientem;* quando Joannes deponit presbyterum qui opus apocriphum ediderat, etc., certe consensu civilis auctoritatis usi non sunt; tunc enim ethnici imperatores dominabantur (I. *Cor.* V; I. *Tim.* I; I. *Cor.* IV; II *Cor.* X; III *Joann.* IX). Adde Tridentinum solemniter ad rem hoc tulisse Decretum: *Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet;... cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat* (Sess. XXV, c. 3 *de R.*). V. *Scavini*, l. I, n. 939.

testatem ad rectam Ecclesiæ administrationem; ideo parochis non competit hæc potestas — De jure vero *delegato* possunt omnes et soli ecclesiastici quibus id conceditur a superioribus jurisdictionem ordinariam habentibus (1). Ubi notandum: 1) Delegata potestas expirat morte delegantis, nisi causa a delegato jam fuerit incœpta, etiam per solam citationem — 2) Delegatus non potest subdelegare, nisi vel expressam habuerit licentiam a delegante, vel sit delegatus a Pontifice, vel saltem ad universalitatem causarum. D. Thomas, Suppl. q. 22, a. 2 *(v. supra n.* 104. S. Alph., *l.* VII, *n.* 9).

499. **Resolve:** I. Possunt jure ordinario ferre censuras: 1) Pontifex independenter a cujuscunque consensu: unde contraria Quesnelli propositio a Clemente XI damnata est — 2) *Archiepiscopi* etiam in Diœcesibus suffraganeis tempore visitationis, et in causis ad ipsos per appellationem delatis; nam tunc de jure ordinario in suffraganeos jurisdictione pollent. *Episcopi,* si electi, confirmati et possessionem adepti; quia tunc habent jurisdictionem expeditam, etsi nondum consecrati. Item illorum *Vicarii generales,* nam unum cum ipsis tribunal constituunt — 3) *Cardinales* in Ecclesia proprii tituli. *Legati* in territorio propriæ Legationis — 4) *Capitulum cathedrale,* Sede episcopali vacante, primis octo diebus; dein *Vicarius capitularis* — 5) *Generales, Provinciales, Superiores* locales Religionum respectu subditorum; et *Congregationes* et *Capitula* provincialia. Denique omnes qui per communem errorem cum titulo colorato habentur ut legitimi et ordinarii superiores *(S. Alph.,* l. VII, n. 10).

II. Episcopus si in Diœcesi sua non sit, valide nequit in suum subditum ferre censuras, nisi habeat consensum Episcopi loci ubi moratur; nam nemo potest in alieno territorio jurisdictionem exercere contentiosam. Sed cum consensu Episcopi loci requiritur etiam ex jure consensus delinquentis, quia nemo invitus trahendus extra territorium suum. Verum excipe ex ipso jure: 1) Si contumacia sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causæ. 2) Si censura feratur non per modum sententiæ, sed præcepti aut statuti ad futura crimina præcavenda. 3) Si causa jam sit cognita in proprio territorio. 4) Si Episcopus sit injuste expulsus a sua diœcesi, sed tunc petita etsi non obtenta licentia ab Ordinario loci *(S. Alph.,* l. VII, n. 21).

(1) Ideo laici et mulieres nec ex delegatione possunt censuras ferre; attamen quoad viros laicos prohibitio est tantum de jure ecclesiastico; ideo Pontifex potest dispensare. Sed quoad fœminas prohibitio probabilius est de jure divino (*S. Alphonsus*, l. VII, n. 12).

III. Superiores hæretici, excommunicati, suspensi generatim valide nequeunt censuras ferre; cum jurisdictionem non habeant expeditam quoad usum. Dixi: *generatim;* quia docent communiter eos, si non sint notorie tales, valide (etsi illicite) censuras ferre; cum Ecclesia ob bonum publicum eisdem adhuc usum jurisdictionis conservet. Imo docent istos, etsi notorios, adhuc valide censurare; quia ex Martino V, ut quis jurisdictione privetur, requiritur quod sit vitandus *(S. Alph.,* l. VII, n. 12).

CAPUT PRIMUM

De Subjecto, Materia et Monitione ad censuram.

500. **Subjectus censuræ.** Est *solus homo, viator, baptizatus, rationis capax* et *subditus.*

1) *Solus homo;* nam bruta cum culpam committere nequeant, non possunt anathematizari, nisi in sensu lato, quatenus, si nociva (ut locustæ) per quandam adjurationem et execrationem pelluntur ab agris.

2) *Viator;* quia mortui non sunt amplius in eo statu, ut affici possint censura; si enim sunt electi, sunt Deo grati; si reprobi, sunt incorregibiles; eorum autem corpus utpote inanimatum incapax est subjectionis. Unde si quando datur excommunicatio contra mortuos est tantum quoad publica suffragia et sepulturam, quæ pro illis interdicuntur.

3) *Baptizatus,* ideo pagani, judæi et catechumeni nequeunt censura ligari; nam *Ecclesia in neminem judicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus* (Tridentinum, sess. XIV, c. 2 *de Pœnit.).*

4) *Rationis capax,* qui enim usum rationis non habet non potest delinquere. Imo impuberes etsi doli capaces, ob eorum mentis debilitatem non ligantur censura generaliter lata (imo probabilius nec reservatione casuum), nisi id superior exprimat.

5) *Subditus;* nam censura est actus jurisdictionis, qui nonnisi in subditum exerceri potest. Ideo etiam nemo seipsum censura ligare potest; nemo enim fit sui subditus vi coactiva, sed tantum directiva. Unde Episcopi et Cardinales non ligantur censuris a se latis; qui ex privilegio neque suspensione et in-

terdicto ligantur latis a jure, nisi speciatim in ipso jure etiam de illis fiat mentio *(S. Alph.,* l. VII, n. 15) (1).

501. *Resolve:* 1) Episcopus in sua Diœcesi existens potest ex jure censurare suum subditum existentem extra diœcesim, si agatur de crimine in propria diœcesi jam commisso. Item est cum delictum censetur commissum in propria diœcesi, ut si censuretur clericus qui tenetur residere in sua ecclesia, et extra diœcesim velit morari. Item est probabilius si a proprio Episcopo feratur censura per præceptum particulare; nam præceptum immediate afficit personam ubicunque sit. Uti si Episcopus speciali præcepto sacerdotibus vetuerit sub censura ne Missam absolverent breviorem horæ quadrante; sacerdos hac in re delinquens etiam in aliena diœcesi, censuram incurrit *(S. Alph.,* l. VII, n. 22).

2) Si censura lata sit per modum legis generalis, ut est lex synodalis, quæ afficit locum, Episcopus non ligat subditum in aliena diœcesi existentem. Hinc si v. g. lata sit in Synodo suspensio contra clericum qui ludat certis lusibus, si ludat extra diœcesim, non remanet suspensus.

3) *Peregrini,* qui peccant in aliena diœcesi, non incurrunt censuram, quam illius diœcesis Episcopus inflixit in omnes indiscriminatim qui delictum pratraverint, cum non sint ejus subditi. Possunt tamen hic et nunc censura puniri; sed requiritur, ut non agatur de persona exempta, aut de persona superiori; et modo Episcopus non subditum ante ejus discessum e territorio citatione præveniat : tunc ratione judicii inchoati subjectus illi remanet. Quod merito in jure statutum est, ut sic coerceantur mali *(S. Alph.,* l. VI, n. 591; l. VII, n. 26).

502. **Materia censuræ**. Est *culpa mortalis, propria, externa, in genere suo completa et contumaciæ conjuncta.*

(1) Ex privilegio Officiales romanæ Curiæ et Nuntii apostolici non possunt ab Episcopo loci censurari. Item supremi imperantes, reges et reginæ eorumque filii quamvis in spiritualibus subjiciantur Episcopo, nequeunt censura ligari, nisi a R. Pontifice ex privilegio, quod ipsis communiter theologi tribuunt cum s. Antonino. Cæteri ab Episcopo censurantur, ut deputati, senatores, etc.

Episcopus potestate a S. Sede delegata potest censurare etiam regulares exemptos si delinquunt in iis rebus, in quibus Episcoporum vigilantiæ ac jurisdictioni subduntur (Benedictus XIV, de *Syn.*, l. IX, c. 15). Excipe regulares qui speciali gaudent exemptione ut mendicantes ac qui sunt de societate Jesu, quos ajunt tunc tantum potest Episcopus censurare, cum in Diœcesis ecclesiis vel in propriis, non petita illius benedictione vel ipso contradicente præsumpserint prædicare, ex Gregorio XV, c. *Inscrutabili (S. Alph.,* l. VII, n. 241).

Nemo ex dictis potest seipsum censurare, quia in eadem causa non potest quis esse judex et reus; nec inferior superiorem ob defectum jurisdictionis in illum. D. Thomas, *Suppl.*, *q.* 22, *a.* 4.

I. *Culpa;* nemo enim puniri debet, nisi peccaverit. Si quis autem esset innocens, sed ex probatis juste esset censura ligatus, etsi in conscientia obstrictus non remaneat, nec fiat irregularis ministrando in Sacris; in foro tamen externo se gerere debet uti censuratus, ad vitandum scandalum.

II. *Culpa mortalis;* censura cum sit pœna gravis, non incurritur nisi ex culpa item gravi. Si quid ergo præcipiatur sub censura gravi, quod tamen omnibus inspectis, sit leve, censura non incurritur, ut si censura lata sit in fures, et furtum sit leve, spectata ratione rei et personæ.

III. *Culpa propria;* nam peccata (ideo et pœna) suos auctores ligare debent. Si vero agatur de communitate, ea quidem per modum sententiæ potest interdici; imo suspendi ob bonum commune, licet non singuli deliquerint. At quoad excommunicationem, ut Episcopus valide in totam communitatem eam infligat per modum sententiæ, oportet ut singuli ex illa deliquerint; et item ut singuli excommunicentur *(D. Thomas,* Suppl., q. 22, a. 5).

IV. *Externa;* Ecclesia enim non judicat de mere internis. Item oportet ut externus actus sit in *genere suo completus,* nisi aliud legislator exprimat; nam odia restringenda. Quare censuram latam in homicidas non incurrit qui graviter aliquem percutit cum intentione etiam eum interficiendi, si homicidium non sequatur.

V. *Contumaciæ conjuncta;* contumacia hoc loco est quasi censuræ proprie dictæ contemptus, quatenus delinquens scit, nec tamen curat Ecclesiam præcipientem sub censura. D. Thomas, *Suppl.,* q. 21, a. 3 (*S. Alph.,* l. VII, n. 38).

503. **Resolve:** 1) Mandantes vel consulentes aliquid sub censura prohibitum, illam incurrunt, etsi nondum effectu secuto, quando mandatum vel consilium principaliter prohibetur. Secus autem si effectus fuerit principaliter prohibitus; tunc requiritur ut ille sequatur. In dubio non censetur mandatum et consilium prohibitum esse ut principaliter; nam odia restringenda. *Salmanticenses.*

2) Non incurrit censuram qui actionem exercet de se insufficientem ad effectum producendum sub censura prohibitum; ut si quis indigno suffragium dederit, et ille non fuerit electus. *Sanchez.*

3) Ut quis censuram incurrat debet violare legem censura sancitam, non tantum in opinione sua. Hinc qui percutit laicum credens illum esse clericum non censuratur; quia contra conscientiam peccat, non contra Jus canonicum. *Suarez.*

4) Censura non incurritur si dubium sit an ea sit ferendæ vel latæ sententiæ; si dubitetur an casus sub ea cadat, vel an quis eam incurrerit, aut graviter deliquerit; nam odia restringenda sunt, et nemo gravi pœna coercendus est, nisi certo de delicto gravi constet. E

contrario si post censuram incursam dubitetur de ejus absolutione, vel de ejus justitia, tunc se habere debet ut censuratum; quia tunc possessio stat pro superiore et lata censura *(S. Alph.,* l. VII, n. 67).

5) Potest quis pluribus simul innodari censuris ob plura patrata crimina, etsi in eadem specie. Sic qui occidit clericum in loco, ubi homicidium sub censura prohibetur, duplici censura innodatur. Potest autem absolvi ab una et non ab alia; nam potest quis liberari ab una pœna et non ab alia. D. Thomas, *Suppl.*, q. 22, a. 6; et q. 24, a. 3 *(v. S. Alph.,* l. VII, n. 28).

504. **Monitio præmittenda censuræ.** Generatim loquendo, admonitio delinquentis censuram præcedere debet (et quidem communius et probabilius ad validitatem). Cum enim censura sit pœna medicinalis, necessario supponit contumaciam; atqui nemo contumax, nisi fuerit de errore præmonitus (1).

505. Excipe si censuræ sint in jure latæ, quia jus satis subditos monet. Item si censura sit ab homine in particularem comminata; quia per illud præceptum jam habetur facta monitio. Vel agatur de suspensione et interdicto particulari, quæ aliquando ad tempus ferantur ad punitionem criminis omnino præteriti *(S. Alph.,* l. VII, n. 52)

CAPUT SECUNDUM

De Causis excusantibus a censura et ejus Cessatione et Absolutione.

506. Communiter excusant a censura: *Ignorantia, metus, impotentia, consensus illius in cujus favorem censura lata est, atque appellatio.*

507. **Ignorantia quoad censuram.** Excusat a censura *invincibilis ignorantia* tum juris, tum facti, tum pœnæ. *Juris,* ut si scias a te percussum esse clericum, sed nescias hanc percussionem ab Ecclesia censura puniri. *Facti*, ut si scias

(1) Si censura ferenda sit contra plures, generaliter sufficit, ut fiat monitio in Ecclesia coram populo. Si ponatur interdictum contra communitatem, sufficit ut moneantur qui sunt in culpa. Monitio fieri debet ab ipso judice vel ejus nomine; et fieri debet in scriptis, nisi judex procedat ex officio ob commune bonum; tunc potest fieri oretenus, ita tamen ut probari possit in externo foro *(S. Alph.*, l. VII, n. 55; *Scavini*, l. I, n. 825).

Si feratur censura contra particularem personam, ipsa specialiter citanda est, nisi abscondatur aut fraude impediat monitionem; tunc enim sufficit si fiat monitio in ejus domo; et si domum non habeat, in Ecclesia, tribunali aut loco publico. Requiritur autem trina monitio: vel saltem una pro tribus, modo hæc abbreviatio enuntietur, et tempus tribus monitionibus equivalens concedatur, spatium nempe duorum dierum pro singula monitione, ideoque dierum sex.

hanc excommunicationem adesse, sed ignoras a te percussum esse clericum. *Pœnæ*, uti si scias et percussionem clerici ab Ecclesia puniri et quem verberas esse clericum, sed invincibiliter nescias hanc culpam ab Ecclesia censura puniri; nam semper deesset censuræ contemptus; non enim contemnit qui ignorat (1). Item excusat ignorantia leviter culpabilis, culpa enim levis non est graviter punienda (2).

508. *Quid* (quæres) *si ignorantia sit graviter culpabilis?* Si in censuræ comminatione dicatur: *Qui hoc fecerit scienter, consulto, temere, præsumpserit ausu temerario,* etc., ignorantia graviter culpabilis et crassa excusat, quia hæc verba postulant voluntarium perfectum, et scientiam ipsius censuræ — An tunc excuset etiam ignorantia affectata, alii negant, quia hæc verum dolum includit et æquivalet scientiæ. Alii affirmant, quia hæc in rigore non est vera scientia qualis requiritur in pœnis peccanti impositis; neque enim includit dolum formalem, sed tantum virtualem. Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem; sed primæ magis adhæreo saltem ut communiori *(S. Alph.,* l. VII, n. 48)

Si vero in censuræ comminatione illa verba non habeantur, commune est ignorantiam graviter culpabilem non excusare a censura incurrenda; nam vix invenitur ignorantia graviter culpabilis quæ non sit etiam crassa ac supina; qua interveniente ex Jure canonico censura incurritur.

509. **Metus quoad censuram.** Si metus sit levis, ad quem revocatur respectus humanus, non excusat a censura, cum facile contemni possit. Si vero metus sit injustus et gravis respective ad personam, excusat a censura; nam eo in casu leges ecclesiasticæ cessant obligare: ergo et pœna illis adnexa corruat necesse est. Idque valet etsi metus gravis non excuset a culpa, uti si delictum jure quoque naturali vetitum sit; quia

(1) Imo hoc currit etsi ignorantia sit concomitans, ut si quis percutiens clericum ignorans esse clericum, adhuc percussisset si sciret. Nam actu dici non potest quod censuram contemnat, cum actu illam ignoret.

(2) Confessarius cum audit pœnitentem se accusare de crimine cui adnexa est censura, statim interroget, an sciverit illud crimen prohibitum fuisse sub censura: si respondeat se ignorasse, debet pronuntiare censuram non incurrisse, et poterit absolvere.

Si pœnitens respondeat non ignorasse censuram, interrogetur an hujus censuræ recordatus fuerit, dum delictum patravit, vel potius fuerit oblitus, seu non animadverterit; semper autem cum ejusdem censuræ non recordatur in actu quo delictum committit, eam non incurrit. *Roncaglia.*

Imo aliquando simplex confessarius potest absolvere etsi pœnitens ad peccatum reservatum adverterit; *v. t.* II, n. 715.

semper deest contumacia in Ecclesiam, etsi lex naturalis graviter violetur.

Excipiunt tamen si observatio legis humanæ necessaria videatur pro conservando bono publico; vel si violatio cedat in contemptum fidei aut potestatis ecclesiasticæ. In tali casu, cum nullus metus excuset ab observatione legis ecclesiasticæ, ita neque excusat a censura *(S. Alph.,* l. VII, n. 46).

510. **Impotentia quoad censuram.** Excusat a censura impotentia sive sit physica sive moralis; nemo enim potest ad impossibilia obligari. Hinc qui non habet unde restituat, vel nequeat sine gravi incommodo restituere, non incurrit censuras latas in non restituentes. — Item excusat *consensus illius, in cujus favorem censura lata est.* Casus esset si censura lata sit in debitorem, qui intra datum tempus debitum non solvat; sed creditor sponte ei proroget tempus, vel debitum condonet.

511. **Appellatio quoad censuram.** Excusat a censura *appellatio legitime interposita;* hæc enim devolvit causam ad superiorem, suspendit usum jurisdictionis in inferiore, ideo et censuram. Sed necesse est, ut fiat ante censuræ irrogationem; etenim si jam lata sit censura, ea obtinet, donec a superiore cui appellatum est, cassetur *(S. Alph.,* l. VII, n. 63).

512. **Modus censuram delendi.** Censura deletur multipliciter: 1) *Abrogatione,* quæ obtinet cum ferens censuram totaliter abrogat. 2) *Revocatione,* si qui illam tulit, revocat — 3) *Morte ferentis,* si censura sit ab homine. Cæterum in hisce casibus cum agatur de censura jam contracta, qui ea ligatus est, ut liberetur, ab illa absolvi debet — 4) *Cassatione;* quæ fit auctoritate superioris in judicio appellationis — 5) *Lapsu temporis,* si ad tempus tantum fuerit inflicta — 6) *Absolutione,* quæ requiritur etsi censuratus se retractaverit, ac condignam pœnitentiam egerit (D. Thomas, *Suppl.,* q. 24)..

513. **Absolutio a censuris.** Hac de re resolve:

I. A censuris non reservatis potest absolvere quilibet confessarius (1). Sed excipe censuras latas ab homine per sententiam particularem, a quibus non potest absolvere nisi qui eam tulit,

(1) Licet enim ex jure ordinario nec confesarii nec parochi hanc facultatem habeant, nam sicut ad ferendas censuras, ita ad absolvendas requiritur jurisdictio in foro externo; attamen illam habent ex Innocentio III, c. *Nuper* 29; et firmatur auctoritate d. Thomæ, *Suppl.,* q. 24, *a.* 1. Quæ facultas ex eodem Angelico extenditur ad omnes censuras non reservatas, nempe ad suspensionem et interdictum personale, etsi istarum absolutio non requiratur ad perceptionem sacramenti Pœnitentiæ. *(S. Alph.,* l. VII, n. 70).

vel ejus successor aut superior. Item dicendum de aliis censuris reservatis, nisi agatur de mortis periculo; tunc enim deficiente qui facultatem habet, quilibet confessarius (imo quilibet sacerdos) potest absolvere ab omnibus omnino censuris quocunque modo reservatis: nam æquum est, ut omnibus modis juvetur moribundus. Verum ab infirmo exigenda est non solum sub gravi promissio satisfaciendi parti si fuit læsa, sed etiam ipse monendus est de gravi obligatione se præsentandi superiori si convaluerit (1) — Quod quidem certum est ex Const. *Apostolicæ Sedis*, si agatur de censuris speciali modo Pontifici reservatis; sed probabilius et communius cum s. Alphonso idem dicendum, si agatur de aliis censuris Papæ reservatis; non quidem ut iterum absolvatur, sed ut stet mandatis Ecclesiæ et innotescat superiori quod fuerit absolutus. Quod si non se præsentet ex negligentia, non solum graviter peccat, sed ex jure reincidit in censuram, perinde ac si non fuisset absolutus. Quando autem Tridentinum decernit, in articulo mortis omnem reservationem cessare, non loquitur de censuris; sed de casibus reservatis, quos tunc quilibet confessarius potest directe absolvere sine reincidentia si ægrotus convaluerit (2).

II. Episcopi ex Tridentino, cap. *Liceat*, vel per se (sub quo nomine veniunt Vicarius capitularis et Prælati cum jurisdictione quasi episcopali), vel per alios specialiter delegatos possunt absolvere subditos suos (probabilius etiam extra diœcesim) in foro conscientiæ tantum, ab omnibus casibus et censuris occultis Papæ reservatis, exceptis quæ sunt speciali modo Papæ reservatæ, ex Constit. *Apostolicæ Sedis*. Et possunt absolvere etiam peregrinos, cum fiant subditi, se in foro sacramentali submittendo *(S. Alph.*, l. I, App. 2ª, nn. 29 et seqq.) (3).

(1) Quod si confessarius absolvisset sine tali monitione, adhuc pœnitens si convaluerit, tenetur se præsentare superiori; hæc enim obligatio directe afficit pœnitentem, et a superiore jam imposita est.

(2) S. Pœnitentiaria interrogata: « Confessor simplex, præsente alio facultatem habente in periculo mortis directe et sine admonitione adeundi superiorem si convalescat, absolvit peccata cum censuris reservata, judicans se habere hanc facultatem a Tridentino, et quia multi viventes theologi hoc idem docent, quæritur utrum confessor hic inquietandus et reprehendendus sit? » Respondit consideratis expositis: *Orator consulat probatos auctores*, 21 nov. 1873. Porro inter probatos auctores probatissimus certe est s. Alphonsus, ut merito concludunt *Vind. Alph.*, edit. 2, t. II, pag. 192.

Si vero agatur de censuris ab Episcopo reservatis, tunc confessarius simplex, præsente ipso Episcopo, in mea sententia non potest ab illis absolvere. Cum enim debeat pœnitens si convaluerit se Episcopo præsentare, id potest facere statim cum Episcopus adsit; ideo debet *(S. Alph.*, l. VII, n. 92).

(3) Communissime et probabilius docent posse Episcopum etiam generaliter delegare alicui sacerdoti hanc facultatem cap. *Liceat*, modo illam expresse specificet;

Imo Episcopi ex communi sententia cui subscribo, possunt per se vel per alios singulariter delegatos absolvere in utroque foro ab omnibus censuris et casibus papalibus quocunque modo vel etiam specialiter reservatis, etsi notoriis seu publicis, omnes fideles qui legitime sunt impediti personaliter Romam adire, ne ex dilatione absolutionis animabus periculum immineat; id probatur ex c. *Ea noscitur* XIII *de excomm.* (S. Alph., *l.* VII, *n.* 84; et dicenda n. 560).

Sed tunc si impedimentum sit ad *longum tempus,* nempe si duret saltem per sex menses, potest utique absolvere Ordinarius diœcesis, sed emitti debet ab impedito, ut valeat absolvi, juramentum de se quantocius superiori præsentando sub pœna reincidentiæ. Si impedimentum sit ad *breve tempus*, infra sex menses, poterit ab Ordinario absolvi, si urgeat necessitas ad vitandum scandalum vel infamiam, sed manente censura, si negligit obligationem se præsentandi superiori. Si vero impedimentum sit *perpetuum* (et tale generatim habetur si durare possit per *decennium,* juxta alios per annos *quinque)* poterit pœnitens ab Ordinario vel ejus delegato absolvi absolute et pro semper.

Censentur autem perpetuo impediti Romam personaliter adire sexagenarii, Regulares etiam quoad incursas censuras ante ingressum in religionem, pauperes nisi agatur de mendicis vagabundis, mulieres (nisi agatur de monialibus clausuram violantibus), impuberes etsi petant absolutionem pubertate adepta, pueri, filiifamilias, carceribus detenti, graviter infirmi, servi, milites, collegialiter viventes, obstricti cura alendi familiam vel gerendi publicum officium, et cæteri qui nequeunt Romam proficisci sine gravi respective damno suo vel suorum temporali vel spirituali.

514. Sancta Officii Congregatio interrogata: « An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem ad absolutionem a casibus Sedi apostolicæ reservatis impetrandam, respondit 8 julii 1860: *Consulat probatos auctores, inter quos s. Alphonsum Mariam de Ligorio.* » Porro ex s. Alphonso probabilior et communis est sententia negativa; tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur ex jure Episcopis potestas ordinaria et propria absolvendi per reservationem ipsis ablata: tum quia (ut ait Roncaglia) jus non obligat reum, nisi ut personaliter adeat Papam; unde si id præstare nequit, ad aliud non tenetur *(S. Alph.,* l. VII, n. 89) (1).

nam specificando jam habetur facta specialis deputatio, quæ quidem poterit inde generalis esse pro cunctis casibus occurrentibus; nam hæc facultas hodie competit Episcopis de jure ordinario etsi delegato *(S. Alph.*, l. I, App. 2.ª n. 34).

(1) Quod autem ad S. Pœnitentiariam fiat recursus, non concludit; hoc privilegium est favorabile, quo nemo uti tenetur : vel etiam ad illam fit recursus ob temporarium impedimentum, ut eo tunc cessante, obligatio minime reviviscat. Ita probabilius et communiter cum Alasia, Milante, Roncaglia, Salmanticensibus, contra Lugo et Bonacina *(S. Alph.,* l. VI, n. 563; l. VII, n. 89).

An vero diu impediti adire Episcopum possint a quocunque confessario absolute a reservatis absolvi, etsi plures probabiliter affirment, nam ubi eadem est ratio, idem jus esse debet; negandum tamen est ut docent communius; quia hoc conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Adde vix contingere ut ad Episcopum fieri non possit recursus *(S. Alph.,* l. VII, n. 92).

Et in hoc casu poterit item absolvere Vicarius generalis Episcopi; nam Vicarius bene potest quod potest Episcopus potestate ordinaria propria. Non autem poterit sine speciali delegatione absolvere a casibus et censuris papalibus ex cap. *Liceat*, non impeditos Romam adire; nam id competit quidem Episcopis potestate ordinaria delegata, non autem propria *(S. Alph.,* l. I, App. 2ª, n. 31).

515. **Resolve:** 1) Archiepiscopus licet Episcopo superior nequit suffraganeos a censuris absolvere, nisi in causa appellationis aut visitationis ex officio; tunc enim tantummodo jurisdictione potitur.

2) Superior ecclesiasticus vel ejus delegatus potest absolvere a censura, etsi non sit sacerdos; nam hæc facultas residere potest in clerico tonsura tantum insignito.

3) Qui habet facultatem generalem absolvendi a censuris papalibus non ideo absolvere potest a specialiter Papæ reservatis, nisi id expresse declaretur: ex Const. *Apostolicæ Sedis.*

4) Qui pluribus est ligatus censuris, potest absolvi ab una, non ab aliis, si inter illas non adsit necessaria connexio. Sane pluribus catenis ligatus, ab una liberari potest, non ab aliis.

5) Absolutio a censuris dari potest etiam sub conditione de futuro, v. g. *si censuratus restituerit, illico solutus evadat;* secus non.

6) Absolutio extorta a superiore per metum gravem illi incussum est invalida ex c. unic. *de his, qui vi in* 6. Item si data sit ob causam falsam, quæ sit principalis; non enim haberet cui subsisteret.

7) Ad licitam absolutionem necesse est, ut censuratus illam postulet; gratia enim non tribuitur ei, qui illam non curat. Attamen aliquando ea datur adhuc contumaci vel ob bonum publicum vel ut facilius resipiscat (1).

8) Necesse est ad absolutionem, ut censura irretitus parti læsæ satisfaciat, vel si non valeat hic et nunc, juret se quamprimum poterit satisfacturum. Item reparandum est scandalum meliori quo potest modo, judicio Ordinarii vel confessarii; id enim necessarium est de jure divino. Hinc in facultate absolvendi addi solet: et *aliis de jure injungendis.*

9) Seclusa prohibitione, absens potest valide absolvi a cen-

(1) Ad rem d. Thomas, Suppl., q. 24, a. 2: *Non requiritur ad pœnam quod sit voluntaria, imo magis est de ratione pœnæ quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito; sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit.*

sura, etsi reus vel superior extra diœcesim sit. Hæc enim absolutio est mera vinculi relaxatio, quæ etiam per literam datur *(S. Alph.,* l. VII, n. 81).

10) Absolutio, nisi aliud præcipiatur, dari potest extra Confessionem, cum illa magis forum externum respiciat. Quod valet, uti docent cum Suarez, etsi absolvendi facultas dicatur danda: *in foro conscientiæ* vel *injuncta pœnitentia salutari:* per id enim significatur licentiam illam non extendi ad forum judiciale seu contentiosum. Sed generatim convenit, ut absolutio tribuatur in Pœnitentiæ sacramento; quia censuratus melius disponi solet, et sic fert usus *(Scavini,* l. I, n. 832).

11) Ex Rituali romano, si agitur de absolvendo in foro interno, usurpanda est communis forma quæ adhibetur in ipsa sacramentali absolutione cum intentione manifestata pœnitenti eum absolvendi a speciali illa censura. Si vero absolutio sit pro foro externo, tunc si a superiore præscribatur forma, ipsa adhibenda erit; sin autem ordinarie hac forma detur absolutio: *Dominus N. J. Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius et Ss. Domini Nostri Papæ N. (vel reverendissimi Episcopi N.) mihi concessa, absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi propter talem causam N.* (nominetur causa), *et restituo te communioni et unitati fidelium et sanctis Sacramentis Ecclesiæ; in Nomine* etc. (Scavini, *l.* I, *nn.* 946 *et seqq.).*

Cæterum ad dandam validam absolutionem non requiritur ut exprimatur causa ob quam censura fuit incursa; neque determinata verborum formula, cum satis sit voluntas absolventis, aliquo signo externe manifestata *(S. Alph.,* l. VII, n. 116).

CAPUT TERTIUM

De Censuris in specie.

516. Ex vigenti Ecclesiæ disciplina censura revocatur ad excommunicationem, ad suspensionem atque interdictum.

Art. 1. — De Excommunicatione.

517. **Excommunicatio.** Est censura, qua christianus separatur a societate seu communione fidelium, et privatur bonis quorum distributio ad Ecclesiam pertinet. In Jure canonico ex-

communicatio duplex distinguitur: *major*, quæ privat omnibus bonis Ecclesiæ communibus; *minor*, quæ bonis aliquibus tantummodo privat.

518. Excommunicati excommunicatione majori, alii dicuntur *tolerati* seu non vitandi, quos nempe fideles vitare non tenentur. Alii *non tolerati* seu vitandi, quos ipsi fideles vitare debent sub excommunicatione modo *majori*, ut si quis cum illis communicet in ipso crimine; modo *minori*, ut si quis communicaret cum illis, non tamen in crimine criminoso. Ante Concilium Constantiense omnes excommunicati majori excommunicatione erant vitandi; sed postea ex Const. Martini V *Ad vitanda scandala*, vitandi tantum erant notorii percussores ecclesiasticorum, et excommunicati nominatim, id est per sententiam in illos expresso nomine et publice latam — At hodie ex Const. Pii IX *Apostolicæ Sedis* illi tantum de jure communi sunt vitandi, qui nominatim excommunicantur a Papa; porro a Papa sic excommunicati habentur qui ab ipso uti tales sunt declarati, vel publici percussores clericorum. Qui autem cum istis communicant in crimine criminoso (id est in crimine ob quod censura lata est), eis scilicet impendendo auxilium aut favorem; sicut et clerici qui scienter et sponte illos admittunt ad divina officia, incurrunt majorem excommunicationem Papæ simpliciter reservatam.

Atque ideo ipsa excommunicatio minor (quæ nempe privat Sacramentorum participatione) amplius non viget contra communicantes cum excommunicatis vitandis, etsi adhuc vigeat lex quæ fidelibus talem communicationem prohibet extra legitimam causam (v. *infra nn.* 616, 617).

519. **Resolve:** I. Excommunicatus toleratus potest licite communicare cum fidelibus, si ab ipsis rogetur, id enim concessum est a jure. Si vero non rogetur saltem implicite, communicare prohibetur sub gravi in divinis; in humanis sub levi, nisi justa causa aliud suadeat, vel contraria consuetudo, quæ ferme ubique viget (v. *n.* 536).

II. Ut vitari debeat excommunicatus non toleratus, oportet vel ut sit notorius clerici percussor, adeo ut factum non possit ulla tergiversatione celari, etsi denuntiatum non fuerit; vel ut nominatim excommunicatus ac vitandus, sit publice notus uti talis, et signis indubiis ab alio omnino discernatur (*S. Alph.*, l. VII, n. 136).

III. Casus in quibus fideles tenentur vitare excommunicatum non toleratum continentur hisce versiculis:

Si pro delictis anathema quis afficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1) *Os*, id est colloquia, literæ, signa benevolentiæ — 2) *Orare;* id est quælibet in divinis communio, uti assistere Missæ, recipere Sacramenta, etc. — 3) *Vale,* nempe particulares salutationes — 4) *Communio,* societas negotii, habitationis, etc. — 5) *Mensa,* nempe reciproca convivia *(D. Thomas,* Suppl., q. 21).

IV. Sunt tamen casus in quibus jura et Doctores permittunt fidelibus communicare cum vitando. Qui hic notantur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1) *Utile;* utilitas nempe tum ipsius excommunicati, v. g. ut resipiscat, tum aliorum. Ita licet ab eo consilium petere pro lite, si non adsit alius æque idoneus — 2) *Lex,* nempe matrimonialis, ob quam conjuges possunt invicem communicare, et in aliis omnibus mutuo conversari, ut ait d. Thomas *(in* 4, *d.* 18, *q.* 2, *a.* 4). Item et debitum conjugale petere et reddere ad vitandum incontinentiæ periculum, etsi illorum unus sit vitandus — 3) *Humile,* nempe subjectio debita majoribus, quæ adhuc licite exhibetur; ut filii etiam emancipati erga parentes, clerici erga prælatos, milites erga duces, famuli erga dominos et vicissim (1) — *Res ignorata,* si nempe quis ignorat aliquem esse excommunicatum. Satis probabiliter excusat etiam ignorantia crassa — 5) *Necesse,* id est gravis necessitas sive spiritualis sive temporalis. Hinc licite tribuitur excommunicato vitando eleemosyna si ea indigeat; sicut etiam potest ab eo peti hospitium. Item est si quis cogatur gravi metu ad talem communionem, modo non sit in contemptum religionis vel ecclesiasticæ potestatis, neque in re intrinsece mala. *D. Thomas,* Suppl., q. 23 (V. *s. Alph.,* l. VII, n. 206; *Scavini,* l. I, n. 949).

V. Cæterum communicare cum vitando etiam sine causa non excedit veniale peccatum ex communi theologorum. Excipe: 1) Si communicatio fiat in contemptum prohibitionis ec-

(1) Attamen famuli, uxores aut filii non possunt communicare cum excommunicato in divinis nisi in iis, in quibus communicatio est necessaria ad præstandum obsequium debitum *(S. Alph.,* l. VII, n. 204).

clesiasticæ — 2) Si communicatio sit in divinis et in re graviori, ut si quis cum vitando solemniter recitet Horas, ab eo beneficium acceptet, etc. — 3) Si communicatio etiam in civilibus ob nimiam frequentiam aut familiaritatem periculum perversionis inducat, aut scandali — 4) Si communicatio sit in ipso crimine criminoso — 5) Si communicatio sit in iis, in quibus sub gravissimis pœnis Ecclesia communicare prohibet *(S. Alph.,* l. VII, nn. 196 et seqq.).

520. **Effectus excommunicationis.** Alii sunt *immediati,* alii *mediati,* prout vel ab ipsa censura, vel a perseverantia in censura aut ejus violatione oriuntur. Effectus *immediati* sunt: 1) Privatio tum activa Sacramentorum, idest facultatis ea conficiendi et ministrandi; tum passiva, idest facultatis ea suscipiendi — 2) Privatio participationis publicorum suffragiorum et precum in Ecclesia communium — 3) Privatio divinorum Officiorum, et ecclesiasticorum Beneficiorum inhabilitas aliarumque gratiarum — 4) Privatio communionis forensis et civilis, jurisdictionis ac sepulturæ ecclesiasticæ.

521. Effectus vero *mediati* seu remoti sunt: 1) *Irregularitas,* quam incurrit qui tali excommunicatione innodatus exercet solemniter actum alicujus Ordinis sacri; vel illicite Sacramenta ministrat (v. *t.* II, *n.* 843) — 2) *Hæresis suspicio,* qui enim per annum in censura insordescit, contra illum ex Tridentino, *tanquam de hæresi suspectum procedi potest* (sess. XXV, c. 3 *de Ref.);* nam præsumitur male sentire de potestate Ecclesiæ (1) — 3) *Probatio delicti;* qui enim annum perdurat obstinate in excommunicatione, habetur pro convicto et confesso de crimine patrato — 4) *Privatio Beneficiorum;* si excommunicatus triennio sic perseveret, debet privari Beneficiis omnibus; nam si humanum est peccare, diabolicum est perseverare, angelicum vero se emendare *(S. Alph.,* l. VII, n. 157).

522. **Excommunicationis justitia, æquitas et gravitas.** Qui in excommunicationem incidit, ideo est, quia Ecclesiam noluit audire; sed qui Ecclesiam non audit, ex Christi verbis est habendus ut ethnicus ac publicanus. At numquid poterit infideli Sacramenta ministrari, sepultura ecclesiastica donari, et alia bona Ecclesiæ ei tribui? qui renuit Ecclesiæ præsulibus subdi, neque Ecclesiæ bonis frui meretur. Necesse ergo est, ut primum se retractet a sua pervicacia: privatim, si ejus delictum occultum sit; publice, si delictum publicum. Esto quod censurati in hilaritate ducant dies suos, et in ore ipsorum forsan

(1) Alii ex ipso Tridentino contendunt id esse intelligendum de eo tantum qui perseverat in excommunicatione (non vero in aliis censuris), ac de excommunicato nominative denunciato.

sit laudatio, risus atque cachinnus. Quid inde? si censura directam corpori coactionem non infert, animam ligat. Quanquam et in hoc mundo censurarum contemptores non raro punit Deus (v. exempla apud *Scavini*, l. I, nn. 951 et seqq.).

§ 1. — De privatione Sacramentorum, Suffragiorum, Precum, divinorum Officiorum, ac Beneficiorum et Gratiarum inhabilitas.

523. **Privatio activa Sacramentorum.** Si agatur de *validitate,* excommunicatus licet vitandus, Sacramenta valide conficit et ministrat; ubi enim omnia ad Sacramentum necessaria concurrunt, nequit Ecclesia illud invalidare (1). Excipitur *Pœnitentia* pro excommunicato vitando; cum ad illud requiratur etiam potestas jurisdictionis, qua vitandus privatur ab Ecclesia, nisi error communis cum titulo colorato illam suppleat, vel agatur de aliquo casu necessitatis (v. *infra* n. 537).

Si vero agatur de *licitate,* distingue inter toleratum et non toleratum. 1) *Toleratus* prohibetur sub gravi Sacramenta ministrare, et si ministrat fit irregularis, nisi adsit necessitas, vel a fidelibus expostuletur. Imo docent complures eundem posse etiam celebrare, etsi non expostuletur, si dies festus occurrat, neque alius adsit sacerdos qui Missam celebret; nam recte præsumitur populus Missam petere ad implendum præceptum. Semper tamen supponimus quod et ministrans, et celebrans se ponant in statu gratiæ; secus semper sacrilege agerent.

2) *Non toleratus* nequit ne rogatus quidem Sacramenta conficere aut ministrare (nisi id necesse sit ad vitandam infamiam, vel ad proximo succurrendum in necessitate). Secus gravissime peccat; cum graviter omnis communicatio in divinis cum fidelibus non tantum illi, sed et fidelibus interdicta sit, et irregularitatem incurrat ob censuræ violationem.

Dixi: *Vel ad proximo succurrendum.* Nam a vitando licet petere Baptismum et Pœnitentiam, cum sint tantæ necessitatis. Idem docent de Extrema-Unctione, si infirmus aliter juvari non possit; de Ordine, si communitas egeat sacerdotibus; de Matri-

(1) Hinc d. Thomas: *Potestas ministrandi* (et conficiendi) *Sacramenta pertinet ad spiritualem characterem qui indelebilis est; et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate; et ideo Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo. Et similiter ille qui ab eo accipit Sacramentum; et sic non percipit rem Sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusetur* (3, p. q. 64, a. 9).

monio, si fama sponsorum tuenda, vel prolis bonum id postulet (*S. Alph.*, l. VII, n. 171).

524. **Privatio passiva Sacramentorum.** Excommunicatus sive toleratus sive non toleratus valide omnia Sacramenta, saltem quoad substantiam, suscipit, excepto sacramento Pœnitentiæ. Imo verius ne isto quidem excepto, si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi, nec cætera desint requisita; nam ex una parte non est indispositus, quia ignorando se esse excommunicatum, ignorat etiam suam indispositionem; ex altera nequit Ecclesia directe inhabiles reddere ad Sacramenta qui sunt jure divino habiles (1).

Si autem quæratur de licitate, cuilibet excommunicato sive vitando sive non, sub mortali prohibetur Sacramenta suscipere; nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis (non tamen incussus in contemptum censuræ), jacturæ famæ, bonorum, etc.; quia censura per se non obligat cum tanto rigore (*S. Alph.*, l. VII, n. 159) (2).

525. **Resolve:** I. Minister, qui scienter ac sponte confert Sacramenta excommunicato vitando, peccat graviter quia communicat in divinis cum indigno. Imo clerici ad divina officia admittentes scienter et sponte excommunicatos nominatim a Papa incurrunt excommunicationem Papæ simpliciter reservatam. Qui vero admittunt nominatim ab aliis excommunicatos, interdicto ab ingressu Ecclesiæ tenentur ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (v. *n.* 617).

II. Qui Sacramentum scienter confert excommunicato non vitando, peccabit quidem mortaliter contra præceptum divinum, quod prohibet Sacramenta indignis ministrare; tanto magis si aliis id notum sit, cum addatur scandalum. Non tamen peccabit vi censuræ, idest contra legem ecclesiasticam: quia hæc prohibet tantum ipso excommunicato, ne communicet cum fidelibus nisi ab ipsis rogetur. Hinc licet ministrare Sacramenta excommunicato, qui sit in bona fide, quia tunc non datur indigno, si alias dispositus sit, et Sacramenta petat; et præstet illum relinquere in sua bona fide.

(1) Suarez id censet locum habere etsi excommunicatio sit reservata, vel confessarius id sciens malitiose absolvit; nam censura directe afficit pœnitentem. Qui tamen statim ac dignoscit adesse censuram, curare debet ut ab habente facultate absolvatur.

(2) Item confessarius absolvere deberet pœnitentem censura etiam Papæ reservata irretitum, qui nequiret absque gravi scandalo vel infamia (quia censura est occulta) omittere Sacramentorum receptionem, Missæ celebrationem, etc. Et postea illum remittere ad habentem facultatem, ut directe etiam absolvatur; vel ipse hanc facultatem obtinere.

III. Si dubium sit an censuratus sit absolutus, casu quo petat, maxime si affirmet se absolutum, ei licite ministratur Sacramentum; quia non est præsumendus velle de novo delinquere, nisi gravia sint indicia contraria (*S. Alph.*, l. VII, n. 160).

526. **Privatio suffragiorum.** Si sermo sit de suffragiis et precibus privatis, quæ nempe fideles proprio tantum nomine peragunt (uti sunt jejunia, orationes et alia, quæ ab ipsis fidelibus fiunt, aut ab Ecclesiæ ministris, prout sunt personæ privatæ) quilibet potest pro excommunicatis etiam vitandis ea peragere etiam in Ecclesia; cum hæc non subdantur Ecclesiæ potestati. Imo sacerdos potest etiam pro iis Sacrificium offerre ex sua propria privata intentione et nomine proprio (et accipere ab iis stipendium ex Billuart); vel eorum in specie meminisse in *Memento*, ad hoc ut Deus eos convertat. Excommunicati enim licet vitandi non privantur communione caritatis, quæ omnes amplectitur.

Si vero sermo sit de precibus ac suffragiis, quæ fidelibus proveniunt ex operibus nomine Ecclesiæ ab ejusdem ministro actis, uti sunt Missæ, exequiæ, Officia aliaque pia opera, quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris prout sunt tales, nempe in persona Ecclesiæ (ad quæ etiam Indulgentiæ revocantur), certum est hæc non posse valide applicari excommunicatis vitandis, uti constat ex Jure canonico.

Si vero agatur de *toleratis*, an possit pro illis nomine Ecclesiæ offerri Sacrificia, fieri suffragia, exequiæ, funera et communes in Ecclesia preces fundi ac Officia decantari, alii negant cum Bellarmino, nam permissio communicandi in divinis fuit facta solum in commodum fidelium. Alii cum Navarro et Salmanticensibus affirmant, nam communicatio illa indistincte permissa fuit. Utraque sententia probabilis; ideo secunda potest tuto teneri, maxime si secus timeantur gravia damna; remoto tamen a fidelibus scandalo, si timendum sit (1).

527. **Privatio divinorum officiorum.** Per officia divina hic intelliguntur Missa, publicæ processiones, Horæ solemniter decantatæ, solemnis benedictio, consecratio chrismatis, benedictio candelarum et similes cæremoniæ, quæ fiunt ex insti-

(1) Tanto magis (addit s. Alphonsus), quia jure antiquo non erat vetitum pro excommmunicatis occultis suffragia publica offerre. uti colligitur ex cap. *Cum non ab homine de sent. excomm.* Ergo nunc licitum esse debet suffragia illa offerre etiam pro excommunicatis publicis, cum hodie ex Constantiensi Concilio permissa sit publica cum illis communicatio (l. VII, n. 164).

tuto Christi vel Ecclesiæ; aut quæ propriæ sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, etc. Hoc posito:

528. **Dico:** I. Excommunicatus (etiamsi sit toleratus) si non rogetur a fidelibus, prohibetur sub gravi interesse divinis Officiis; quia censura privat eorundem usu, nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali. Unde excommunicatus si Sacrum faciat et excommunicationis recordetur, tenetur si potest sine admiratione, Missam interrumpere, nisi jam consecraverit. Verum a prohibitione excipitur: 1) *Auditio concionis*, id enim Ecclesia libenter permittit, ut excommunicatus ad conversionem inducatur; sed privatur facultate concionandi, legendi in theologia, interpretandi publice jus canonicum — 2) *Usus sacramentalium;* quæ inter officia divina non recensentur. Unde excommunicato etiam vitando non prohibetur eorum usus, non quidem ut participet fructuum; sed ut ea veneretur. Ita potest uti imaginibus, Reliquiis, aqua benedicta et aliis sacris, ut eas honorando, gratiam resipiscendi obtineat. Hinc prohibentur:

Missa, preces, Horæ, processio publica, quidquid
Clerus agit solemne: Sacramentalia, Verbum
Excipe; namque istis uti, hoc audire licebit.

529. **Dico:** II. Obligatus ad Horas per excommunicationem non liberatur, sive sit vitandus sive non; nam *nemo debet reportare commodum ex propria iniquitate.* Quod valet etsi teneatur ad illas sola ratione Beneficii, et fructus non percipiat; quia evenit ex sua culpa. Tenetur tamen Horas privatim recitare, et recitando non debet dicere: *Dominus vobiscum,* sed *Domine exaudi orationem meam;* quia illa formula importat quandam salutationem ad populum; secus venialiter peccaret.

530. Horas privatim recitare cum aliis non videtur excedere veniale vel pro ipso vitando. Quia licet isti prohibeatur cum aliis communicare etiam in oratione privata; attamen, secluso scandali periculo et Ecclesiæ contemptu, non censetur materia gravis socium sibi sumere. Imo famulus, vel sacerdos jussu domini vel Episcopi excommunicati vitandi, cum illo recitans, ne leviter quidem peccat; quia tunc obsequium famulatus præstat (*S. Alph.*, l. VII, n. 174).

531. *Resolve:* I. Ecclesiastici licite possunt sacra Officia peragere, et fideles iis interesse una cum excommunicato, si toleratus; quia tunc ipsis permittitur cum tali excommunicato communicare. Si vero sit vitandus, hoc nefas est ob rationem con-

trariam; hinc probabilius sub gravi prohibitum est, assistere cum tali excommunicato processioni, solemni benedictioni, etc., tanto magis, si assistant eidem Missæ sacrificio.

II. Si fideles in eandem ecclesiam cum ipso vitando pergant et adsint Missam audituri; attamen diversam Missam audiant, recedere non tenentur; nec sacerdos qui pro istis fidelibus celebrat Sacrum relinquere. Quia non est communicatio in eodem divino; sed illa assistentia in uno loco materialiter se habet *(S. Alph.,* VII, n. 177).

III. Si excommunicatus vitandus vult assistere divinis Officiis, monendus ut discedat; quod si monitus ut discedat, vult permanere, ab ecclesia expellendus. Quod si expellendo grave timeatur incommodum (quod hodie timendum est maxime ex parte civilis potestatis), tunc Officia etsi inchoata sunt relinquenda, et alibi si fieri potest absque solemnitate finienda.

Et similiter sacerdos si Missam celebrat, etiam festo die abrumpat, Canone nondum inchoato. Si Canonem inchoaverit, poterit (cæteris abeuntibus) Sacrum perficere, vel ex sententia æque probabili adhuc abrumpere. Si vero jam consecraverit, solo manente ministro pergat usque ad Communionem inclusive, et alia perficiat in Sacrario vel loco decenti *(S. Alphon.,* l. VII, n. 177).

532. **Ad Beneficia inhabilitas.** Excommunicatus etiam non vitandus fit ex jure prorsus inhabilis ad beneficia ecclesiastica de novo obtinenda. Excipiunt si Papa scienter conferat beneficium excommunicato, vel addat clausulam absolutionis ad cautelam, uti solet.

533. Quod dictum est de ecclesiasticis Beneficiis, idem communiter dicunt tum de pensione clericali, quæ datur in titulum Beneficii ob ministerium ecclesiasticum; tum de pensione ecclesiastica licet temporali, quæ datur ob officium ecclesiasticum, v. g. Vicario Episcopi.

534. **Inhabilitas ad Rescripta, aliasque ecclesiasticas gratias.** Ex Jure canonico excommunicatus sive vitandus sive non, fit ineptus ad obtinenda quæcunque ecclesiastica *Rescripta* tam gratiæ quam justitiæ, ita ut quidquid fuerit impetratum, ipso jure nullum sit. Quæ omnia facile percipiuntur si natura excommunicationis consideretur; hæc enim importat privationem bonorum Ecclesiæ *(S. Alph.,* l. VII, n. 180) (1).

(1) Ex cap. *Dilectus* XXVI *de rescript.* Hinc in Apostolicis Literis, in quibus conceditur dispensatio, aut aliqua gratia, præmitti solet absolutio a censuris sed tantummodo ad effectum gratiam illam specialem consequendi: unde est potius su-

§ 2. — De privatione Communicationis forensis et civilis, Jurisdictionis, Sepulturæ ecclesiasticæ, et de Monitorio.

535. **Privatio communicationis forensis.** Hæc communicatio respicit ea quæ pertinent ad judicium sive civile sive ecclesiasticum. Hac de re jure decernitur:

1) Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione forensi privatur ipso facto. Unde valide agit; sed potest repelli — 2) Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad judicium pertinente in foro civili: proinde nequit esse judex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator, etc. Pariter nequit esse tutor, aut executor testamentarius (verum istæ juris dispositiones hodie in foro civili non amplius admittuntur).

A fortiori privatur omni actione in foro ecclesiastico; at potest appellare, et appellationem prosequi *(S. Alph.,* l. VII, n. 184).

536. **Privatio communicationis civilis.** Hæc importat, ut nec ipse excommunicatus cum aliis, nec alii cum ipso communicare valeant in re civili ac politica per modum sive societatis sive conversationis, nisi ex dictis causa excuset (*n.* 519).

Hæc de solis vitandis: ex hodierna enim consuetudine tolerati non amplius peccare videntur in civilibus cum fidelibus communicando, etsi ab illis non requirantur. Dixi *in civilibus;* non enim possunt communicare in divinis, nisi fuerint requisiti ex S. Pœnitentiaria 5 julii 1867 *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. XIV, n. 20; *Op. mor.*, l. VII, n. 138).

537. **Privatio jurisdictionis.** Excommunicatus vitandus in foro tam interno, quam externo, privatur omni usu jurisdictionis, si quem habebat. Unde valide nequit eligere neque præsentare ad Beneficium, tanto minus illud conferre: et qui ab eo Beneficium accipit, est intrusus. Item neque leges valide condere, censuras ferre aut sententias dare, nisi error communis cum titulo colorato jurisdictionem suppleat. Vid. d. Thomas, *Suppl.*, q. 22, a. 3.

Excommunicatus vero toleratus, peccaret quidem graviter (non tantum ecclesiasticus, sed probabilius etiam laicus), si in

spensio, qua tribuitur, ut non obstante censura, quæ quoad alios suos effectus adhuc subsistit, possit quis frui hac vel illa gratia, cujus aliunde incapax foret utpote censuratus. Qua ideo censura postmodum adhuc remanet ligatus, si non curat absolvi (*Scavini,* l. I, n. 849).

re gravi jurisdictionem exerceret absque gravi necessitate, vel nisi rogatus fuerit; sed valide semper ageret, cum nullibi id invalidetur. Attamen potest repelli ab iis, quorum interest (*S. Alph.,* l. VII, n. 139; l. V, n. 88).

538. **Privatio sepulturæ ecclesiasticæ.** Sepultura ecclesiastica ea est, quæ fit in loco ad fidelium tumulationem benedicto. Excommunicatus vitandus nequit in loco sacro tumulari; nam est regula juris: *Quibus non communicavimus vivis, non communicemus mortuis;* et si contrarium fiat, erui debet (si adhuc possit) et locus sacer reconciliari. Quod si decessit cum signis pœnitentiæ, ejus cadaver absolvendum est a censura antequam sepeliatur; vel postea si jam sepultum fuerit.

Mandantes autem seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos incurrunt excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam. Qui vero nominatim excommunicatos ad ecclesiasticam sepulturam scienter admittunt, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. Imo clerici qui tales scienter et sponte ad ecclesiasticam sepulturam admittunt, incurrunt etiam excommunicationem Pontifici simpliciter reservatam (Vide Const. *Apostolicæ Sedis*, nn. 223, 617).

Excommunicatus vero non vitandus licite sepelitur in loco sacro, si cum pœnitentiæ signis e vita migraverit, vel si extemplo mortuus manifestaverit in vita bonam resipiscendi voluntatem; aut supponi possit in illo vitæ extremo pœnituisse. Unde si ei sit deneganda sepultura ecclesiastica, non jam est ratione censuræ, sed potius publicæ indignitatis. Nam *quibus vivis communicamus, mortuis communicare possumus,* quamvis deceat, ut prius ab excommunicatione absolvantur (*S. Alph.,* l. VII, n. 186).

539. Præter excommunicatos vitandos et nominatim interdictos privandi sunt ecclesiastica sepultura de jure communi, quin ideo generatim loquendo necesse sit ut sententiam judicis præcedat (pro quibus item per consequens prohibetur solemnes exequias ac Missas, etiam absente cadavere, celebrare; cui enim interdicitur plus, et minus interdicendum est):

I. *Infideles* omnes quicunque sint, sive pagani, sive judæi, sive mahumetani, sive infantes sine baptismate mortui.

II. *Apostatæ* a christiana fide. Huc revocantur *veteres catholici* ita dicti, et *liberi cogitatores,* et omnes, qui scriptis

publice atheismum, deismum, pantheismum docent. Item venit impia secta sub titulo: *Ecclesia catholica nationalis italica,* quæ negat unam esse fidem, unam Ecclesiam, unum illius visibile caput a Christo Domino constitutum; sed novum et profanum humanæ religionis ædificium excitare audet. Cæterum hujusce erroris auctor, nec non sectatores, et qui operam, consilium, assensum, favorem præbent, Brevi 3 julii 1875 excommunicantur, atque ab omnibus vitandi decernuntur.

III. *Hæretici* qui errorem suum palam profitentur, eorumque fautores notorii, nec non publici schismatici. At nil impedit, ut hæreticorum filii si nondum rationis usum adepti moriuntur, ecclesiastica sepultura donentur, si certum est quod valide baptizati sint et eorum genitores id postulent, omni tamen admiratione amota. Sunt enim cœlorum angeli, innocentes, immaculati in conspectu Dei et Ecclesiæ, sicut catholicorum infantes.

IV. Qui in *actu criminoso* notorio ac certo decesserunt, quin tempus pœnitentiæ habuerint, v. g. latro occisus in instanti a viatore in sui defensionem. Item *duellantes,* si in ipso conflictu perierint: de his tamen vide infra n. 598. Item *suicidæ:* sed de his a Congreg. S. Officii quæsitum fuit: « Utrum liceat ecclesiasticam sepulturam dare suicidis aut solemnes exequias cum Missa pro isdem celebrare? Die 16 maji 1866 declaravit: *Quod moneantur parochi et missionarii ut in singulis casibus quibus præsens dubium refertur, recurrant quoad fieri potest ad Ordinarium. Quod regula est non licere dare ecclestiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem signa dederint pœnitentiæ. Quod præterea quando certo constat vel de iracundia vel de desperatione, negari debet ecclesiastica sepultura et vitari debent pompæ et solemnitates exequiarum. Quando autem certo constat de insania datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum. Quando tamen dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura; vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum* » (1).

V. *Peccatores publici et notorii,* qui impœnitentes decesserint, ut sunt qui publice vitam degunt in adulterio vel concubinatu; modo eorum impœnitentia usque ad extremum sit

(1) Addit Avanzini, quod benigna mater Ecclesia in dubio generatim præsumit insaniam. Cæterum potest privatim sacrificium offerri, si forte capax sit suicida.

omnino certa et publica. Non tamen negatur filiis ex concubinatu vel adulterio, si rite baptizati sint.

540. Non est vero per se deneganda ecclesiastica sepultura: 1) Mimis et comœdis. Neque qui morte plectuntur, si signa pœnitentiæ dederint: qui tamen sepeliendi sunt sine ulla solemnitate, et quin ad ecclesiam pro exequiis deferantur.

2) Non est deneganda in dubio; sed tunc recurrendum ad Episcopum; et si tempus urget sepultura ecclesiastica erit concedenda; nam odia sunt restringenda: idque maxime hodie, cum ex denegatione magna incommoda oriri possint.

3) Neque deneganda est, si sacerdos solus testis sit repulsæ et impœnitentiæ moribundi. Imo præstat, ut sacerdos dubius de dispositione moribundi ipsum absque testibus alloquatur ad Confessionem inducendo, ne malus ejus animus innotescat.

4) Non est deneganda qui non confitentur et non communicant in Paschate; hi enim non sunt ipso jure interdicti; sed sunt interdicendi per sententiam. Unde si ante declarationem moriuntur, non privantur ecclesiastica sepultura, modo non obierint cum manifestis impœnitentiæ signis. *S. C. C.* 24 *jan.* 1595. Item neque amplius est in suo vigore præceptum deferendi ad Episcopum qui Paschali Communioni non satisfaciunt. *Gousset* et *Gury.*

5) Addunt cum Frassinetti: « Si extemplo aliquis concubinarius moriatur, qui secum concubinam haberet, sed sub domesticæ nomine, etc., adeo ut concubinatus etsi generatim supponatur, tamen probari certo nequeat, parochus cui non suppeteret tempus ad Episcopum recurrendi, non debet sepulturam ecclesiasticam denegare. Idem dicunt de illo qui censuratus fuit, sed id a publico ignoretur vel probabiliter credi possit id esse oblivioni datum, aut credi possit quod jam curaverit ejus absolutionem. Item est si defunctus officium occupasset, quod judicio prudentum non potuisset retinere; non tamen judicio multitudinis; vel si credi possit quod illud tenuerit bona fide deceptus auctoritate aliorum. Uno verbo non sufficit ad denegandam sepulturam Ecclesiæ, quod defunctus censuratus decesserit, si id a publico ignoretur, vel si aliquo modo excusari possit coram populo. »

6) *Quæsitum fuit:* 1) An possit administrari Eucharistia notorie censuratis, antequam rite cum Ecclesia reconciliati fuerint? 2) Si quis ex iisdem censura ecclesiastica notorie innodatus obierit, et juxta sacros Canones et normas hac de re a Doctoribus traditas, ecclesiastica sepultura carere omnino debeat; et si pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiæ et sepultura ecclesiastica, quomodo in hujusmodi casu sese gerere debeat parochus? — S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 respondit: Ad 1) *Negative.* Ad 2) *Curandum ut cuncta ad normam sacrorum Canonum fiant: quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat* (V. Scavini, lib. IV, nn. 221, 237, etc.).

541. Quoad funera ac sepulturam nonnulla notanda sunt maxime ex lege civili, ne ignorantia nos vel alios in discrimen committat.

I. Currus in funeribus ad vehenda cadavera de domo ad ecclesiam, de ecclesia ad cœmeterium non erat in usu, nisi pro regibus, et plures S. Congregationes id prohibuerunt, ut refert Card. Petra t. II super *Const. Apost.* p. 265. Hodie tamen in civitatibus maxime, currus funebris a Municipiis pro omnibus præscribitur sub pretio (etsi id excedat illorum facultates), quæ insuper et tempus et horam et

modum funerum aliquando præscribere præsumunt. Non probamus, at tolerare necesse est (1). « Esamini adunque il parroco (ad rem Rivarolo) i regolamenti speciali del suo Comune, e procuri di conciliare colle prescrizioni dei medesimi il servizio religioso in quel miglior modo che gli acconsentano le Costituzioni sinodali, onde evitare a sè stesso disturbi innumerevoli, e molestie ai parenti dei trapassati già troppo afflitti » *(Scavini,* l. IV, n. 66).

II. Ex Codice civili nemo tumulari potest nisi habita in scriptis licentia ab officiali civili, qui id non potest permittere nisi 24 horis post mortem, exceptis casibus specialibus. Si mors fuerit violenta aut suspicio sit, non est sepeliendus defunctus, nisi factis solitis inspectionibus: si quis autem extra propriam residentiam moritur, actus intra decem dies est ad illam transmittendus.

« In caso di morte in un ospedale, collegio od altro qualsiasi istituto, il superiore o chi ne fa le veci è tenuto a trasmettere l'avviso, colle indicazioni stabilite nell'articolo precedente, nel termine di 24 ore, all'uffizio dello stato civile » (*art.* 388).

III. Codex pœnalis mulctæ, carceris, etiam relegationis pœnas decernit, habita circumstantiarum ratione in eos qui ad sepulturam procedunt (vel cooperantur) ante licentiam et tempus a lege definitum, vel sepulcra violant, vel in cadavera quoquomodo desæviunt. Cæterum: « I Parrochi sono liberi di dar corso ai proprj riti religiosi e suonare l'annuncio di morte anche prima della verifica legale dei decessi, e indipendentemente da ogni ingerenza dell'autorità comunale » (excepto tamen casu epidemiæ). *Consiglio di Stato,* 18 ottobre 1862.

IV. Lex civilis 20 martii 1865 statuit art. 65: *È vietato di dare sepoltura nelle chiese e templi, cappelle ed altri luoghi destinati al culto.* Art. 66: *Per regola generale ogni cadavere dovrà essere sepolto nel cimitero del Comune dove seguì il decesso, salvo sia autorizzato il trasporto in altro cimitero.* Sed in Regio decreto 6 sept. 1874 legitur: « Il prefetto può permettere le sepolture nelle cappelle private dei morti delle famiglie a cui le cappelle appartengono, purchè queste si trovino in campagna, e non siano officiate al pubblico; e purchè, se la morte è avvenuta per malattia contagiosa, vengano praticate tutte le cautele speciali per tal caso prescritte. Il prefetto sentito il Consiglio provinciale di sanità potrà permettere altre maniere d'inumazione, di conservazione, o di distruzione di cadaveri, compresa la *cremazione* in casi e per motivi eccezionali. »

V. In Cœmeterio non esset laico permittenda funebris laudatio nisi licentia ab Episcopo obtenta, et scripto approbata; etsi enim ad Communitatem spectet ejus ædificatio et conservatio, semper tamen locus sacer est sacris ritibus benedictus. Tanto minus permittitur laico ut habeat funebrem laudationem in ecclesia; usurparet enim ministerium ecclesiasticum; hinc Clemens XI prohibet in ecclesia

(1) Item musici concentus, qui olim nonnisi pro militum funeribus et casu admodum raro in usu erant, hodie pro omnibus fere adhiberi solent. Quod quidem etsi ad majora mala vitanda tolerari debeat, parum certe videtur congruere mœstitiæ ritus, quem in vanam pompam vertit, mentem a salutari mortis recordatione avocat, et preces pro defuncto non curat.

Cæterum nefas esset exequias celebrare, si in feretro massonica adsint signa vel in vexillis; esset enim damnatæ sectæ honorem tribuere et approbationem: quod sine gravissima admiratione et offensione catholicorum evenire nequit, ut ait Pius IX ad archiep. Darboy 20 oct. 1865 (v. *Acta S. Sedis*, t. XI. De Parsiis, *Il Clero e la bandiera di una società d'operai: dialoghi;* Roma, 1878).

omnia eloquia profana, circulos et strepitus *(Ferraris*, V.° *Ecclesia*, a. v). Imo in Cœmeterio neque inscriptiones essent ponendæ sine ecclesiastica auctoritate; verum hodie vix ac ne vix quidem id obtineri potest; cum civilis auctoritas omne sibi vindicet jus in ea loca.

VI. Cum benedicitur cœmeterium, pars aliqua extrema sine benedictione linquatur pro sepeliendis infantibus non baptizatis aliisque quibus ecclesiastica sepultura denegatur; nec necesse est ut pars illa per murum separetur, modo discerni possit. Si vero alicubi statutum sit a civili lege ut omnes indiscriminatim in cœmeterio sepeliantur etiam illi qui illud polluunt, tunc omittatur benedictio cœmeterii, sed singulis vicibus in quibus sit catholicus sepeliendus, locus in quo ejus cadaver est deponendum, benedicatur prout in Rituali.

VII. Si cœmeterium procul a parœcia ædificetur, non amplius tenetur parochus usque ad illud cadaver comitari, ut prius solebat vi statuti vel consuetudinis quando erat prope, nisi nova fiat conventio. Ita *Nota ministerialis* 1835 — Plura apud *Scavini*, l. IV, nn. 62 et seqq. *De sepultura, de cœmeteriis;* ac *de cadaverum crematione*, quam quidem bonum publicum aversatur, communis populorum sensus rejicit, et religio nullimode probat. Quæ vel ipsis ethnicis invisa fuit; hinc Cicero ajebat: *Mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id videtur, quod apud Xenophontem Cyrus utitur; redditur enim terræ corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur* (De Leg., l. II, c. 22). Et Seneca pater inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora ponit *humum porrigere cadaveri.* Hinc recte Minutius Felix: *Veterem et meliorem humandi consuetudinem frequentamus.*

Civium autem incolumitatem deteriorem haud fieri ex inhumationibus, dummodo serventur quæ a lege cauta sunt, constat passim; nonne antiquitus in ipsis ecclesiis sepeliebantur cadavera? et tamen quis damnum passus est? Rerum autem physicarum studiosi causam produnt animadvertentes humum cadavera obtegentem morbosis obstare exhalationibus; experimento item constat ex modica argilla vel ipsa fimeta innoxia reddi. Cæterum negari non potest, cremationem aliquid præseferre oppositum pietati debitæ defunctorum exuviis; nam crematio directe tendit ad earum destructionem, quod non evenit si cadavera terræ committantur, aut condantur in sepulchro. Imo inhumatio aliquali ratione resurrectionem prognosticatur, prout ex s. Paulo I Cor. XV adnotabant Tertullianus et Minutius citatus.

542. An excommunicatus teneatur curare absolutionem ad implenda præcepta quoad Missæ auditionem negant communiter, nisi agatur de amovendo impedimento levi. Quia nemo tenetur ad impedimenta extraordinaria auferenda, ut se habilem reddat ad præceptum tantummodo ecclesiasticum; nam non obligat cum incommodo gravi.

Secus quoad Confessionem et Communionem: cum radicaliter et proxime sint præcepta divina, quæ magis urgent, minusque patiuntur interpretationem *(S. Alph.*, l. VII, n. 161).

543. **Monitorium.** Monitorium seu publicum edictum, est *mandatum judicis ecclesiastici, quo sub excommunicatione præcipitur manifestatio auctorum criminis.* Sub gravi est revelandum si delictum vergat in damnum commune, etsi occultum; nisi adesset firmissima emendationis spes delinquentem privatim corrigendo. Quod si vergat in damnum tertii, est revelandum, si crimen probari potest. Si tandem non vergat in ullius damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor de illo; quia secus neque judex potest de eo inquirere.

Qui autem delictum noverint sub secreto ad consilium præbendum, non tenentur ad denuntiationem, uti docet Angelicus; quia jus positivum non potest juri naturæ derogare *(S. Alph.,* l. VII, n. 214).

Art. 2. — De Suspensione.

544. **Suspensio.** Est *censura, qua Clericus ab officio beneficioque interdicitur.* Potest esse vel totalis, si ab utroque et officio et beneficio; vel partialis, si ab alterutro tantum clericus prohibeatur. Officium autem idem est ac potestas spiritualis, et duobus continetur *ordine* et *jurisdictione.*

Principia: 1) Ex his patet, suspensionis subjectum solum esse clericum, quem tamen suspensio comitatur ubique, cum hæc immediate afficiat personam.

2) Per hanc censuram non privatur clericus passiva Sacramentorum receptione, neque ingressu Ecclesiæ, neque communibus suffragiis aut ecclesiastica sepultura. Hinc si quis sit suspensus ab audiendis Confessionibus, vel a Missæ celebratione, et hæc suspensio sit reservata, simplex confessarius non poterit quidem auferre suspensionem; sed poterit suspensum a peccato (si non sit reservatum) absolvere, atque ad Communionem admittere, si remoto scandalo ipsum vere pœniteat de admisso scelere ac scandalo dato.

3) Hanc pœnam utpote gravissimam, Prælati non debent infligere nisi ob gravem culpam, neque sine scriptura; ita ut si superior oretenus clerico suo dicat: *Ego te suspendo,* hæc loquendi formula habenda sit potius uti simplex celebrandi prohibitio, quam veri nominis suspensio: et qui eam violat gravis inobedientiæ reus evadit, sed irregularitatem non incurrit.

4) Si suspensio feratur simpliciter in capitulum, monasterium vel collegium, ea non extenditur ad singulas personas quoad munia particularia; sed tantum ad Officia vel Beneficia, quæ pertinent ad communitatem et in communi fiunt, secundum quod illa unum corpus constituit et tunc afficit omnes qui sunt de illa communitate etsi innocentes. Si suspensio feratur in communitatem et in singulas ipsius personas, non afficit innocentes *(S. Alph.,* l. VII, n. 317).

545. **Effectus suspensionis.** Suspensus pure, simpliciter et absolute (ut si dicatur: *Qui talia egerit, suspensionem incurrat)* intelligitur totaliter suspensus (nisi aliter explicet usus),

ita ut ipsi sit interdictus omnis usus tum Ordinis ac jurisdictionis, tum fructuum Beneficii perceptio *(Scavini,* l. I, n. 955).

Suspensus *ab Ordine* tantum prohibetur exercere omnem actum cujuscunque Ordinis tam majoris quam minoris exercitum solemniter, nempe modo quo a laicis pure talibus nequit exerceri. At potest adhuc agere quæ important tantummodo actum jurisdictionis, ut beneficia conferre, censuras relaxare; non tamen in Pœnitentiæ sacramento absolvere, quia talis absolutio est etiam actus Ordinis.

Suspensus *ab Officio* privatur omni usu Ordinis et jurisdictionis, alteriusve ecclesiastici ministerii, quod nonnisi a Clero ut tali exerceri potest. Ideo nequit administrare Sacramenta, celebrare Missam, excommunicare, absolvere, Indulgentias concedere, exercere Pontificalia. At non ideo censetur suspensus a Beneficio: quare adhuc poterit illius fructus percipere, si per alios impleat onera.

Suspensus ab aliquo ecclesiastico *Beneficio*, idest ab ejus fructibus et administratione, non est suspensus ab Officio. Et probabilius neque ab ecclesiasticis Beneficiis quæ extra Diœcesim haberet, nisi suspensio sit a jure (vel etiam ab homine, qui exprimat se velle suspendere ab omnibus Beneficiis). Imo si tempore suspensionis aliud ecclesiasticum Beneficium acquirit, probabilius collatio non est irrita, sed tantum irritanda.

Item suspensus *a beneficio* non privatur emolumentis quæ proveniunt ex Missis, anniversariis, concione, administratione Sacramentorum, neque illo quod datur propter onus personale; quia non sunt fructus beneficii. (Quoad distributiones quotidianas disputant). Suspensus a beneficio tantum item potest adhuc eligere, præsentare, conferre beneficia, quia etsi id illi competat ratione beneficii, tamen non sunt actus beneficii præcise ut sic; sed potius officii et jurisdictionis *(S. Alph.,* l. VII, nn. 316 et 317) (1).

546. **Suspensio ad cautelam.** Hæc in eo posita est, ut clericus arceatur ab exercitio ministerii sacri, non quia de crimine jam convictus; sed quia non decet sancta tractari ab illo de quo fama male refert: idque magis si de publico delicto judicialis inquisitio jam fuerit instituta, et multo magis si in

(1) Suspensio *a divinis* alicubi accipitur pro suspensione ab officio tantummodo: alicubi vero pro sola suspensione ab Ordine. Verum in sensu proprio esset suspensio ab officio et beneficio simul: eaque ad longum tempus infligi nequit, nisi ob graviora crimina. Canonicus a divinis suspensus ex S. C. Episc. 29 febr. 1869 nequit percipere distributiones chorales nec reliqua emolumenta *(Scavini,* l. I, n. 956).

judicio jam condemnatus fuit, quousque in alio judicio ab imputatione se purget accusatus (1).

Attamen *suspensio ad cautelam* stricte censura non est, cum lata non sit ob contumaciam; ideo patet ad eam non requiri formulas canonicas præscriptas pro censuris infligendis; nec irregularitatem incurri, si violetur; est potius prohibitio quam pœna. Verum gravissime obligat, cum lata sit ob gravem et publicam causam, et ideo violatores proprie dicta censura mulctari poterunt. — Hæc item suspensio est tantum ab exercitio Ordinis, non a beneficiis; nam quod quis beneficii reditibus utatur, non ideo detrahitur sacrorum venerationi.

547. **Suspensio ex informata conscientia.** Est censura, quam superior irrogat ob crimen præteritum, occultum, ex causis sibi notis, sine ulla monitione ac forma judicii; sicque ecclesiasticum prohibet tam ab ascensu ad Ordines, quam ab eorum exercitio. Hanc facultatem Episcopis competit ex Tridentino *(sess.* XIV, c. I); et Bulla *Auctorem fidei* propositio 49, quæ damnat ut nullas et invalidas has suspensiones, declaratur *falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.* Hinc S. C. Concilii *in Sagonensi* (21 junii 1625) declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui ab Episcopo *ex informata conscientia* ab omni suæ Parœciæ exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, in celebratione et Curæ exercitio manebat (2).

Dices: S. Isidorus vult *nullum damnandum nisi comprobatum, nullum excommunicandum nisi discussum.* Et ita evenit; discussio enim et comprobatio publica vel privata semper a prælatis præmittitur, juxta sacros canones; et nostrum est debitam obedientiam illis impendere. Neque supponendum eos non rite agere; secus actum esset de omni superioris ordinatione; sunt enim pervicaces qui audiri volunt, non audire; superiorem convincere, non ab eo convinci. Et d. Gregorius Hom. VI in Evang. scribit: *Sententia pastoris sive justa sive injusta timenda est* (s. Thomas, Suppl., q. 21, a. 4); inobedientia enim sine scandalo esse nequit. Cæterum semper aditus adest ad superiorem appellandi; ad metropolitam si de judiciali, ad S. Sedem si de extrajudiciali sententia agatur.

(1) « Porro (ait Berardi) in hoc suspensionis genere obtinet, ut suspensus non statim ac purgatus absolutusque abs judicio fuerit, absolvendus sit a suspensione et ad sacra ministeria obeunda admittendus; sed debeat adhuc expectari, donec rumor publicus ac scandalum evanuerit. » Et addit: « Aliquando esse posse aliquem suspensum *ratione sui*, non aliorum, ut contingit in crimine occulto, cui immineat ipso facto suspensionis censura. Aliquando *ratione aliorum*, non sui, veluti ab exercitio Sacrorum ex simplici suspicione criminis, qua in specie nonnihil relinquitur arbitrio Prælati, ut coerceat suspensionis mandatum ad Sacra publice gerenda et permittere valeat pro suspicionis modo, clerico suspecto exercitationem Ordinis privatim habendam. Et aliquando *ratione sui et aliorum*, ubi crimen verum sit et publicum, id est judicio publico probatum *(Comment. in Jus can.* de suspens.).

(2) Hæc facultas competit etiam Vicario capitulari ex S. C. Congregatione; disputatur quoad Vicarium generalem Episcopi. *Monacellus, Ferrari.*

Igitur si sermo sit de crimine publico, publicæ solemnitates ac debitæ monitiones et citationes, ut probetur delinquentis contumacia utique ad censuras valide infligendas, præmittendæ sunt ex Tridentino (*sess.* XXI, c. 6). Idque tenet ex S. Concilii Congr. si suspensio perpetuo feratur ob delictum occultum; nam ex eo quod quis perpetuo est suspensus, rumor vulgi excitatur, et fit publica fama de crimine patrato.

Si vero de crimine occulto, secreta ac diligenti inquisitione facta, certior fiat Episcopus, tunc ut liberius malos coerceat et ne quovis prætextu impediatur, fas illi est ad tempus sibi benevisum sine ulla forma externi judicii illum suspendere sive ab Ordine suscipiendo sive ab Ordine suscepto. Et id congruentius fit: sic enim et cito coercetur reus, et servatur ejus fama ac ministerii sanctitas, et publicum scandalum devitatur. Nec valet propterea exceptio a naturali propriæ defensionis jure petita. Postulat enim publicum sacri ministerii decus, ne crimen publicetur; aliunde semper licet suspenso auctoritatem Sedis apostolicæ invocare, cui Episcopus tenetur suspensionis causas aperire ac probare; et aliquando S. Concilii C. illam non sustineri declaravit (v. Pallottini, *De pugna juris pontificii statuentis suspensiones extrajudicialiter seu ex informata conscientia;* et Scavini, l. I, n. 957).

548. **Violatio suspensionis.** 1. Peccat graviter qui exercet actum sibi vetitum per suspensionem; quia violat in re gravi Ecclesiæ præceptum. Imo suspensus ab Ordine sacro et graviter peccat et irregularitatem incurrit, si ejusdem Ordinis officium scienter et solemniter exerceat. Excipe nisi gravis adsit causa functiones exercendi, et alioquin actus qui ponitur sit validus; vel levis, puta si benediceret mensam (secus si benediceret aquam lustralem, nuptias, fructus, etc. juxta solemnitates ab Ecclesia præscriptas); aut Ordinem non sacrum exerceret.

2. Suspensus non toleratus et publicus exercet invalide actus jurisdictionis, cum illa privatus sit; hinc nominatim suspensus invalide absolvit extra casum necessitatis. Toleratus vero jurisdictionem exerceret *valide;* nam Ecclesia tolerando suspensum, ei non adimit jurisdictionem ob bonum fidelium; sed *illicite,* nisi ab aliis rogetur; quia tolerantia non est in sui, sed in aliorum gratiam tantum.

3. Actus Ordinis a suspenso etiam non tolerato positi, si non dependeant a jurisdictione, sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Hinc si sacerdos suspensus a celebratione Missæ, celebret, verum Sacrificium facit, etsi gravissime peccet contra latam prohibitionem, grandia sacrilegia committat, et irregularitatem incurrat (1).

(1) Docet Continuator Tournely: *Non fieret irregularis homo censuratus, si ex gravi metu ministraret in Sacris; quia censura aufert quidem usum Ordinis, at*

4. Si suspensio lata est ob crimen futurum, id est contra eos, qui in futurum deliquerint, vel etiam ob crimen præteritum, habens tractum successivum, incurritur irregularitas, si suspensio violetur; quia revera hæc habet rationem censuræ proprie dictæ. Si vero suspensio lata est hic et nunc ab homine ob meram punitionem criminis omnino præteriti, et ad tempus, irregularitas non incurritur, quia tunc suspensio non est propria et vera censura juxta sententiam quæ mihi videtur absolute probabilior. Excipe si aliter in jure cautum est: sic c. *Cum æterni de sent. et re judicata,* irregularis est judex si damnabiliter se divinis ingesserit, durante suspensione etiam per annum ipsi inflicta.

549. **Communicatio cum suspenso.** Suspensus toleratus si non se ingerat in functiones a quibus est suspensus, sed ab aliis propter necessitatem requiratur, probabiliter non peccat; tunc enim alii licite requirunt. Imo etsi nominatim sit denuntiatus et non toleratus, alii non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censeantur cooperari actui a quo suspensus est : unde audire ejus Missam non erit peccatum saltem mortale, si non inservias; sed remoto semper scandalo *(S. Alph.,* l. VII, n. 313).

550. **Suspensionis absolutio.** Si suspensio rationem habeat censuræ, tollitur ut excommunicatio, scilicet per absolutionem et quidem ab omnibus confessariis, si non sit reservata (nec prius requirenda sit satisfactio partis læsæ), ut contra alios docet s. Alphonsus cum Salmanticensibus; et patet ex formula absolutionis, quæ generatim a quolibet confessario tribui solet sine ulla censurarum distinctione: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti.*

Tollitur vero ab eo qui eam tulit vel ejus delegato aut superiore si suspensio reservata sit, vel lata ab homine in personam specialiter designatam, aut in totam communitatem. Quod si

eum vero inhabilem non facit. Unde infert Navarrus, homicidam post debitam contritionem et Confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si timeat se homicidii hujus suspectum fore, nisi celebret.

Idem est tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ, tum de moniali, quæ occultissime in censuram reservatam incidisset : ea enim, inquit, *ante moram petendæ absolutionis posset choro interesse et communicare, cum aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus aut Monasterii periclitaretur. Idem cum aliis dicunt Sayrius, Bonacina, Auctor Collat. Andeg. Unde etiam colligunt excommunicatum occultum posse, sine peccato et irregularitatis metu, audire Sacrum, celebrare, absolvere, etc., ad vitandum grave scandalum vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum aut necessitatem. Nomine scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re; sed occasionem peccati, ut detractionis et judicii temerarii.*

lata sub conditione, vel ad certum tempus, cessat per se, conditione impleta vel tempore illo transacto. At siquis petat ante illud tempus absolvi, id postulandum est ab illo qui suspensionem tulit (*S. Alphonsus*, l. VII, n. 327) (1).

Si suspensio sit imposita in perpetuum propter præteritam culpam, tollitur ut mera pœna per solam Prælati dispensationem, vel ejus delegati; nam tunc non est vera censura (*S. Alph.*, l. VII, n. 322).

Casus. Renatus sacerdos sæcularis suspensione reservata inodatus papali et episcopali, pergit ad quandam domum Regularium ad exercitia spiritualia sperans se a Patribus utroque vinculo solvendum esse — R. *Renatus absolvi non potest per confessarium regularem a suspensione episcopali, seclusa speciali licentia Ordinarii pœnitentis, quia jurisdictione destituitur. Non potest absolvi a suspensione papali de jure etsi casus sit occultus, quia ex Const.* Apostolicæ Sedis *est adempta Regularibus potestas. Potest tamen absolvi a peccato, etiam remanente vinculo suspensionum, quia suspensio non privat beneficio absolutionis.* Apud Gury.

ART. 3. — De Interdicto, et Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, de Cessatione a divinis, de Depositione et Degradatione.

551. **Interdictum**. Definitur: *Censura quæ a divinis officiis, aliquibus Sacramentis, et ecclesiastica sepultura christianum prohibet* (*S. Alph.*, l. VII, n. 329).

Divisio. Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum; aliud *personale*, quod immediate afficit personas. Utrumque subdividitur in *generale*, quod locum generalem, v. g. totam communitatem, universitatem, collegium, capitulum vel regnum complectitur; et in *speciale*, quod complectitur locum peculiarem, v. g. Oratorium, vel personas in tali loco).

Interdicto populo, non intelliguntur interdicti qui non sunt pars populi, ut ecclesiastici, studiosi, peregrini. Item interdicto Clero, non interdicuntur laici neque religiosi; neque alii clerici, qui nullum habeant officium, ut cum illo Clero unum corpus constituant.

Quando interdictum est *generale-locale*, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et Ecclesiæ exemptæ regularium:

(1) Suspensio si occulta, tollitur per absolutionem sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo* etc. Si publica, in foro interno eadem adhibetur forma; in foro vero externo (accedente speciali superioris delegatione) adhibenda est forma solemnis in Rituali determinata. Idem dicito de aliis censuris.

et omnes illud tenentur servare, etiam Episcopus qui tulit, uno excepto Pontifice. Licet tamen in hoc casu iis, qui interdicto causam non dederunt, alio ire, ut divinis Officiis assistant.

Si vero interdictum est *generale-personale,* excipiuntur: 1) Episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali — 2) Innocentes, si alibi domicilium collocant — 3) Exteri, infantes et amentes doli incapaces, qui tamen adhuc privantur sepultura ecclesiastica *(S. Alph.,* lib. VII, n. 330). De justitia interdicti v. *Scavini,* l. I, n. 960.

552. **Effectus interdicti.** Ex Jure et communi sententia sunt:

I. Prohibitio *divinorum Officiorum,* eorum nempe, quæ solemniter a clericis exercentur in loco designato, excepta concione. Idque singulis diebus, præter dies Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. V., in die et per octavam Corporis Christi, in quibus permittuntur divina Officia solemniter celebrari, admissis etiam personis interdictis (quæ ideo tenentur iis festis Missam audire; modo qui causam interdicto dederunt ad altare propius non accedant: neque ad Communionem). Licet tamen religiosis et clericis, si ipsi interdicti non sint, in interdicto generali Officia celebrare, sed sine campanarum sonitu et clausis ecclesiæ januis. Item semel in hebdomada in ecclesia interdicta licet celebrare ad Eucharistiam renovandam.

II. Prohibitio *administrandi Sacramenta,* excepto: *a) Baptismo,* qui potest dari etiam solemniter, sed non a specialiter interdicto — *b) Confirmatione* et *Pœnitentia;* non tamen pro iis, qui causam vel favorem interdicto dederunt, nisi præstent satisfactionem — *c) Eucharistia* morituris; et probabilius etiam *Matrimonio,* cum jure habeatur illud *posse contrahi quovis tempore* (at solemnis benedictio sponsis dari nequit, quia in Missa dari debet, quæ prohibita tunc est) — *d) Extrema-Unctione,* si tamen aliud Sacramentum infirmo ministrari nequeat; ut illi subveniatur, si in peccatis sit, et ex attrito fiat contritus — *e) Ordine* in necessitate sacerdotum.

III. Prohibitio *ecclesiasticæ sepulturæ,* cum hoc discrimine clericos inter et laicos, quod isti sepeliendi sint in loco non sacro, etiamsi agatur de infantibus; et si in loco sacro sepulti fuerint, exhumari debeant si possibile est. Illi vero, si non sint nominatim interdicti, possint sepeliri in cœmeterio vel ecclesia cum Missæ celebratione, sed sine pompa. Si vero Ecclesia sit nominatim interdicta, adhuc poterunt in loco sacro sepeliri, sed quin celebretur Missa *(S. Alph.,* l. VII, n. 333).

553. **Sublatio interdicti.** Interdicta localia et personalia-generalia jure communi imposita, si non reservata, possunt tolli ab Episcopo vel ab habente jurisdictionem in foro externo in communitatem interdictam. Hinc nequit Parochus, cum solum habeat jurisdictionem in foro interno.

Interdicta lata ab homine, vel reservata non possunt tolli, nisi ab eo qui illa tulit; vel a Papa, qui habet omne jus. Ab aliis vero interdictis, quæ non sint reservata, quivis confessarius potest absolvere *(S. Alph.,* l. VII, n. 339).

554. **Interdicti violatores.** Vel ecclesiastici sunt vel laici. Si Ecclesiastici peccant graviter, in re gravi, si interdictum directe eos afficiat; et ubi Ordinem sacrum exerceant, incurrunt irregularitatem. Si ipsi interdicti non sint, sed violent interdictum locale, privantur voce activa et passiva electionis.

Si vero *laici* sint interdicti, violatores peccant mortaliter: 1) Si interdictum sit personale, cum ipsos quoque directe afficiat — 2) Si compellant clericos ad divina Officia celebranda in loco interdicto — 3) Si Sacramentum, vel quid aliud in tali loco administrari prohibitum, ipsi recipiant; cooperarent enim ad id, quod sub gravi clerici prohibentur agere *(S. Alph.,* l. VII, n. 336). Quoad pœnas v. infra nn. 623, 650).

555. **Interdictum ab ingressu Ecclesiæ.** Est *censura, qua quis in Ecclesia Ordinem sacrum exercere, divinis interesse et ecclesiastica sepultura prohibetur.* Ideo interdictus nequit in Ecclesia defungi sacris vel eis interesse; non tamen prohibetur illam ingredi, ut privatim oret et Sacramenta recipiat. Item in Oratorio privato, et in cœmeterio licet ecclesiæ attiguo non prohibetur sacris adesse, et si ecclesiasticus ea obire. At ecclesiastica sepultura prohibetur in ecclesia et in cœmeterio, nisi pœnitens decesserit (v. *n.* 651).

556. **Cessatio a divinis.** Est *impositio clericis facta se abstinendi a divinis officiis in loco sacro celebrandis.* Non est proprie dicta censura: unde qui illam violat, etsi graviter peccet, irregularis tamen non fit. Hæc imponitur vel in signum mœroris, vel ad reparandam injuriam gravissimam Deo illatam, uti v. g. si sacrilegum furtum et gravissimum in ecclesia fuerit commissum; afficitque omnes qui eo in loco sunt.

In cessatione a divinis ea possunt Sacramenta administrari, quæ in interdicto. Hæc autem cessatio imponitur et aufertur eo modo, quo censura *(S. Alph.,* l. VII, n. 340).

557. **Depositio ac degradatio.** Depositio est pœna ecclesia-

stica qua clericus in perpetuum privatur omni beneficio et officio clericali, retento solo privilegio canonis et fori. At per degradationem clericus perpetuo et solemniter ob atrociora crimina privatur omni privilegio, solo retento charactere, et traditur sæculari judici puniendus. Sed hodie vel nulla degradatio fit, vel si locum habet, degradatus non traditur foro sæculari (*Scavini,* l. III, n. 579). Vide Const. Benedicti XIV 2 aug. 1757 *Quam grave.* It. vide Berardi, Vecchiotti, Devoti, etc.

CAPUT QUARTUM

De Censuris generatim latæ sententiæ quæ nunc vigent (1).

558. **Constitutio Apostolicæ Sedis.** Pius Papa IX cum comperisset plurimas ecclesiasticas censuras latæ sententiæ in jure contentas temporibus moribusque mutatis a pristina opportunitate excidisse, die 12 aprilis 1860 Constitutione *Apostolicæ Sedis* illarum quasdam abrogavit, quasdam moderavit, quasdam vero retinuit.

Nempe servari voluit: 1) Quas Tridentinum tulit; non quidem illas quas Tridentinum firmavit ex jure antiquo vel innovavit; sed illas tantum quas ipsum Concilium invexit, ut patet tum ex scopo tum ex verbis Constitutionis: una excepta quæ est de editione et usu sacrorum Librorum; quam censuram Pius IX limitavit (2) — 2) Illas quæ hactenus vigent sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcunque Ordinum Regularium, Collegiorum, Congregationum, locorumque piorum cujuscunque nominis aut generis sint. Nihil etiam innovatum est quoad alias pœnas canonicas quæ censuræ non sunt, ut est irregularitas, depositio, officii privatio, inhabilitas, quæ ideo adhuc in suo robore remanent. Item est de censuris ferendæ sententiæ. Item de legibus ac decretis, quibus censuræ latæ sententiæ adnexæ erant; si cessant censuræ, non cessant vim habere leges illæ ac decreta.

Censuræ, quæ ex veteri jure integræ desumptæ sunt prorsus

(1) Quoad explanationem Constitutionis quæ censuras limitat, inter plures vid. Ballerini, Cretoni, A-Varceno, Huguein, Ciolli, Formisano, Vecchiotti, Pedicini, De-Martinis, Dumas, Loiseaux, P. Marianus a Navona. Sed præ cæteris *Avanzini* in elucrubatissimis suis Commentariis; *Bertapelle* in quæstionibus propositis Clero Patavini; *D'Annibale* Reatinus in hanc Constitutionem Commentariis.

(2) En verba Constitutionis: *Eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolutione sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus, excepta* etc. Et ita etiam asserit de suspensione et interdicto. Post Constitutionem autem *Apostolicæ Sedis* nonnulla aliæ latæ sunt censuræ a Pontifice ex dicendis.

explicandæ sunt secundum receptam canonistarum et theologorum interpretationem juxta illud: *Non sunt mutanda quæ interpretationem semper certam habuerunt.* Quæ vero censuræ ex parte tantum cum jure veteri conveniunt, qua parte conveniunt cum ipso jure veteri, qua parte disceptant, cum nova Constitutione explicandæ sunt; et a sensu literali non est recedendum, nisi aliud legislatorem sensisse manifeste appareat.

Censuræ latæ a Tridentino reservatæ non sunt, una tantum excepta, lata in bonorum usurpatores (v. *n.* 629). Quæ autem latæ sunt in Const. *Apostolicæ Sedis* aliæ reservantur vel specialiter, vel simpliciter R. Pontifici; aliæ vero reservantur Episcopis; aliæ tandem reservatæ non sunt, a quibus propterea per quemlibet confessarium pœnitentes absolvi possunt.

Hæc porro Constitutio cum fuerit pro tota Ecclesia Romæ promulgata, in tota Ecclesia viget, etsi non sit promulgata in singulis diœcesibus. Ex *S. Officii* Congregatione 15 *junii* 1870.

559. **Censura specialiter et simpliciter reservata.** Quoad censuras *simpliciter reservatas* Pontifex decernit quod in novis quibuscunque privilegiis et concessionibus Apostolicæ Sedis nullo modo comprehenditur facultas absolvendi a casibus et censuris quibuslibet R. Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, ac explicita mentio facta fuerit. Firmam tamen esse vult absolvendi facultatem a Tridentino Episcopis concessam capite *Liceat.*

Quoad censuras autem *specialiter reservatas* declarat, quod ab illis Episcopi valide nequeunt absolvere neque per facultatem ipsis tributam ex cap. *Liceat* (1). Nulli item suffragatur generalis facultas obtenta absolvendi a casibus et censuris Papæ reservatis. Et die 17 junii 1866 S. Officii Congregatio declaravit, quod etiam in generali et amplissima concessione facultatum, idest absolvendi ab omnibus omnino casibus Papalibus, non ideo potest dari absolutio a casibus reservatis a Benedicto XIV Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* qui duo sunt: 1) Illius qui falso denuntiat sacerdotem de sollicitatione; hic tamen casus est sine censura — 2) Illius qui attentat absolvere suum complicem in peccato turpi extra casus in Bulla de-

(1) In locis Missionum pro facultate absolvendi recurritur ad S. Congregationem de Propaganda fide; aliis in locis ad S. Pœnitentiariam.

Nota. Censuræ speciali modo reservatæ ex Bulla *Cœnæ* fuerunt desumptæ (excepta absolutione complicis de peccato turpi). Hinc S. C. Officii 4 apr. 1871 statuit, ut in formulis facultatum, quas S. Congr. de Propaganda fide concedere solet, ubi mentio fit de casibus in Bulla *Cœnæ* reservatis, substituatur *speciali modo in Bulla Apostolicæ Sedis reservatis.*

signatos; qui item incurrit in excommunicationem specialiter reservatam. Die autem 4 apr. 1871 eadem Congregatio declaravit, probante Pio IX, quod etiam obtenta facultate absolvendi a casibus speciali modo reservatis, semper excipitur facultas absolvendi a censura quam incurrit absolvere tentans complicem in peccato turpi; ideo hæc facultas debet esse nominatim expressa. *Quare*, concludit cl. Avanzini, *dici potest excommunicationem latam in attentantem absolutionem complicis, esse hodie specialissimo modo reservatam.*

Revocantur autem omnia privilegia, atque indulta cuilibet cœtui, Ordini, Congregationi cujusvis speciei etiam speciali mentione nominandæ concessa quoad absolvendum a casibus et censuris sive specialiter sive simpliciter reservatis. Attamen personales facultates, quæ scilicet particularibus seu ipsis individuis a S. Sede dari solent, ut sunt quæ ad tempus Episcopis et quibusdam confessariis conceduntur per *pagellas* S. Pœnitentiariæ, ab hac Constitutione non censentur revocatæ, ut respondit Congregatio S. Officii 9 martii 1870. Facultates per illas Pagellas tributæ vide in fine (1).

Qui autem præsumpserit absolvere sine debita facultate quovis prætextu ab hisce casibus præter nullitatem absolutionis, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ simpliciter reservatam. Excipe nisi agatur de mortis articulo, in quo tamen firma semper est quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ si convaluerint, id est se præsentandi *(ex dictis* n. 513).

560. Episcopi tamen possunt absolvere ab excommunicationibus sive publicis sive occultis etiam speciali modo Papæ reservatis impeditos Romam adire; hanc enim facultatem ipsis communiter concessam nulla Constitutio abrogavit. « Tamen quum ageretur de re gravissimi ponderis, quamvis nulla gravis ratio hac de re dubitandi mihi occurreret; opportunum duxi exquirere sententiam alicujus viri gravissimi, quæ me magis in solvenda proposita quæstione confirmaret. Dubium porro sic proposui: *Utrum per Constit.* Apostolicæ Sedis *derogatum ulla ex parte fuerit potestati, quam jus et consuetudo universalis Episcopis concesserat circa impeditos personaliter Romam proficisci?* Secretarius S. Pœnitentiariæ (quamvis privato prorsus modo) rescribere dignatus est: *Nihil esse innovatum.* Majori confirmatione non indiget assertio nostra. » Hactenus cl. auctor Opuscoli hac de re Patavii editi *(Qui vero impediti* v. n. 513).

561. **Facultas Episcopi ex Capite** *Liceat.* Pius IX firmam

(1) Item qui gaudet privilegiis Bullæ *Cruciatæ* absolvere potest etiam a censuris specialiter reservatis; excepto tamen hæresis crimine, et pro ecclesiasticis excepta etiam censura, de qua in Const. Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ*. V. *Il Monitore ecclesiastico, pubblicazione mensile*. Maratea, an. 2°, pag. 268.

esse vult absolvendi facultatem a Tridentino concessam Episcopis capite *Liceat* in quibuscunque censuris Apostolicæ Sedi præsenti Constitutione reservatis, iis exceptis quæ speciali modo reservatæ sunt. Quæ Tridentina concessio habetur *sess.* XXIV, *cap.* 6 *de Ref.*: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis *ad forum contentiosum*, dispensare: et in quibuscunque *casibus occultis* etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua, per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. » Hac potestate gaudet etiam Vicarius capitularis ex S. Congr. Concilii 3 dec. 1632 (*S. Alph.*, l. VII, n. 80).

Crimen autem habetur *deductum ad forum contentiosum*, quando in foro judiciali probatum est saltem per unum testem. Si tamen reus se purgavit a crimine in judicio, etiam malis artibus, poterit ab Episcopo absolvi tanquam de delicto occulto, etsi complex ejusdem criminis nequiverit se purgare; nam res acta inter alios non affert præjudicium cui res judicata non nocet.

Illi autem casus reputantur *occulti*, qui in judicio non fuerunt probati, et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, uti si paucis, v. g. tribus aut quatuor personis discretis innotescat tantum, aut si factum appareat dubium. Ab hisce porro casibus ex capite *Liceat* potest absolvere Episcopus, sive illi occulti sint *materialiter*, id est si a publico ignorentur commissa delicta; sive *formaliter*, nempe si delicta nota quidem sint, sed ignoretur illis adnexam esse censuram (*S. Alph.*, l. VII, n. 75. *Benedictus XIV*, Notif. LXXXVII. *Scavini*, l. I, n. 948) (1).

562. *Catalogus censurarum latæ sententiæ quæ nunc vigent.*

Excommunicationes: a) *In excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam incurrunt:*

1) Omnes a christiana fide apostatæ, et omnes ac singuli hæretici quocunque nomine censeantur et cujuscunque sectæ existant; eisdem credentes, eorumque receptatores, fautores ac generatim quilibet illorum defensores (v. n. 563).

2) Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicæ libros eorundem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes; nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos; eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes (v. n. 566).

3) Schismatici et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (v. n. 571).

(1) Probabiliter crimen in uno loco publicum potest absolvi ab Episcopo in alio loco ubi est occultum; dummodo non sit timor quod facile publicetur ubi occultum est (*S. Alph.*, l. VII, n. 78).

4) Omnes et singuli cujuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes; nec non ii quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuit (v. n. 572).

5) Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque apostolicæ Legatos vel Nuntios; aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes; nec non ea mandantes vel rata habentes seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem (v. n. 573).

6) Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori: et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præbentes (v. n. 574).

7) Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ (v. n. 575).

8) Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quælibet a Sede apostolica vel ejusdem Legatis aut delegatis quibuscunque profecta; eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes; aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes vel perterrefacientes (v. n. 578).

9) Omnes falsarii Literarum apostolicarum etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per R. Pontificem vel Romanæ Ecclesiæ Vice-cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes Literas apostolicas etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis seu Vicecancellarii aut Gerentis vices prædictorum (v. n. 579).

10) Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad Confessiones sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis Confessionem (v. n. 580).

11) Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes (v. n. 583).

12) Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes (v. n. 588). Ex Const. *Apostolicæ Sedis.*

13) Canonici Cathedralis Ecclesiæ vacantis si ausi fuerint concedere quovis colore regimen Ecclesiæ vacantis in nominatum et præsentatum ad sedem episcopalem, antequam nominatus exhibeat Bullas ei cui de jure sunt exhibendæ. Item ipse præsentatus si talem curam ac regimen suscipit sub quovis provisorio nomine; et omnes qui præmissis paruerint, aut auxilium, consilium vel favorem præstiterint (Ex Const. *Romanus Pontifex;* v. n. 590).

14) Omnes intrusi qui Ecclesiæ jurium aut bonorum audent possesssionem arripere (n. 591). Ex decreto S. Congregationis Concilii.

15) Omnes nomen dantes societati quæ jus sibi vindicare vult quoad R. Pontificis electionem (n. 592). Ex S. Pœnitentiaria.

16) Omnes hæreticorum sectis nomen dantes, vel ipsorum functionibus intervenientes et cooperantes (n. 593). Ex Instructione Cardinalis Vicarii ad Romanos.

b) *In excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam incurrunt:*

1) Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apost. Sede damnatas sub excommunicatione latæ sententiæ. Item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedictio XIV (v. n. 595).

2) Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel utriusque sexus monachos; exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (v. n. 596).

3) Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acce-

ptantes et quilibet complices; vel qualemcunque operam aut favorem præbentes. Nec non de industria spectantes illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes cujuscunque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis (v. n. 598).

4) Nomen dantes sectæ massonicæ aut carbonariæ aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur. Nec non iisdem sectis favorem qualemcunque præstantes; earumve occultos coriphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint (v. n. 600).

5) Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes (v. n. 603).

6) Violantes clausuram Monialium cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes. Itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus et formam a s. Pio V præscriptam (v. n. 604).

7) Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliive eas admittentes (v. n. 605).

8) Rei simoniæ realis in Beneficiis quibuscunque eorumque complices (v. nn. 606, 813 et seqq.).

9) Rei simoniæ confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis (v. nn. 606 et 813).

10) Rei simoniæ realis ob ingressum in religionem (v. nn. 606 et 815).

11) Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum* (v. n. 607).

12) Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent (v. n. 608).

13) Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus s. Pii V, Innocentii IX, Clementis VIII et Alexandri VII alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. Romæ Ecclesiæ respicientibus (v. n. 609).

14) Religiosi præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia (v. n. 611).

15) Extrahentes absque legitima venia Reliquias e sacris cœmeteriis sive catecumbis Urbis Romæ ejusque territorii; eisque auxilium vel favorem præbentes (v. n. 612).

16) Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem (v. n. 613).

17) Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes (v. n. 614).

18) Absolvere præsumentes sine debita facultate etiam quovis prætextu innodatos excommunicationibus R. Pontifici speciali modo reservatis (v. n. 615).

19) Adhuc confirmantur censuræ latæ pro R. Pontificis electione, nisi in desuetudinem abierint (v. n. 616).

20) Item confirmantur censuræ si adhuc in suo vigore, quæ latæ fuerunt pro interno regimine quorumcunque Ordinum regularium, ac quorumcunque congregationum, cœtuum locorumque piorum cujuscunque nominis aut generis sint (v. n. 617). Ex Constitutione *Apostolicæ Sedis*.

21) Missionarii et ecclesiastici qui excommunicantur ab Urbano VIII et Clemente IX ob exercitam negotiationem in Indiis orientalibus et America (v. n. 618). Ex S. Officio 4 dec. 1872, probante Pio IX.

22) Omnes sive clerici sive laici cujuscunque dignitatis qui ecclesiastici beneficii aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, jura, fructus, emolumenta per se vel per alios, quacunque arte in proprios usus convertere præsumpserimt, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur (v. n. 629). Ex Tridentino, sess. XXII, c. 11 *de R.)*.

c) *In excommunicationem latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis locorum reservatam incurrunt:*

1) Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes (v. n. 620).

2) Procurantes abortum, effectu secuto (v. n. 621; et t. II, n. 320).

3) Literis apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes (v. n. 622).

d) *In excommunicationem latæ sententiæ non reservatam incurrunt:*

1) Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos (v. n. 623).

2) Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes aliosve ministros S. Officii; ejusve sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes: vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes (v. n. 624).

3) Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de rebus Ecclesiæ non alienandis (v. n. 625).

4) Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Gregorio XV et Benedictio XIV (v. n. 627; et t. II, n. 766).

5) Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii adprobatione imprimunt aut imprimi faciunt (v. n. 628). Ex Const. *Apostolicæ Sedis.*

6) Magistratus, si ad instantiam Episcopi non præbeat auxilium adversus contradictores clausuræ monialium (v. n. 633).

7) Raptores mulierum eorumque consocii (v. n. 634; t. II, n. 993).

8) Omnes qui directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogunt quominus matrimonium libere contrahant (v. n. 635).

9) Cogentes mulierem invitam, præterquam in casibus permissis, ad ingrediendum monasterium; eorumque fautores, consulentes et auxilium præbentes. Item impedientes sine causa mulierem a religione (v. n. 636).

10) Præsumentes docere vel pertinaciter asserere eos qui in mortali sunt, si se contritos existimant, non teneri ad confitendum, ut Eucharistiam suscipiant etsi adsit copia confessarii (v. n. 637).

11) Negantes matrimonia clandestina, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, vera et rata matrimonia fuisse (v. n. 638).

12) Asserentes matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta irrita esse (v. t. II, n. 922). Ex Tridentino Concilio.

Suspensiones: a) *Suspensionem speciali modo R. Pontifici reservatam incurrit:* Qui electus a capitulo vel sæculari potestate ad sedem episcopalem (si habeant jus eligendi) illius regimen suscipit, nondum præsentatis Bullis suæ provisionis cui de jure sunt præsentandæ. Qui si jam episcopali charactere sit insignitus suspensus remanet ab exercitio Pontificalium (v. n. 647). Ex Constitutione *Romanus Pontifex.*

b) *Suspensiones simpliciter R. Pontifici, vel Episcopis vel ad tempus reservatæ.*

1) Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes qui ad illarum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos antequam ipsi exhibuerint Literas apostolicas de sua promotione (v. n. 639).

2) Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (v. n. 640).

3) Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt

ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu Beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus; vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus (v. n. 641).

4) Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur; vel etiam religioso nondum professo (v. n. 643).

5) Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti extra religionem *degentes* (v. n. 644).

6) Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eundem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel interdicto nominatim denuntiatis; aut ab hæretico, vel schismatico notorio. Qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habet Ordinis sic suscepti, donec dispensetur (v. n. 645).

7) Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint. Nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissionalibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Cardinalem Urbis Vicarium; vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum (v. n. 646). Ex Constitutione *Apostolicæ Sedis.*

8) Episcopi pontificalia exercentes in aliena Diœcesi sine expressa licentia Ordinarii remanent suspensi ab exercitio pontificalium. Sic autem ordinatus est ipso facto suspensus ab executione Ordinum.

9) Episcopi titulares si quem ad minores etiam Ordines vel primam Tonsuram promoverint sine expresso consensu sui Prælati, per annum ab exercitio pontificalium ipso jure suspendantur. Taliter vero promoti ab exercitio Ordinum sic susceptorum donec suo Prælato visum fuerit.

10) Abbates regulares et alii quantumvis exempti qui Tonsuram aut minores Ordines conferre audent alicui sæculari; item si literas dimissorias clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, ab officio et beneficio per annum sunt ipso jure suspensi.

11) Ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi etiam prætextu cujuslibet privilegii aut indulti etiam specialis, sunt suspensi a collatione Ordinum per annum. Sic ordinatus est suspensus a susceptorum Ordinum exercitio quamdiu proprio Ordinario videbitur.

12) Ordinati intra annum a vacatione diœcesis modo non sint arctati, si in minoribus nullo clericali privilegio gaudeant; si in majoribus Ordinibus ab eorum exercitio remanent suspensi ad beneplacitum futuri Prælati. Qui id permittit est ab Officio et Beneficio per annum suspensus: ordinans vero remanet per annum suspensum ab Ordinum exercitio.

13) Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus poterit cum legitima causa dispensare.

14) Episcopi qui suspectas mulieres detinere audeant, si a Provinciali concilio admoniti non se emendaverint, sunt ipso facto suspensi.

15) Parochi vel alii sacerdotes etiam regulares qui alterius parœciæ sponsos sine illorum parochi consensu matrimonio conjungere aut benedicere ausi fuerint suspenduntur, quousque ab Ordinario parochi qui nuptiis interesse debebat, absolvantur.

16) Præfectæ monasteriorum quæ de professione suarum novitiarum Episcopum

ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem ab officio quod tenent, quamdiu Episcopo videbitur (v. n. 648). Ex Tridentino Concilio.

Interdicta: a) *Incurrunt interdictum speciali modo R. Pontifici reservatum:*

1) Universitates, collegia, Capitula appellantes a mandatis R. Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium (v. n. 649). Ex Constit. *Apostolicæ Sedis.*

2) Episcopi qui electi ad episcopalem vel archiepiscopalem aut patriarchalem Sedem, illius regimen suscipere audent nondum præsentatis Bullis provisionis cui de jure sunt præsentandæ (v. n. 649). Ex Constit. *Romanus Pontifex.*

b) *Incurrunt interdictum non reservatum specialiter:*

1) Scienter celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica Sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes. Donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, satisfecerint: ab ingressu Ecclesiæ (v. n. 650). Ex Constitutione *Apostolicæ Sedis.*

2) Capitulum qui dimissorias ad Ordines non arctatis concedit primo anno luctus vacationis Diœcesis (v. n. 650).

3) Metropolita qui Episcopum, vel Episcopus vicinior qui Metropolitam infra tres menses non denuntiat R. Pontifici, illegitime absentes et contumaces, seu absentes ultra secundum semestre (v. n. 650). Ex Tridentino Concilio.

Art. 2. — Explicantur excommunicationes latæ sententiæ.

563. **Excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici speciali modo ex Constit. *Apostolicæ Sedis*, aliisque Documentis reservatæ.** Excommunicationem incurrunt:

I. « Omnes a christiana fide apostatæ et omnes ac singuli hæretici quocunque nomine censeantur et cujuscunque sectæ existant: eisdem credentes, eorumque receptatores, fautores ac generatim quilibet illorum defensores. »

564. *Explanatio.* Apostatæ dicuntur qui fidem christianam totam abjiciunt vel ut transeant ad falsam religionem vel ut nullam profiteantur, uti sunt liberi cogitatores; essentialis enim apostasiæ malitia consistit in recessione a vera religione. Idem est de naturalismi, rationalismi, pantheismi sectatoribus, et de iis omnibus qui divinam revelationem rejiciunt.

Hæretici sunt illi omnes qui scienter et pertinaciter aliquem errorem in fide profitentur, et maxime qui sunt de secta hæretica; quare non solum ariani, pelagiani, lutherani, protestantes, jansenistæ; verum etiam moderni antinfallibilistæ *(vecchi cattolici)* huc veniunt. Item indifferentistæ in materia religionis; addunt qui abdita cordium divinare præsumunt, vel futuras hominum liberas actiones per tabulas semoventes, etc. si tamen (ut facile evenit) id formalem errorem contineat contra fidem. Sed maxime veniunt hæretici dogmatizantes, qui nempe ex professo hæresim publice vel privatim alios docent voce vel scriptis; et ideo hæretici ludimagistri vix evenire potest quod non sint dogmatizantes: quapropter videant parentes, ne hisce filios suos erudiendos committant; propriam enim ac filiorum animas æternaliter perderent.

565. In pœnas latas contra apostatas et hæreticos incurrunt etiam:

1) Eisdem *credentes,* qui nempe verbis, factis aliisque modis,

externis tamen, illorum doctrinam vel implicite profitentur, vel illis assentiuntur, ut siquis dicat: *Verum est quod Lutherus asserit contra romanam Ecclesiam;* vel si dicat: *Credo quod Calvinus credit, aut quod fuerit sanctus* (S. Alph., *l.* VII, *n.* 306).

2) Eorum *receptatores,* qui nempe ipsos hospitio recipiunt vel occultant, etsi semel, ut pœnam effugiant, uti si hæreticum ob causam hæresis fugientem abscondant, ne a judice legitime inquisitus capiatur. Excipiunt valde probabiliter, qui eos recipit ratione amicitiæ vel consanguinitatis; etenim iste non favet hæretico uti hæretico: quod tamen alii negant, nam virtualiter defendendo personam, ipsa hæresis defenditur. Quod si non obstante receptatione, hæreticus incidat in manus judicis, tunc alii negant pœnas a receptatore incurri, quia hæresis non amplius favetur. Mihi tamen arridet contrarium, nam jam est verificatus effectus favoris præstitus, per receptationem.

3) *Fautores,* qui nempe hæreticis favorem præstant, ut facilius hæresim doceant atque diffundant, vel ipsos non capiendo, non custodiendo, non puniendo si hæc debeant præstare ex officio; vel eos laudando aut adjuvando ut fugiant, etsi a recta fide interius non dissentiant. Item qui eos invitant ad prædicandum inter catholicos, vel adjuvant ad eorum templa et scholas aperiendas, vel ideo sumptus tribuunt.

4) *Defensores,* qui nempe personas hæreticorum, qua sunt hæretici, vel doctrinas qua sunt hæreticæ, tuentur, puta impediendo quovis modo, ne cum eis justitia fiat. Necesse autem non est ut hæreticus vel apostata sit nominatim declaratus aut publicus, ut eisdem credentes, eorumque receptatores, fautores ac defensores excommunicationem incurrant; sed satis est quod dignoscantur uti tales. Cætera de fide.

II. « Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicæ libros eorundem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes; nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos; eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes. »

566. *Explanatio.* Libri in prima parte notati, ut ab eos legentibus incurratur excommunicatio debent esse: 1) Hæreticorum vel apostatarum: hinc hanc censuram non incurreret qui legeret librum judæi vel alterius fidelis etsi hæresim contineat, vel libros eorum qui hæreticis adhærent — 2) Hæresim continere: hinc censuram non incurrunt qui hæretici librum legunt, si in eo nulla sit hæresis — 3) Hæresim insuper propugnare: ideo non sufficit quod hæresim simpliciter contineant, si illius patrocinium data opera non videantur suscipere, eam probando, defendendo — 4) Legens non debet ignorare linguam, qua scriptus est liber: secus idem est ac si non legeret; lectio enim non esset nisi materialis — 5) Libri debent legi *scienter,* ita ut non adsit ignorantia neque prohibitionis neque censuræ. Imo, ut dicunt, excusat ignorantia non tantum crassa et supina, uti nemo dubitat; sed etiam affectata, etsi lethali culpa non careat.

In eam autem incidunt scienter legentes impiissimum librum Rénan, cum indubia sit hæresis propugnatio, atque ita ut aperte manifestet auctorem a fide catholica defecisse et verum esse apostatam, etsi antea non fuerit cognitus uti talis (hæreticum dicimus sive talis sit ex secta, sive ex doctrina). Item est de legentibus versionem

S. Scripturæ a Diodati si cum notis vulgatam; est enim hæreticus qui hæresim docet et ex proposito in adnotationibus propugnat.

Sed insuper requiritur, ut lectio sit in materia notabili, ex communi. Qua in re dico, quod statim post paucas lineas excommunicatio incurritur, si legens statim offendat in doctrinam quæ propugnet hæresim; secus requiritur lectio notabilis, v. g. duarum vel trium paginarum. Nec refert quod error sit abrasus, si liber ex professo hæresim defendat. Neque quod legens nullum timeat periculum, vel legat bono fine, v. g. ad discendum, ad confutandum. Attamen ex epichea excusaretur vir doctus a censura et a peccato, si legeret librum hæreticum, casu quo omnino necessario indigeat tali lectione ad convincendum hæreticum de suo proprio vel alterius hæretici libro, v. g. notando contradictionem, si periculum sit in mora, nec pateat recursus ad superiorem.

Item probabilius cum Alasia excusant a censura qui non legit, sed audit tantum lectionem libri hæretici; quia proprie non potest dici quod ipse legat. Imo sunt qui ipsum a censura excusant etiamsi ad legendum induxerit: quod merito putant probabile Croix et Viva; imo et a peccato si nullum timeat periculum perversionis (posito tamen semper quod ille qui legit, licentiam habeat; secus inducens peccaret contra caritatem, utpote alium provocans ad actum prohibitum). Ratio quia ex una parte nullus est prævaricationis timor; ex altera lex prohibitionis loquitur solum de *legentibus, retinentibus, imprimentibus, vel quomodolibet defendentibus*; pœnæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum (*S. Alph.*, l. VII, nn. 283, 292).

Retinere vero est librum apud se habere scienter, ut bibliopola. Non tamen culpandus qui librum ei tradit cui licet illum retinere, ea lege, ne repetat quousque licentiam legendi obtinuerit. Item si retineat ad paucos dies, vel expectando tradendi opportunitatem vel petitam legendi veniam. Non tamen excusatur qui librum retinet alieno nomine ut in deposito, mutuo; quia de facto retinet.

Imprimere est typis librum edere; huc veniunt præter typographum et editorem, etiam proxime cooperantes, uti typos componentes, atramento eos tingentes, chartas madefacientes, etc. Non corrector ut dicunt, si tantum corrigat huc illuc signatos errores; secus autem si ad corrigendum totum legeret; sed ajunt hic haberi ut hæreticorum fautor. Non incurrit censuram qui chartam vendit, atramentum ac typos, aut mutuat editori pecuniam, nisi id expresse agat ut liber edatur. Cæterum quod spectat speciatim ad manuales et cooperatores subalternos præter scientiam requisitam ad censuram dijudicandum est ex adjunctis, an ipsi in casu tanquam cooperatores formales vel materiales habendi sint; et si materiales tantum sint habendi, utrum causam justam et proportionatam habeant, ut a cooperationis culpa excusentur (V. *De cooperatione*, n. 929).

Defendere est librum laudare, probando quæ in eo sunt: illum abscondere vel impedire, ne tradatur superiori. Aliter esset si quis laudaret tantum ingenium auctoris, stylum et eruditionem; videat tamen ne ideo alliciat ad illum legendum: vel laus talis sit ut in ipsam libri approbationem redundet.

557. Q. 1. *An incurrant excommunicationem legentes tantummodo hæreticam concionem, aut epistolam errorem continentem?*

R. Alii cum Suarez affirmant: nam eadem ratio periculi est, et hæc est lex fidei favorabilis. Alii negant cum Sanchez, quia revera hujusmodi concio vel epistola non potest dici liber. Attamen Expurgatorium romanum ex Tridentino decreto editum comprehendit omnes

scripturas etiam breves, uti epistolas, orationes, carmina, decreta, etc. (*S. Alph.*, l. VII, n. 293).

568. Q. 2. *An manuscripta hæreticorum sub nomine libri veniant?*

R. Alii negant, quia revera manuscripta ex communi usu libri non appellantur. Sed ego magis adhæreo contrariæ sententiæ; tum quia est communior; tum quia manuscripta etiam veniunt nomine libri, prout libri dicebantur ante artem typographicam, et etiam nunc parochorum acta, nempe baptizatorum, matrimoniorum, etc. a Rituali, et communiter libri appellantur (*S. Alph.*, l. VII, n. 293.)

569. Q. 3. *An diaria hæreticorum hæresim propugnantia, ephemerides et folia quotidiana hæresim item ex professo propugnantes veniant sub nomine libri, et prohibita sint sub censura?*

R. Affirmative si res sit de diariis quæ compactis fasciculis periodice eduntur. Illi enim fasciculi dependenter unus ab alio eduntur in ordine ad integrum opus, cujus singuli partes sunt, efformandum. Ergo *librorum* nomine recte censentur.

Si vero agatur de foliis quotidianis et volantibus, alii adhuc affirmant, quia leges etsi pœnales non sunt strictim interpretandæ, quando secus frustranea redderetur fere omnino lex, ut in præsentiarum. Quid enim magis fidei nocet quam diaria odierna irreligiosa quæ continuo veniunt in omnium manus? Verum alii communius negant; folia enim divisa proprie librorum nomine reapse non veniunt, etsi ultro fateantur istas ephemerides perniciosas esse fidei et moribus, et ideo ipsa lege naturali vetitas esse, et quidem sub gravi, si adsit periculum perversionis, quod quidem ex frequenti lectione timendum est.

Attamen Pius IX primam sententiam firmare videtur; nam 1 nov. 1874 privata Allocutione damnans hujus furfuris Diaria ait: *Altre volte questi fogli furono da Noi proibiti; ed in questa occasione torniamo a proibirli tutti, o a dir meglio, confermiamo le antiche proibizioni con le annesse censure.* Adde: in decretis de librorum lectione, *libri* nomen se extendit ad illud omne, cujus lectio in fidei et morum detrimentum confert (v. *Expurgatorium romanum* seu *Decreta de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis sub initio Indicis librorum prohibitorum*). Videtur concludendum censuram incurrere qui folium legit in quo aperte hæresis docetur; non vero qui folia legit licet ejusdem auctoris et nominis, si hæresis non propugnetur; folia enim quotidiana prodeunt de die in diem, quin partem efficiant unius ejusdemque pertractationis, sed ordinarie constituunt ex se complementum diei tantummodo (v. Berardi, *De occasionariis*).

570. *Literas* tandem *apostolicas*, quibus damnantur libri, non intelliguntur decreta Indicis librorum prohibitorum; sed Bullæ, Brevia RR. Pontificum quæ de apostolica auctoritate nominatim prohibent libros (id est expresso operis titulo) et quidem sub pœna excommunicationis Pontifici reservatæ. Quæ dispositio utpote generalis non solum intelligenda est de libris imposterum hoc modo prohibendis; sed etiam de iis omnibus quæ hactenus sub hac forma prohibiti fuerunt. Nec refert quod illorum auctor catholicus sit; et sic a Pio IX prohibiti fuerunt libri Nuitz. Item non obstat si liber sit alicujus infidelis; dicitur enim *cujusvis auctoris*.

III. « Schismatici et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. »

571. *Explanatio*. Hic intelligitur tum ille qui se in auctoritatem erigens novas ecclesias ab unitatis centro separatas constituit (ut promotor ecclesiarum nationalium et *veteri catholici* ita dicti), vel easdem temerarie sequitur; tum ille qui pertinaciter id est sciens

volens a debita romani Pontificis subjectione, uti est talis recedit, ut sunt catholici *liberales* qui futili prætextu, repulsa data legibus et mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tanquam solutos ab ejus obedientia; quamvis nulli ecclesiasticæ auctoritati adhæreant et nullam constituere conentur, imo quamvis se adhuc catholicos esse contendant ac prædicent.

Dixi *ut est talis* seu ut caput Ecclesiæ; ideo huc non venit qui ejus temporale dominium detrectat, vel qui simpliciter renuit obedire mandatis R. Pontificis, quia gravia sunt et molesta, v. g. in jejuniis; vel ex odio in ejus personam uti privatum; hic tamen extrahendi modus est valde periculosus *(De Ecclesiis nationalibus* v. Scavini, l. IV, n. 126) (1).

Qui vero renuit subdi corpori Ecclesiæ, vacua Sede apostolica, utpote schismaticus in excommunicationem reincidit; nam censura lata est etiam contra omnes schismaticos in genere. Hæc tamen accipe de schismate puro, cui nempe nulla hæresis admixta est (quod vix amplius datur). Nam si schismaticus teneat etiam aliquod fidei contrarium, v. g. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ, vel esse quidem, sed ei competere primatum honoris tantum, hæreticus foret, ac proinde duplici esset excommunicatione irretitus.

IV. « Omnes et singuli cujuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes; nec non ii, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuit. »

572. *Explanatio.* Hæc censura est explicatio præcedentis, et tollit omne refugium a pertinacibus; prætendunt enim appellantes se ad auctoritatem Concilii (quam jactant auctoritati Pontificis superiorem) minime ab unitate Ecclesiæ recedere. Si appellantes sint personæ morales, v. g. universitates, adest etiam interdictum ex dicendis (n. 649). Hanc autem excommunicationem non incurrit, qui appellat ad futurum Pontificem vel ad Concilium jam convocatum.

Per mandata a quibus non licet appellare intelliguntur ea omnia quibus R. Pontifex munere supremi pastoris fungens aliquid imperat,

(1) Quæ abstractio si procedat ab animo pertinaci, a spiritu superbiæ, sensim sine sensu in interitum ducit; hujus teterrimi lapsus non veterum tantum, sed et recentiorum exempla non desunt, qui si prius sedebant in concilio Sanctorum, nunc amplexati sunt stercora; sapientes in oculis suis despicientes omne consilium proterve contendunt per fas et nefas conciliare quod conciliari nequit, Christum cum Belial. *Nemo se seducat; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens; sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum; scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum* (I Corinth. III); et omnis sapientia eorum devorabitur. Qui ergo stat videat ne cadat; sed humiliter de se sentiat, et omnimode studeat se perfecte conformare spiritui Ecclesiæ; dico *spiritui* (ad rem cl. Cardinalis Manning), quia non sufficit fidei dogmata credere et universæ disciplinæ se submittere. Hoc multi faciunt, in quibus tamen prædominat spiritus superbiæ, singularitatis, criticæ, et nescio qualis obsequentiæ conceptibus proprii *ego.* Spiritus Ecclesiæ nobis manifestatur non solum per RR. Pontifices, per Concilia, sed etiam ex sensu et judicio Sanctorum, ex traditionibus pietatis, et devotionibus approbatis, vel etiam solum permissis *(Missio spiritualis Spiritus S.).* V. *La Scuola cattolica,* t. XI: La conciliazione.

ordinat, consulit quod ad bonum spirituale animarum, non vero quæ ad civile regimen spectant. Si quis a decretis appellaverit quæ Papa ex cathedra tulit in rebus fidei et morum, hæreticus esset et duplici excommunicatione irretitus.

Qui appellationem jam secutam approbat, non censuratur; sed censura incurritur, semel appellatione interposita. Item censuram incurrunt *auxiliantes*, seu qui in ipsa appellatione facienda media suppeditarunt; *consulentes*, qui suis hortationibus alios ad id excitarunt; *faventes*, qui v. g. approbando, consentiendo, laudando participes fuerunt huic crimini. Idem dicunt de illis qui non impediunt, cum possunt et tenentur impedire talem appellationem.

V. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque apostolicæ Legatos vel Nuntios; aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis ejicientes; nec non ea mandantes vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium vel favorem. »

573. *Explanatio.* Hac excommunicatione puniuntur injuriæ tum in *corpus*, nempe interficiendo, mutilando, percutiendo; tum in *libertatem*, nempe capiendo, carcerando, detinendo; tum in *dignitatem*, nempe hostiliter insequendo, ejiciendo semel receptos. Hanc autem incurrunt non solum qui auxilium aut favorem præstant, sed etiam qui id ratum habent. Verum ex communi Doctorum ad hoc necesse est: 1) Ut id factum fuerit eorum nomine — 2) Ut tempore patrati delicti, illud mandare potuerint — 3) Ut illud probent externo aliquo signo.

Excommunicatio igitur *specialiter* reservata tunc tantum incurritur quando modis supra numeratis offenditur persona sacra in eminenti aliqua dignitate constituta (id est a Cardinalibus usque ad Nuntios S. Sedis). Si enim persona sacra tali dignitate non emineat, tunc illius violatio cadit sub excommunicatione *simpliciter* reservata ex dicendis. In hanc quoque simpliciter reservatam excommunicationem incurreret qui dignitates illas offenderet, modis minime hic expressis sed declaratis ubi erit de *clericorum percussoribus*.

Nihil refert si hujusmodi prælati auctoritate publica vel privata ejiciantur, sive vi adhibita sive minis sive nudo præcepto, si ideo ipsi locum relinquere cogantur. Quare judices præcipientes Episcopo ut a regno, a diœcesi, ab urbe exeat, effectu secuto, ligantur censura; idem dicendum de iis qui hæc mandata exequuntur.

Sed qui ejicit Episcopum e palatio principis vel e locis in quibus nullam habet jus, non ligatur hac censura; item neque qui ejicit Episcopum nondum consecratum, quia non esset proprie Episcopus; vel si fuerit realiter degradatus, quia tunc omnibus clericorum privilegiis privatur; non item si tantum sit censuratus.

VI. « Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori; et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes. »

574. *Explanatio.* Illud *et* videtur habere vim disjunctivam, ita ut hanc censuram incurrat tum ille qui ei obsistit qui jurisdictionem habet, ut est Ordinarius, parochus, ecclesiasticus, si id agat ad eludendum judicium ecclesiastici fori, quin ideo fiat recursus ad forum sæculare; tum ille qui ad impediendam jurisdictionem vel executionem legis, aut sententiæ superioris ecclesiastici appellat ad potestatem laicam, uti dicitur *per abusum.* Sunt autem de jurisdictione ecclesiastica *externi fori* sive ordinaria sive delegata leges ferre, censurare, absolvere, conferre beneficia, prædicatores mittere, visitare Diœcesim, docere, bona acquirere, alienare, etc. *Interni* autem *fori* maxime venit jurisdictio illa qua utitur S. Pœnitentiaria.

Directe vero impedire est obstare ipsimet jurisdictionem exercere volenti, v. g. si quis minetur necem Episcopo, ne censuram ferat in Cajum, vel ne sententia executioni mandetur. Aliter est si ecclesiasticum vexet postquam hic suam jurisdictionem jam exercuit, nempe si sententia jam sit executioni mandata. *Indirecte* si ei obstat in alia re vel alia persona, v. g. si prohibeat scribas, apparitores, præcones, lictores Curiæ ecclesiasticæ, ne officia sua impleant; vel parentes, procuratores, agentes, familiares, amicos hac de causa vexando, incarcerando, etc. Ideo non incurrit censuram qui clericum vexat postquam is jam jurisdictione functus est, v. g. quia aliquem excommunicavit; neque qui clericum cogit ad jurisdictionem utendam; nam hic actum jurisdictionis extorqueret, non eam impediret.

Incurrit autem juxta alios excommunicationem qui recurrit ad judicem laicum, etsi ab eo nihil obtineat, ut patet ex verbis Constitutionis, quæ tantum de *Recursu* loquitur. Attamen alii volunt necesse esse ut recursus sicut et mandatum, consilium, etc., effectum habuerit: idque satis eruitur ex toto contextu; saltem res dubia est.

Per *edentes* vero intelliguntur judices et omnes alii sæcularis fori qui mandata auctoritative condunt et edunt ad impediendum ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium. Proinde hoc nomine non indicantur *actuarii* qui mandata conscribunt, neque *præcones* qui ea denuntiant; nec *cursores* qui talia deferunt. Clerici autem recurrentes ad forum sæculare ex Martino V et Innocentio VIII privantur insuper ecclesiasticis beneficiis.

Huc item veniunt qui, suffragante populo electi, audent legitimæ Ecclesiæ potestati obstando sese intrudere in parochiale regimen et munera obire ecclesiastici ministerii *(ex decreto* 23 *maji* 1874; *vide infra n.* 592). Quod valet etiam quoad eos, qui intrusos eligunt, adjuvant iisque favent. Detestabile sane facinus, quod ecclesiasticam hierarchiam evertit, funditusque pessumdat.

VII. « Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones ; item edentes leges, vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. »

575. *Explanatio.* Olim ex Bulla *Cœnæ* excommunicationem incurrebant judices qui trahebant ad proprium tribunal ecclesiasticos. Hodie tamen censura lata est contra eos tantum qui ad id cogunt ipsos judices quicunque tandem sint (uti sunt actores) ad citandum ecclesiasticum; adeo ut judices laici ex proprio officio et ad normam legis ecclesiasticum debeant trahere ad suum tribunal. Ideo excommunicatio non attingit eos qui subordinati sunt, ut servi, apparitores, conciliatores neque ipsos judices; sed eos tantum qui a ne-

mine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt (sive directe nempe per se; sive indirecte ut puta metu incusso per alium); ex S. C. Inquisit. 1 febr. 1871. Et quidem si cogunt judices laicos qui ex officio jus dicere solent, ut ecclesiasticum trahant ad suum tribunal uti reum sive in causa civili sive criminali, etiam in re levi; semper enim violaret privilegium fori (non ergo qui cogunt judicem laicum, ut clericum trahat non ad suum tribunal, sed tantum coram se, ut moneat, corrigat extra actum judicialem; aut ut trahat ad suum tribunal non ut reum sed quasi peritum, testem, etc.). Unde si quis alios magistratus cogit vel syndicum contra ecclesiasticos ad illos ad se trahendos, patet, quod excommunicatio locum non habet. Nomine autem judicis laici intelligimus etiam clericum, si forsam potestate laica pro tribunali sedeat seu judicium exerceat; ageret enim ex officio tanquam laicus.

Per verba *præter canonicas dispositiones* intelliguntur Concordata cum Apostolica Sede inita, quæ quidem sine ejusdem Sedis consensu irritari nequeunt *(Syllabus prop.* 43). Item casus quo ecclesiasticus fuerit degradatus aut alia causa jus fori amiserit; vel si tale jus non amplius obtineat, Ecclesia permittente.

Per verba *leges vel decreta* intelliguntur etiam leges de *Regio placito* et *Regio exequatur;* aliaque vincula quocunque appellentur nomine, si a suprema potestate, parlamentis, municipiis, præfectis, consiliariis provinciæ, etc. edantur lædentia jura Ecclesiæ.

Verbo *edentes* intelliguntur tantum qui eas leges et decreta auctoritative condunt, uti reges, senatores, deputati. Non ergo præcones qui illa evulgant, nec tabelliones qui ad eorum normam acta conficiunt; nec litigantes qui eisdem utuntur; nec judices qui juxta illa sententiam dicunt in peculiari causa. Qui tamen facile incidere possunt in censuram eo quod impediunt directe vel indirecte jurisdictionem ecclesiasticam, vel impedientibus favorem præbent.

De *juribus* autem et *libertate* Ecclesiæ sunt actus docendi, ordinandi, publicas supplicationes etiam extra templum agendas, ecclesias, beneficia, pia sodalitia excitandi, bona acquirendi, administrandi, et alia plura quæ respiciunt potestatem ecclesiasticam tum Ordinis tum jurisdictionis, quæ quidem præcipue notantur in Syllabo propositionibus 22, 26, 27, 29, 33, 42 et 45.

576. Q. Quomodo Ordinarii circa *Regium placet* et *Exequatur*, quod gubernium sibi arrogat super Bullis pontificiis, se gerere debeant?

S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 respondit: « Non esse inquietandas privatas personas, quæ ut se servent indemnes ad gubernium pro Regio placet seu Exequatur recurrunt; verum Ordinarii hac in re quantum poterunt, passive se habeant; et si a gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiæ et ad formam sacrorum Canonum sententiam suam patefaciant.

577. **Regium placitum.** Et antiquitati ignota et Ecclesiæ injuriosa et ejus potestati læsiva est illorum politicorum doctrina, qui volunt Ecclesiæ leges esse *regio placito* jure submittendas, ut vim habeant suam. Hanc limitationem non imposuit Christus pastoribus suæ Ecclesiæ, neque laicales potestates judices rerum ecclesiasticarum constituit. Sane ex historia constat, ante schisma sub Urbano VI exhortum, nullum vestigium Placiti adesse; sed eo tempore, ut veri Pontificis constitutiones discernerentur a falsis et falsorum Paparum Bullis, ipsi Urbano necessarium visum est ut Episcopi Decreta pontificia, an legitima forent ante judicarent, quam executioni mandarentur. Verum principes quoque, ne populi a

Pseudo-pontifice deciperentur, prævio Bullarum examine cavendum sibi duxerunt. Quæ rationes cum hodie cessaverint, ideo et Placitum cessare deberet; et revera Pontifices plures contra illius usum reclamarunt, uti videre est apud Walter. Et Pius IX in suo *Syllabo* damnavit hasce propositiones; n. 20: « Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu; » n. 28: « Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas Literas promulgare; » n. 29: « Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per gubernium fuerint imploratæ; » item vide propositiones sub nn. 39, 44, 49 et seqq. *(Scavini,* l. IV, n. 102).

Concordata. Accurate loquendo Concordata a S. Sede inita potius sunt privilegia concessa, quam pacta vera et synalagmatice inita; nempe sunt concessiones, seu derogationes Juri canonico communi factas. Hinc rectius definitur cum cl. Tarquini Concordatum: « Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno R. Pontificis » auctoritate edita ad instantiam Principis ejus loci, speciali ejusdem Principis » obligatione confirmata se eam perpetuo servaturam. » Ratio autem concludentissima est, quia in Concordatis quæ ab Ecclesia ineuntur, regulariter et ordinarie de rebus agitur ad eam pertinentibus, adeoque ejusmodi quæ sive per se sive per accidens cum fine spirituali connexæ sint. Quibus quidem in rebus societatem civilem subditam esse Ecclesiæ indubitatum est: quæ porro conventiones fiunt inter principes et subditos, regulariter non pacti, sed melius privilegii nomine donantur, et quidem nomine privilegii potius gratuiti quam onerosi. Hoc tamen non impedit, quin Concordata suam habeant firmitatem ac religiose sint observanda; obligatio enim non exurgit ex solo contractu stricto et proprie dicto seu bilaterali; nonne promissiones, juramenta, vota, legata, etc. quibus contractus natura proprie non convenit, tamen strictas obligationes inducunt? Hinc cum ephemerides gallicanæ, vulgo L'*Avenir* 1833, ausæ fuissent asserere Concordata non esse obligatoria, Gregorius XVI eam doctrinam aperte reprobavit. Et Pius IX in *Syllabo* eam proscripsit propositione 43 *(Scavini,* l. IV, n. 105).

Appellationes ab abusu. Si res mutuo finienda, reprobandæ appellationes sic dictæ *ab abusu,* quas nonnulli juristæ tuentur cum Natali Alexandro *(Hist.* ad sæc. IV). Has tunc dari asserunt, quando in causa ecclesiastica fit appellatio ad principem sæcularem ob putatum abusum potestatis ecclesiasticæ. Quas tamen venerandæ antiquitati ignotas, omnium perturbationum fontem, vexationum in Clerum, scaturiginem ac manifestam jurium Ecclesiæ usurpationem appellavit Leo XII Epist. ad Galliæ Regem, die 14 junii 1824. Et Pius IX in *Syllabo* damnavit hanc sub n. 41 propositionem: « Civili potestati vel ab infedeli imperante » exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit » nedum jus quod vocant *Exequatur;* sed etiam jus *Appellationis,* quam nuncu- » pant *ab abusu.* »

Ipse Fleury non suspectus ajebat: *Les appellations comme d'abus ont achevé de ruiner la jurisdiction ecclésiastique.* Et cl. Margotti ad rem nostram scribit in Opere *Processo di Nuytz:* « Basta un po' di buon senso per rilevare tutto il ridicolo d'una dottrina, che erige il potere civile a giudice d'una materia che non conosce. Può egli lo Stato definire i limiti della potestà ecclesiastica?... e come dunque potrà sentenziare che questi limiti vennero trapassati?... Si dice, per esempio, che uno dei casi d'abuso è l'usurpazione o l'eccesso di potere; ma in materia di giurisdizione spirituale, la sola Chiesa è giudice. Non ispetta che a lei dichiarare in che cosa siasi ecceduto o abusato de' poteri che essa sola può conferire.... Un secondo caso di abuso è la contravvenzione alle leggi e regolamenti della repubblica. Ma se queste leggi, se questi regolamenti sono in opposizione colla dottrina cristiana, bisognerà che il prete gli osservi piuttosto che la legge di Gesù Cristo? » *(Scavini,* l. V, n. 106).

VIII. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quælibet a Sede apostolica, vel ab ejusdem Le-

gatis aut Delegatis quibuscunque profecta; eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes vel perterrefacientes. »

578. *Explanatio.* Literæ apostolicæ sunt quæ prodeunt sub R. Pontificis nomine sive in forma Brevis, sive in forma Bullæ vel Encyclicæ vel quavis alia. Acta vero appellantur quæ Romæ geruntur Pontificis mandato sive spirituale sive temporale negotium contineant, uti sunt processus, citationes, monitoria. *Legati* hic sunt qui a Pontifice ad sæculares principes mittuntur rei publicæ causa; *Delegati* quibus aliquod negotium gerendum committitur. Ideo hic non comprehenduntur nec *Legati nati* quos vocant, nec Episcopi in his qui agunt ordinaria jurisdictione tanquam delegati Sedis apostolicæ.

Hanc excommunicationem incurrunt: 1) *Recurrentes ad laicam potestatem,* id est ad eos qui aliquam in cives jurisdictionem exercent, et qua tales, ut sunt judices, præsides, præfecti urbium, etc. — 2) *Prohibentes promulgationem,* quæ nempe fit forma et modo consueto; vel *executionem,* v. g. impediendo ne Literæ suum effectum obtineant, ut si quis notarios prohibeat super his instrumenta conficere, vel ne partes iis utantur — 3) *Lædentes,* id est in corpore, et juxta alios etiam in bonis fortunæ et famæ — 4) *Perterrefacientes,* puta gravi metu impediendo sive ipsas personas quæ rescriptum aliquod a S. Sede vel ejus Legatis obtinuerint; sive alios, v, g. patrocinatores, executores, familiares, notarios, etc. Qui omnes excommunicantur sive laici sive clerici, et licet tantum ad tempus recurrant vel impediant, v. g. quoadusque alter obtinuerit regium placitum; non enim cessat injuria in Sedem apostolicam. Sed juxta regulas juris, ut adsit censura, necesse est ut prohibitio, comminatio, recursus, læsio effectum habuerint.

Quæstio est, an necesse sit publicationem vel executionem prohiberi auctoritate publica, ut obtineat excommunicatio. Alii docent satis esse, ut prohibitio fiat auctoritate privata; quia Constitutio generatim loquitur; alii tamen negant, nam Pontifex de ea prohibitione videtur loqui quæ profluit ex recursu ad potestatem laicam. Dubium est, et hoc vertente *in pœnis benignior interpretatio facienda.*

IX. « Omnes falsarii Literarum apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per R. Pontificem, vel S. Romanæ Ecclesiæ Vice-cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum. Nec non falso publicantes Literas apostolicas etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis seu Vice-cancellarii, aut Gerentis vices prædictorum. »

579. *Explanatio.* Cum falsitas dolo malo perfecta fuerit, excommunicationem statim incurris, etsi falsificatis literis non utaris (cæterum qui iis tantum scienter utitur, quin eas falsificaverit, incurrit in excommunicationem Episcopo reservatam ex dicendis). Literæ autem apostolicæ multis modis (ait Bonacina) possunt falsificari, id est vel illis aliquid addendo aut radendo, ideo eas corrumpendo, aut adulterando; vel sigillum verum falsis Literis apponendo; vel falsas Li-

teras fabricando; vel signando supplicationes ad Pontificem directas pro gratia obtinenda vel justitia, hoc est in eis falso scribendo *fiat*.

Literæ autem apostolicæ proprie dicuntur illæ quæ expediuntur nomine Pontificis vel S. Sedis, ut Encyclicæ, Constitutiones, Literæ Datariæ, etc.; idque sive gratiam contineant uti alicujus liberalitatis concessionem, sive respiciant justitiam uti est quæ litem definiunt. Non ideo huc spectant Literæ aliorum quorumcunque, ut Nuntii apostolici, Legati a latere, Pœnitentiarii majoris, Ss. Congregationum, etc. Imo nec Literæ apostolicæ nondum signatæ utpote nondum authenticæ; nec illæ quæ valere omnino desierint, ut essent Literæ dispensationis a choro ad tempus, hoc elapso.

Falso publicare est literas adulterinas, ab alio confectas voce præconis aut alio modo, sed pro auctoritativa publicatione usitato, promulgare.

X. « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad Confessiones sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem » *(De hac absolutione vide* t. II, n. 720; *et supra* n. 559).

580. *Explanatio.* Qui Confessionem tantum complicis excepit, sed non absolvit vel tantum fingit absolvere, in censuram non incurrit; dicuntur *absolventes.* Ad censuram autem hanc incurrendam alii *ausum* requirunt, ut habet Bulla Benedicti XIV, quam ex toto renovavit Pius IX. Sunt tamen qui id negant; nam Constitutio Pii IX illum non expressit, sed simpliciter dixit *absolventes* quin ad Bullam Benedicti XIV appellaverit; ideo ad hanc censuram incurrendam non requiritur præsumptio, seu ausus temerarius (v. *n.* 508). Cum res dubia sit, odia restringenda sunt.

581. Nomine *peccati turpis* huc venit omne peccatum *externum, grave, certum* et *formale* contra sextum Decalogi præceptum:

1) *Externum;* quia ad reservationem inducendam receptum est, non sufficere solam culpam interiorem, etsi gravem.

2) *Grave*, quia hic non comprehenduntur peccata venialia ex defectu advertentiæ aut consensus; cum nulla sit obligatio manifestandi venialia. Attamen sufficit, ut docet s. Alphonsus contra alios, solus obscœnus tactus vel obscœnum colloquium, modo mortale. Tum quia verba generalia generaliter accipienda sunt: tum quia leges etiam pœnales sunt in sensu naturali interpretandæ. Porro verba *in peccato turpi* in sensu obvio et naturali quæcunque turpia mortalia comprehendunt (1).

3) *Certum,* quia communiter non censentur superiores reservare peccata dubia, nisi id expresse declarent. Item potest confessarius absolvere pœnitentem, si dubitet an fuerit suus complex si dubium perseveret post prudentem investigationem; versamur enim in odiosis.

4) *Formale,* ita ut ex utraque parte complicitas sit mortalis et

(1) Notat Gury: 1) Non est peccatum complicitatis, de quo hic, osculum obiter datum, aut tactus momentaneus manuum vel partium honestarum ex joco vel levitate. 2) Item neque si confessarius puellam manu, brachio vel collo prehendat, atque ipse patiatur veneream delectationem ex sua parte, etsi externe declaratam, si nullam excitet in pœnitente (v. *Scavini,* l. III, n. 485, ubi plures alios casus resolvit cum Alasia).

externata: unde non haberetur complicitas formalis, si quis vi turpiter confessarium tetigerit renuentem, esto forsan hic interne consenserit. Nihil tamen refert, si pœnitens cum peccato consentit, fuerit adhuc impuber; vel Confessarius nondum fuerit sacerdos dum peccatum complicitatis commisit; vel si uti complex non sit in Confessione a pœnitente cognitus, modo vera complicitas intercesserit, et confessarius complicitatem sciat et nihilominus absolvat ab illo peccato (*S. Alph.,* l. VI, n. 553).

Excommunicatio cessat in mortis articulo non solum si alius sacerdos (etiam non approbatus ad Confessionem) adhiberi nequeat sine gravi infamiæ periculo; verum etiam si adsit, sed infirmus ab eo abhorreat et illi confiteri recuset; tunc perinde est ac si nullus alius confessarius adesset. Item si alius sacerdos post jam cœptam confessionem superveniat, quippe qui vix sine gravi suspicione in alterius locum succedere potest. Item si sacerdos præsens, sit publice suspensus aut excommunicatus, non erit præferendus; tunc confessarius complex aut sacerdos simplex, tanquam si nullus alius adsit, valide et licite moribundum absolvit.

582. Confessarius valide absolvit: 1) Puellam, quam dormientem impudice tangit (etsi omnino non deberet illam audire, ne in periculum gravius peccandi se conjiciat); quia non absolvit a peccato complicitatis — 2) Si complicem suum inadvertenter absolveret, valet absolutio ex Alasia, Stuardi et aliis contra Grassi; ratio quia hic jurisdictionis privatio habet rationem pœnæ, et excommunicationem imitatur — 3) Valet absolutio data a confessario pœnitenti, qui inculpabiliter confiteri omisit peccatum complicitatis; quia absolutio in hoc casu nullatenus cadit super peccatum complicitatis; unde non absolvit complicem directe a peccato turpi, quod prohibetur — 4) Valet probabilius absolutio, licet confessarius advertat pœnitentem inculpabili oblivione non confiteri peccatum complicitatis; quia etiam cum hac scientia semper verificatur, ipsum non absolvere pœnitentem directe a peccato complicitatis. Ita plures; vide Pavone, *Spicilegio* etc. a. 155; it. *La luce fra le tenebre;* Griffini, *In Constitutionem Benedicti XIV de non absolvendo complice;* Amort, Itthuriaga, etc.

Casus: 1) *Petrus solatii causa magnetismum cum Cajo suo confessario exercet etiam erga mulieres; adestne complicitas in peccato turpi inter Petrum et confessarium?* — Etsi magnetismi exercitium sit valde periculosum et plerunque inducat ad peccatum contra sextum; attamen hoc non est absolute et per se. Ac proinde est quidem graviter improbandus Cajus; sed eo ipso non est censendus complex cum Petro de peccato turpi, nisi revera magnetismum exercendo simul contra sextum peccaverint, quod facile ex interrogationibus dignosci potest.

2) Si Titius confessarius Luciam hortetur (quæ consentiat) de inducenda puella ad peccatum turpe patrandum cum ipso Titio, adest vera complicitas inter istum et Luciam? — Affirma; sociantur enim in iniqua conventione contra castitatem; et ideo complices sunt.

XI. « Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes. »

583. *Explanatio.* Usurpare est rem ab alio vi occupare, quasi ad se pertinentem, quasi nempe legitima potestas in illis habeatur, ut

si quis parochialem domum, ecclesiæ administrationem sibi arroget, vel alterius ecclesiastici beneficii quod iste jure possidet, uti suum apprehenderet et cum auctoritate. Ideo hanc censuram non incurrunt fures, qui furentur beneficiariis fructus suorum beneficiorum ex S. Inquisitione 9 martii 1870; quia illos usurpant non ut suos, sed tanquam alienos.

Sequestrare est per judicem impedire, ne res sub potestate illius maneat, ad quem de jure pertinet.

Nomine *jurisdictionis* intelligitur quævis potestas sive spiritualis sive temporalis administrandi, gubernandi, jusdicendi. Nomine *bonorum* accipiuntur mobilia, immobilia et jura ad illa; nomine *reditus* quidquid res fert vel percipitur intuitu rei, ut vinum ex vinea, pretium ex locatione, etc.

584. Hanc censuram specialiter reservatam non incurrunt qui rem jam usurpatam ab usurpatoribus acquirunt per hæreditatem vel contractum: cum jam sint usurpata, et vi ab alio occupata uti propria. Item neque qui bona, reditus, jura occupant, quæ competunt piis locis, confraternitatibus ecclesiastica auctoritate erectis, seminariis, montibus pietatis, fabricæ Ecclesiæ (vulgo *Fabbriceria)*; quia hæc non pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum (sub quo nomine venit ecclesiasticus juspatronatus etsi laicalis); nam hæc bona vel ad sacristias, vel ad ecclesiam, vel ad diœcesim pertinent, non ad personas. Attamen isti omnes incurrunt excommunicationem latam a Tridentino (v. *n.* 629).

Incurrunt tamen qui pensionem ecclesiasticam a gubernio statutam ecclesiis aut beneficiatis, v. g. Canonicis, usurparet; nam istæ pensiones tribuuntur ratione beneficii vel ecclesiæ. Item qui usurpat bona vacantium beneficiorum; nam spectant ad eos qui ex canonum præscripto, ecclesia vacante, succedunt; ideo ad personas ecclesiasticas, ut habet Avanzini contra De Varceno.

Item volunt comprehendi sub hac censura etiam qui bona monasteriorum usurpant; horum enim bona ubi emittuntur vota solemnia, ad eos qui professi sunt, aliquo modo spectare videntur. Verum alii id negant; nam illa bona ad monasteria pertinent, non ad personas ecclesiasticas. Sed ratio potior: vox *monasteriorum*, quæ legebatur in Bulla *Cœnæ*, suppressa fuit in nova Pii IX Constitutione: ideo merito censetur non amplius voluisse sub hac censura comprehendere qui bona monasteriorum usurpant; nam ex regula juris: *Legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit, noluisse censendus est.*

585. S. Pœnitentiaria omnibus locorum Ordinariis ad tempus solet concedere facultatem habilitandi concussores et exactores ad exequendas exactiones et mandata civilis potestatis contra ecclesiasticos, et loca pia, remoto prudenter scandalo (v. *Scavini*, t. IV, n. 237).

Q. 1. *An patroni possint sibi vindicare bona beneficii suppressi hic et nunc vacantis?*

R. Propria auctoritate negative; sunt enim Ecclesiæ bona: esto quod ab ipsis donata sint; at semel Deo donata, nequeunt amplius repeti sine auctoritate illius qui potestatem habet a Deo; et ideo etiam patroni qui ea bona usurpant, excommunicationem incurrunt. Attamen si fiat recursus, ex S. Pœnitentiaria 13 junii 1868, Episcopi habent facultatem: « Indulgendi patronis ut persolvant gubernio quod ab eis pro dictis beneficiis violenter exigitur, atque ut ad normam legis eadem bona, remoto scandalo retinere seu assequi valeant sub conditionibus: 1) Retinendi ea bona ad nutum Ecclesiæ, et mandatis

ejus inde obtemperandi — 2) Ea bona conservandi et in eis rem utilem gerendi — 3) Impendendi fructus in æquam satisfactionem summæ gubernio a patronis solutæ si repeti velint, et in redintegrationem eorundem Beneficiorum. Quæ redintegratio, ut facilius obtineatur, S. Pœnitentiaria Apostolica auctoritate facultates tribuit opportunas, ut ad tempus Ordinarius suspendat nominationem et provisionem dictorum Beneficiorum *vacantium,* et pia onera adnexa, prout omnibus perpensis, ipsi visum fuerit, ad tempus reducere seu etiam in totum suspendere valeat. Ita tamen, ut si agatur de oneribus Missarum, patronis aliquis numerus imponatur quotannis celebrandarum, supplendo reliquum de thesauro Ecclesiæ. Facta autem redintegratione, beneficiorum patroni præsentent, cui universitas fructuum cum omnibus oneribus juxta fundationem cedat (1) — 4) Certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligatione per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. »

586. Si vero beneficium jurispatronatus suppressum nondum vacet, patronis S. Pœnitentiaria, recurrendo facultatem facit bona beneficii redimendi sub his conditionibus: 1) *Ut bona* beneficiorum etiam post dictam vindicationem a respectivis eorundem beneficiorum rectoribus possideantur, adhibitis debitis cautelis et emissa a patronis obligatione in scriptis pro se, suisque hæredibus et successoribus valitura, ac penes Curiam episcopalem caute asservanda, se nunquam molestiam quoad hujusmodi canonicas possessiones dictis rectoribus eorumque successoribus allaturos — 2) Ut fructus eorundem beneficiorum a respectivis rectoribus etiam in futurum percipiantur; facta potestate Ordinario onera illis adnexa Apostolica auctoritate reducendi, vel etiam suspendendi ad effectum summam ipsis oneribus respondentem favore patronorum applicandi in redintegrationem summæ ab ipsis gubernio solutæ, quatenus illam repetere velint; ita tamen ut si agatur de onere Missarum rectoribus beneficiorum alicujus Missarum numeri celebratio imponatur, supplendo reliquum de thesauro Ecclesiæ. Hujusmodi autem reductio, suspensio onerum duratura erit solummodo quoadusque patroni de dicta summa gubernio soluta redintegrentur.

Quod si post vacationem beneficiorum patroni nondum de summa redintegrati fuerint, S. Pœnitentiaria de speciali pariter Apostolica auctoritate prælaudatis Ordinariis facultatem concedit permittendi suspensionem nominationis et provisionis beneficiorum de quibus agitur, pro tempore ad dictam redintegrationem necessario, deputatis interim ab eisdem Ordinariis bonorum beneficiorum administratoribus

(1) « La soppressione delle Cappellanie non ha portato seco la cassazione delle volontà dei fondatori quanto all'adempimento degli obblighi annessi, e i patroni svincolanti sono tenuti a corrispondere le elemosine delle Messe; e perciò se il patrono o l'investito che ha svincolata la cappellania non adempie a quest'obbligo, gli interessati hanno azione giuridica per ottenerne l'adempimento. Chi deve far celebrare le Messe non è tenuto di corrispondere per le medesime una somma maggiore di quella fissata dal testatore » *(Cassaz. di Roma*, 4 luglio 1879).

« Il legato pio a favore di una congregazione soppressa, sussiste sempre quanto all'obbligo dell'adempimento degli oneri, anche se il testatore non assegnò una dote speciale, e il Demanio nella rappresentanza delle corporazioni soppresse ha azione per costringere i debitori di legati pii ad adempiere la volontà del testatore, e per esigere le rendite del legato, ma giustificante l'adempimento degli oneri » *(Cassaz. di Roma,* 9 agosto 1877). Ex quibus aperte constat posse ecclesiarum rectores, fabricerios, confraternitates, municipia, fundatorum hæres et quorum interest, urgere etiam legaliter piorum onerum implementum.

inter patronos, si fieri possit, eligendis, qui fructus pro eadem redintegratione erogent, detracta parte pro onerum satisfactione, quorum adimplementum ab ipsis Ordinariis præscriptum fuerit. Dicto tempore elapso, patroni teneantur præsentare etc., ut supra.

587. Q. 2. *An possit obtineri facultas emendi bona Ecclesiæ usurpata?*

R. Hodie ab Ecclesia non ita facile conceditur hæc facultas, nisi extraordinariæ adsint circumstantiæ, vel agatur de personis, quæ morum probitate et zelo religionis conspicuæ sint; quæque ad prædictam emptionem præcipue majori Ecclesiæ et personarum ad quas eadem bona de jure pertinent, utilitate (prudenti judicio) motæ censeantur. Qui insuper providere debent vel testamento vel alio modo, ut illa bona post mortem ad eos perveniant qui sint servatura juxta Ecclesiæ præscriptionem. Pro hac autem facultate obtinenda, fit recursus ad S. Pœnitentiariam, declinato nomine et cognomine, et obtenta proprii Episcopi commendatione. Pro concessione facultas mitti solet ad Ordinarium Diœcesis, qui illam elargiatur sub sequentibus conditionibus ab iisdem personis acceptandis et subscribendis, atque in Cancellaria episcopali servandis:

« 1) Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi — 2) Conservandi eadem bona ac in eis rem utilem gerendi — 3) Satisfaciendi piis oneribus si quæ dictis bonis adnexa sint: et ex fructibus eorundem subveniendi personis et ecclesiis ad quas respective eadem bona de jure pertinent. In aliis rescriptis legitur: *et erogandi reditus eorundem bonorum, qui facta proportione excedant solutum pretium vel in favorem personarum aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptionem soluti, quatenus emptor repetere velit, et de consilio Ordinarii* — 4) Certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. » Tales item sunt præscriptæ conditiones quando Ordinariis conceditur facultas sive per se, sive per confessarios sibi benevisos, indulgendi emptoribus, ut retineant bona sine licentia empta, prævia absolutione a censuris et pœnis ecclesiasticis cum pœnitentia salutari, ac scandalo remoto.

Quoad vero adimplenda *onera bonis adnexa,* et *subveniendi ex fructibus*, etc. potest haberi ratio, et computari illud quod a gubernio jam solvitur personis et ecclesiis spoliatis ex S. Pœnitentiaria 23 martii 1873.

XII. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, favorem præbentes. »

588. *Explanatio.* Hanc excommunicationem incurrunt: 1) Qui vi adhibita invadunt, destruunt, detinent, etiam sub prætextu seditionis præcavendæ; vel per se vel per alios (v. g. suos milites aut ministros) civitates, terras, etc.

2) Qui usurpant, perturbant, jurisdictionem supremam, quæ R. Pontifici in sua ditione competit, ipsum impediendo ab illa exercenda; vel illam retinent, etsi ab aliis acceperint veluti hæredes. Porro id respicit temporalia, ut jus gubernandi, leges condendi, magistratus creandi, nummos cudendi, milites habendi, tributa imponendi, etc.

3) Qui auxilium, consilium aut favorem præbent invadentibus, destruentibus, perturbantibus ac detinentibus supradicta loca, jura et jurisdictionem. Sed quoad detinentes, illi tantum intelliguntur qui proximam, ut usurpatores in possessione sistant, operam præstant, v. g. pecunia, delationibus, consiliis, scriptis; non vero si remote tantum concurrunt, ut qui usurpatoribus ædes locant, inserviunt, etc. Cæterum, notat Avanzini, ut censuram incurrant *auxilium, consilium, favorem præbentes,* etc. requiritur vera et formalis cooperatio et realis adhæsio, quæ non consistit solum in intentione, sed in actione, et quidem non ex ignorantia aut gravi metu, sed ex deliberata voluntate procedente, cum scientia censuræ. Quod constat ex S. Pœnitentiariæ responso 10 dec. 1860 (1).

Quæsitum fuerat a Sacra Pœnitentiaria: An confessarii debeant habere uti censuratos eos qui suffragium pro Italiæ sub uno rege unione sive timore sive dolo, sive ignorantia ducti dedere; tum eos qui idem suffragium dederunt in aliis provinciis extra Pontificiam ditionem, aut dederunt suffragium negativum aut nihil significans; tum eos qui non timore gravi permoti domos suas luminibus ornarunt, usi sunt signis tricoloribus, etc., aut levitate ducti cantui *Te Deum* interfuerint; tum denique mulieres et minorennes, qui votis *(indirizzi)* subscripserunt, vexilla consuerunt, etc.

R. *Censuras ecclesiasticas juxta Literas apostolicas* 26 *martii* 1860 *incurri S. Pœnitentiaria respondit, ab iis qui formaliter cooperantur vel adhærent rebellioni ditionis Pontificiæ. Quare ad dignoscendum in foro conscientiæ utrum quis censuras incurrerit discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia.*

NOTA: In Constit. *Apostolicæ Sedis* nulla fit mentio de *adhærentibus*, sed hoc memorant posteriores Literæ apostolicæ datæ die 1 nov. 1870, in quibus et adhærentes habentur et censura mulctantur R. Pontifici simpliciter reservata. « Porro *adhærentes* non sunt qui nihil moliendo et tantummodo aliqua circumstantia clamando sese propensiores fortasse ostenderunt erga Pontificii Status invasores; de cætero alienos sese semper præbuerunt a rebellione erga legitimum principem. Neque illi qui sese indifferentes ad invasionem exhibuerunt, qui nempe nihil prorsus sive pro sive contra præsentem invasionem peragerunt; sed dicebant: *Nil mea interest; obediam iis qui imperabunt,* etc. atque de cætero nemini vel suaserunt rebellioni adhærere, vel aliquid aliud peragere; ii enim non sunt inter adhærentes computandi, cum factionem rebellem nullimode sint secuti; et de cætero adhærentium actio semper quid positivum importet, et positive in vetitam actionem influat » (2).

(1) Hinc milites conscripti qui contra propriam voluntatem et ex animo repugnantes ducti sunt ad hanc invasionem, *formaliter* neque cooperati sunt nec prædictæ invasioni adhæserunt. Quare discussa a confessario eorum conscientia, si ita rem esse cognoscat, immunes judicet a censura, et absolvat. *Acta S. Sedis* in Const. *Apostolicæ Sedis;* App. 11ª.

(2) Hactenus *Acta S. Sedis,* Append. 11ª, *Constit. qua censuræ latæ sententiæ limitantur;* ed. 2.ª: « Si ergo quis (concludunt) hac de re angoribus conscientiæ prematur confessariique judicium expostulet confessarius interroget videatque quasnam actiones commiserit, quam voluntatem habuerit, quibusnam de causis egerit quod Confessioni subjicit; et si deprehendat actione sua nullimode in patratam invasionem influxisse, ita egisse vel timore, vel quia alios ita agere videbat, sine ulla voluntate rebellibus sese consociandi, eum ab omni excommunicatione immunem judicet. Certum enim cuilibet confessario esse debet, adhæsionem non

Quoad *publica* autem *officia* quæ in ditione usurpata suscipiuntur, facere possunt regulæ datæ in invasione anni 1808. Et:

1) Ut nequeat acceptari quodcunque officium, etsi indifferens, si emittendum sit juramentum fidelitatis illimitatæ; tunc munus evadit pretium iniquitatis. Quod si quis illud jam emiserit, ut absolvatur, debet illud coram Ordinario retractare, nisi per ipsius officii dimissionem jam satis inclusa judicetur retractatio et reparatio scandali.

2) Prohibentur officia ministri cultus et rei demanialis; de se enim sacrilega sunt et immediate damnificativa.

3) Officia omnia quæ directe influunt ad solidandum novum gubernium, ut sunt præcipue officia gubernatoris, præfecti, itemque prætoris (podestà), ejus uno verbo qui primum magistratum agit in qualibet provincia, civitate, oppido.

4) Quodcunque officium quod efficaciter et directe concurrit ad stabiliendam, firmandam, consolidandam novam legislationem, vel in se vel etiam ratione circumstantiarum.

Cætera autem officia suscipere innoxium est; ea nempe quæ ad civium necessitates seu utilitates pertinent: hæc enim ordinem, vitam incolumitatemque ipsius societatis tuentur; et sine quibus ipsa periret. Tunc usurpator etsi injuste auctoritatem habeat, illam possidet et tenet ad bonum commune omnino necessariam (Vide *plures practicæ resolutiones* apud *Scavini* l. IV App. 31ª, 32ª, 34ª, 35ª et 36ª).

589. Hæc eo spectant, ut integrum inviolatumque conservetur dominium temporale S. Sedis. Singulari enim divinæ Providentiæ consilio factum est, quod civilem Principatum R. Pontifex haberet, ut ad Ecclesiam tuendam plena potiretur libertate. *Namque omnibus compertum est* (ait Pius Pp. IX) *fideles, populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse præstituros R. Pontifici, si illum alicujus Principis vel Gubernii Dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent.... Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicæ Sedis... quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones summi Pontificis; cum illum cujusvis Principis aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent; præsertim vero si cui subesset principi, inter quem et romanam Ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum* (Encycl. *Quibus quantisque* 20 apr. 1849). Et feliciter regnans Pontifex Leo XIII in prima sua Allocutione in Concistorio habita 28 martii 1878, Ipsum vehementer angit *asperrima conditio in qua hisce temporibus pæne ubique non modo civilis societas, sed et catholica Ecclesia atque hæc præsertim Apostolica Sedes versatur, quæ sua per vim temporali dominatione spoliata, eo adducta est, ut pleno, libero nullique obnoxio suæ potestastis usu, perfrui omnino non possit.* Et in prima Encycl. *Inscrutabili Dei consilio* ad catholicum Episcopatum 21 apr. 1878 declarationes et protestationes omnes, quas Pius IX tum adversus occupationem civilis Principatus tum adversus violationem jurium ad Romanam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit, omnino renovat et confirmat.

Paucis: Ecclesia Dei jus impræscriptibile habet ad suam libertatem; hoc vel ipsi fatentur adversarii. Verum id ab Ecclesia obtineri non

importare momentaneam consociationem et interruptam sive voluntatis, sive actionis, sed continua saltem per aliquod temporis spatium. »

Item notandum quoad *adhærentes* et approbantes simpliciter, ipsos tantum incurrere censuram, si referratur adhæsio et approbatio ad usurpationem Ditionis Pontificiæ.

posse sine temporali principatu, pluries et solemniter declararunt tum Romani Pontifices, tum omnes per orbem Episcopi, ac benemorati fideles. Hæc est igitur doctrina catholicæ Ecclesiæ, hæc est universalis doctrina tradita ab iis qui docendi jus tenent; huic ergo catholicorum nemo contradicere potest (v. *Syllabus*, *proposit.* 75 et 76).

Necessitatem hujus principatus ad liberum supremi Apostolatus exercitium vel ipse Napoleon primus ultro fassus est, qui antea illud occupaverat. Item plures alii celebrati homines, v. g. Fleury etsi Ecclesiæ infensus, Thiers irreligiosus, Sismondi calvinista, Ranche de secta protestantica, Voltaire incredulus, Poudhron atheus, etc.

Hoc autem temporale Pontificis dominium nulli juri repugnat. Non *juri humano;* cum certe nulla hac de re lex prohibens allegari possit. Non *juri divino:* imo in veteri Testamento plura occurrunt exempla quæ nobis favent: sic Moyses, Deo auctore, et princeps temporalis et summus Pontifex erat; Heli sacerdos fuit et judex politicus; idem de Machabæis dicendum. Non demum repugnat *juri naturali;* sane potestas ecclesiastica, ut argumentatur Cercià, et potestas politica non sunt contrariæ; sed utraque a Deo, utraque laudabilis et una alteri servit: ac proinde sine ulla principiorum pugnantia in eodem esse possunt. Imo, re per se inspecta, et cæteris paribus, multo melius in uno quam in duobus; sic enim facilius unitas servatur ac vitantur lucta et conflictus, qui inter utrumque oboriri possint. Nonne in lege naturæ Sancti extiterunt, qui simul reges et Pontifices fuere? Melchisedech fuit rex et pontifex; Noë, Abraham, Isaac et Jacob præfuerunt suis tum in religione tum in vita politica; imo olim primogenitus et rex et pontifex erat (*Scavini*, l. I, n. 177).

Dices: *Regnum meum non est de hoc mundo*, ajebat Christus; hoc autem convenire debet etiam ejus Vicario.

R. « Il mondo può fare il maravigliato, indispettirsi e dire: che c' entra questo col regno di Dio? *il regno di Dio non è di questo mondo.* Ma Gesù Cristo dice: Andate là: *solvite et adducite mihi;* e se vi dicono qualche cosa, dite ai padroni che sono padrone io più di essi; e prima: *Dicite quia Dominus his opus habet.* » (Opusc. *Che cosa è giansenismo,* c. III, a. I).

Sed ad difficultatem penitus convellendam audiatur perdoctus Novariensis Episcopus Stanislaus Eula: « Nihil contra civilem Principatum R. Pontificis inferre possunt pseudopolitici ex illis verbis quibus Pilato interroganti Jo. XV: *Tu es rex Judeorum?* respondit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Etenim Christus non negavit se esse regem, quum versiculo sequenti ejusdem capitis sese regem fateatur: *Tu dicis, quia rex Ego sum;* sed solum negavit se esse regem eo sensu quo accusabatur a Judeis: nimirum quod regnum judæorum affectaret, cum potius venisset in mundum ut testimonium perhiberet veritati. Præterea, ut advertit s. Augustinus Tract. XV in Joann., non dixit Christus: *Regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo;* neque dixit: *Regnum meum non est hic*, *sed non est hinc*, quasi diceret: « Fideles mei qui sunt regnum meum, quamvis sint in hoc mundo, non sunt tamen de hoc mundo per affectum et imitationem. Vel secundum Chrysostomum relatum a s. Thoma lib. VI in c. 18, 90: *Regnum meum*, id est *potestas mea et auctoritas qua rex sum, non est de hoc mundo; idest non habet originem ex causis mundanis et electione hominum, sed aliunde, scilicet ab ipso Patre....* » Sane Pater dedit ei omnem potestatem in cœlo et in terra; Matth. XXVIII.

590. **Excommunicationes** *speciali modo R. Pontifici reservatæ de novo addendæ Constitutioni* Apostolicæ Sedis.

XIII. « Ex Constit. *Romanus Pontifex* 28 aug. 1873, Canonici et Dignitates Cathedralium vacantium, qui ausi fuerint transferre ac concedere curam, regimen et administrationem Ec-

clesiæ vacantis sub quovis titulo, nomine, quæsito colore in nominatum et præsentatum ad Sedem episcopalem vel a Capitulo si habeat jus, vel a sæculari potestate si hoc gaudeat privilegio, antequam nominatus exhibeat Bullas ei cui de jure, excommunicationem speciali modo reservatam Romano Pontifici eo ipso incurrunt.

» In eandem pœnam incurrit ipse nominatus et præsentatus vel ut supra electus ad vacantem ecclesiam, si illius curam, regimen ed administrationem sub nomine provisoris, vicarii generalis aliove nomine suscepit. Item ii omnes, qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint cujusque status, aut præeminentiæ sint; ideoque vel ipsi reges. »

Præfati autem Canonici et Dignitates mulctantur etiam pœna privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcunque aliorumque redituum ecclesiasticorum. Quæ pœna ipso jure incurritur a Pontifice solum relaxanda. Insuper sic nominati et præsentati ipso facto privati existunt jure acquisito per nominationem et præsentationem. Si vero jam sint charactere episcopali insigniti, in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium et interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter speciali modo reservatam.

XIV. « Item Pius IX per decretum S. Concilii Congregationis 7 maji 1874 declaravit quod ecclesiastici, qui suffragante populo sine ecclesiastica auctoritate ad parochi sive vicarii officium electi, audent sive ecclesiæ sive jurium ac bonorum prætensam possessionem arripere, atque obire munera ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrunt in excommunicationem majorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque pœnas canonicas » (1).

591. Hæc tamen (quod jam constituta erant pro Elvetiæ fœderatione Encycl. 21 nov. 1873) applicantur tantum ad ecclesiasticos provinciis Venetæ et Mediolanensi jurisdictioni subjectos. Quoad cæteros habetur censura lata contra impedientes exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ (v. *supra* n. 574).

Observanda quoad intrusos. Omnes intrusi sunt devitandi, *ita ut* (ait Pius VI) *nihil cum illis sit vobis commune, præsertim in divinis;* et hoc maxime curent ecclesiastici adeo ut abstineant ab omni cum illis communicatione, neque eos invitando neque ad eorum invitationem vel ad quamcunque functionem accedendo. Lupi enim sunt non pastores, filii scelerati ac gravi iniquitate qui inconsutilem Christi vestem dilacerant, et portentosum scandalum fidelibus præbent. At terribile Dei judicium non effugient in die iræ; frustra enim homo non extollitur contra Christos Dei; et passim constat ex historia in-

(1) Nil propterea mirum quod Ss. Canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis pœnis devoverint. Gregorius VII, Pascalis II, Alexander II, et Concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum solemniter decreverunt, investituram Ecclesiæ per manus laicorum susceptam irritam esse, et Clericos Ecclesias taliter recipientes ab introitu Ecclesiæ interdici, excommunicatione mulctari, et si in scelere perstiterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere.

Quin imo scelus hujusmodi eam præterea redolet nequissimam jurisdictionis, bo-

trusos ac schismatum auctores dolore exsiccatos, mœrore consumptos, desperationis dentibus decoctos, tristissimam animam, dæmone extorquente, et præsentem et futuram vitam miserrime et æternaliter amisisse; v. t. II, n. 796 (*Scavini*, l. II, n. 958; l. III, nn. 545 et 666; l. IV, n. 566).

En autem regulæ præcipuæ ab Apostolica Sede præscriptæ et ab omnibus catholicis sub gravi servandæ quoad intrusos:

1) Non licet parochum intrusum adire pro administratione Baptismi, nisi in casu extremæ necessitatis, si nempe neque privatus adsit valens baptizare. Neque etiam licet fungi officio patrini, si fortasse intrusus baptizet.

2) Non licet diebus etiam festivis Missam audire a presbytero intruso, etsi alia audiri nequeat. Neque licet concioni aliisque functionibus intrusi interesse; vel ab eo alia officii ministeria petere; vel Missam celebrandam ipsi tribuere.

3) Non licet Communionem suscipere ab intruso, etsi agatur de tempore Paschali, de Viatico suscipiendo.

4) Etsi genuflectendum sit coram Hostiis consecratis ab intruso; curandum tamen est (ne in hoc cultu præstando immiscere se videantur catholici cum schismaticis), ut declinetur occursus intrusi, dum Sacramentum defert. Et licet sacerdoti catholico, etsi non jejuno hostias consecratas a sacerdotibus catholicis consummare, ne veniant in manus intrusi, si reverenter conservari nequeant.

5) Non licet adire parochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non suppetat nullum omnino medium neque superior possit providere, ut habeatur legitimus parochus vel alius catholicus presbyter, fideles debent contrahere sine præsentia pastoris, attamen coram testibus.

6) Non licet mulieribus puerperio expleto, recipere ab intrusis benedictionem, quæ dari solet mulieri post partum.

7) Defunctorum exequiæ a legitimo pastore sunt celebrandæ, etiam in domibus privatis si aliter fieri nequeat. Cæterum si intrusus ad ecclesiam cadavera deferat, catholici nec funus comitentur nec sacras preces recitent aliosque ritus Ecclesiæ cum illo socialiter agant.

8) Num licite fideles in articulo vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote jurato et a parocho intruso? — Responsum fuit: *Non esse improbandam rationem, quam inierunt nonnulli Gallicani præsules, qui in articulo vel periculo mortis, Pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis et etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio sacerdote catholico:* et scandalo amoto, et urgente tunc necessitate; verum id non facile supponendum nisi aperta et universalis sit persecutio (Vide *Pii VI Pont. Max. acta, quibus Ecclesiæ catholicæ calamitatibus in Gallia consultum est;* et Scavini, l. II, n. 958; et l. IV, n. 566).

Restat igitur, ut fideles in tanta calamitate ad invicem cohortentur; legitimos viciniores pastores, si fieri potest, pro Sacramentorum susceptione adeant, præcepta Dei, et Ecclesiæ quoad circumstantiæ ferunt observent; domi intra domesticos parietes agant quæ intrusus in ipsa ecclesia, et oratione apud Deum instent, ut dies mali abbrevientur.

norum ac jurium Ecclesiæ usurpationem, quam Concilium Tridentinum (sess. XXII, c. 11 *de Ref.*) anathemati tamdiu subjecit, quamdiu usurpatio cessaret, ac Constitutio *Apostolicæ Sedis* obnoxiam declaravit excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ. Ita in cit. Edicto.

XV. A S. Pœnitentiaria quæsitum fuit: An omnes et singuli societati, vulgo *Società cattolica per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano ed in ispecie al popolo romano,* nomen dantes vel eam promoventes, aut ei quomodocunque faventes vel adhærentes, excommunicationem majorem ipso facto incurrant Pontifici reservatam? — S. Pœnitentiaria 4 aug. 1876, attentis omnibus expositis, et inspecta natura et tenore hujusmodi societatis, probante Pio IX respondit: *Ipso facto excommunicationem incurrere speciali modo Pontifici reservatam.*

592. *Explanatio.* Hæc societas eo tendit, ut Sede pontificia vacante populus romanus concurrat ad R. Pontificis electionem. Qui huic societati nomen dant, declarare expresse debent se associare doctrinis in programmate contentis, et obligationem coram duobus testibus contrahere se operam daturos ut tales doctrinæ propagentur. At notum est ex genuinis documentis in hoc nullum jus populo competere; utique primis temporibus clerus et populus ad electionem Pontificis conveniebant; sed jus eligendi ad clerum proprie spectabat, prout ipsa rei natura postulat; et hoc ex decreto Symmachi Papæ in Concilio Romano perspicuum est (v. *dicenda* t. II, n. 796).

XVI. « Ad romanos cives amovendos a seductionis periculis Card. Vicarius in Instructione 12 julii 1878 (quam Pontifex M. Leo XIII, Cardinalium Congregatione audita sancivit) statuit:

1) Excommunicationem incurrunt Pontifici specialissime reservatam omnes qui etiam sine voluntate adhærendi hæresi et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina hæreticorum sectis cujuslibet denominationis — 2) A fortiori eandem pœnam incurrunt qui intersunt acatholicis functionibus aut *servitiis*, ut dici solet, aut prædicantem audiunt eo consilio, ut eisdem sese dedant, si (ut impie dicunt) ab eo persuaderi possint — 3) Item eandem excommunicationem incurrunt, qui alterius spiritualis rovinæ fautores effecti, inducunt quomodocunque et curant, ut alii eant aut veniant ad aulas vel templa hæreticorum ad audiendas *conferentias* — 4) Tandem eandem incurrunt pœnam omnes qui typis publicant invitationes ad præfatas *conferentias* et themata earundem, propter favorem, quem taliter agendo præbent hæresis propagationi aut confirmationi.... Imo si de hæreticorum libris agatur, quibus hæresis docetur et sustinetur, etiam ministri typographi secundarii majorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam....

593. *Explanatio.* Censura maxime extenditur, cum comprehendat tum qui fidem erubescunt, tum qui periculo se exponunt fidei amittendæ, tum qui in hac re scandalo fidelibus sunt, tum qui externe tantum uti hæretici habentur. Item quoad libros ferit etiam typographos secundarios, *compositores,* si de libris quæ hæresim docent et

sustinent, agatur. Si tamen tales compositores nesciant an liber sit catholicus vel hæreticus (et plerunque revera non intelligunt materiam; ea etiam de causa quod folia distribuantur componenda his et illis separatim) nec peccatum nec censuram incurrunt; at semel ac id animadvertunt jam obligatione tenentur.

Sub nomine typographi secundarii hic dicunt venire etiam correctores, nam et ipsi officium in typographæo tenent *(Acta S. Sedis,* t. XI).

594. **Excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici simpliciter reservatæ ex Const. *Apostolicæ Sedis*, alia ex organo S. Officii.** Hanc censuram incurrunt:

I. « Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ. — Item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 julii 1745, *Ubi primum* 2 junii 1746, *Ad eradicandam* 28 sept. 1746. »

595. *Explanatio.* Quoad propositiones damnatas, ut quis censuram incurrat necesse est: 1) Ut eas doceat, idest ut aliis tradat (etsi private, aut in scriptis); vel defendat, id est earum propositionum patrocinium suscipiat, etsi tantum in globo — 2) Ut propositiones quas docet vel defendit, proscriptæ sint ab Apostolica Sede; et huc veniunt propositiones damnatæ a Ss. Congregationibus romanis, quæ quidem cum quidpiam decernunt non suo nomine et auctoritate, sed nomine et auctoritate Pontificis, et cum omnimoda dependentia ab Ipso decernunt. Non autem veniunt propositiones damnatæ in Conciliis œcumenicis; nam servata verborum proprietate, minus recte dicerentur damnatæ ab ipsa Apostolica Sede — 3) Ut propositiones sint damnatæ vel de novo damnentur ab Apostolica Sede sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec refert si non sit reservata. Sic damnatæ habentur: 41 contra Lutherum; 79 contra Bajum; una quæ est circa confessionem et absolutionem per literas vel internuntium; 45 damnatæ ab Alexandro VII; 65 damnatæ ab Innocentio XI; 68 damnatæ contra Molinos; una quæ est de peccato philosophico; 31 damnatæ ab Alexandro VIII; 5 denique contra duellum a Benedicto XIV (v. *infra* nn. 946).

Qui asserit propositionem non mereri notam theologicam erroris quam S. Sedis inurit, in veriori sententia esset hæreticus: nam idem esset ac dicere Pontificem errasse in materia doctrinæ. Juxta alios qui damnatam aliquam sententiam (non tamen uti hæreticam) tenet, esset suspectus tantum de hæresi, non tamen videtur illico judicandus hæreticus; aliud enim est definientis Pontificis aperte magisterium excludere, et aliud sententiam aliquam sequi, quam Pontifex quidem damnavit, sed non ut hæreticam.

Item notandum est, quod damnatæ propositiones intelligendæ sunt uti jacent et in sensu rigoroso atque ab auctore illarum intento; nam quædam damnatæ sunt quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendæ ad omnes casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam a damnatis distinguuntur *(S. Alph.,* l. I, n. 104; et l. III, n. 760).

Quoad praxim inquirendi nomen complicis vide t. II, n. 725.

II. « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in cle-

ricos vel utriusque sexus monachos; exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat. »

596. *Explanatio.* En privilegium *canonis* Concilii generalis Lateranensis II, quod Pius IX confirmavit subjiciendo censuræ Pontifici reservatæ illius violatores seu clericorum et monachorum percussores. An huic excommunicationi subjiciantur impuberes, alii affirmant ex veterum canonum interpretatione, quibus explicite derogatum non est. Negant alii, quia præsens Constitutio de illis silet; quæ quidem quando vult etiam impuberes comprehendere, id exprimit, ut expressit quoad clausuræ violationem.

Item quæstio est an hanc excommunicationem incurrant mandantes, consulentes, percussionem ratam habentes; alii affirmant, nam censuram hanc ita interpretantur antiqui canones. Sed alii probabilius negant tum quia verba non sunt extendenda ultra propriam et naturalem significationem; tum quia quando legislator id intelligi voluit, expressit, ut patet in aliis censuris. Constitutio autem *Apostolicæ Sedis* appellat ad antiquos canones non quoad incurrendam hanc censuram sed quoad facultatem ab illa absolvendi.

Hisce positis, hæc ad praxim resolvuntur:

I. Clerici percussio triplex distinguitur: enormis, mediocris et levis. *Enormis* est, cum magna intervenit vulneratio: vel magna sanguinis effusio, non tamen a naribus; vel magna injuria. *Mediocris* cum fit carnis contusio, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione vel injuria, ut si extrahatur dens vel capillorum copia evellatur. *Levis* (non ratione sui, sed relate ad mediocrem et enormem) dicitur ea, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide, dummodo neque carnium contusionem relinquat, neque sanguinis effusionem producat. Levis percussio potest enormis evadere. 1) Ratione personæ lesæ, si illa sit in dignitate; vel personæ lædentis, ut si officialis laicus auctoritative percutiat clericum. 2) Ratione gravis scandali, ut si percussio fiat in platea, tempore functionum sacrarum. 3) Ratione modi, ut si quis clerici vultum stercore fœdaret. In dubio percussio judicatur gravis, ne occasio detur lædendi statum ecclesiasticum (*S. Alph.,* l. III, n. 274; *Scavini,* l. I, n. 954).

II. Nomine *clerici* venit omnis ecclesiasticus saltem tonsuratus, licet excommunicatus, suspensus, interdictus, modo deferat habitum et alicui ecclesiæ inserviat. Qui tamen lædit Episcopos, Cardinales, etc. cadit in excommunicationem, de qua supra n. 573 — Nomine *monachi* intelligitur quilibet religiosus utriusque sexus etiam conversus, novitius. Item omnes vitam agentes in communi sub aliquo Prælatio, ut sunt moniales etsi cum votis simplicibus et quamvis in earum communitate non fiat professio, ut sunt sorores Filiæ Caritatis, ac mulieres conviventes in conservatoribus, quamvis religio non adhuc sit approbata; quia cum religiose vivant, censentur personæ ecclesiasticæ. Item seminaristæ; item heremitæ, addicti servitio alicujus loci sacri, sub Episcopi obedientia et approbatione.

III. Verba *suadente diabolo* significant ad excommunicationem requiri, ut percussio sit mortaliter peccaminosa. Hinc a censura communiter eximitur: 1) Qui clericum percutiendo non peccat graviter ob subitam iram, ex motu primo-primo, vel secundo-primo. Ita excusatur qui clericum turpiter agentem cum sua matre, filia, sorore aut uxore extemplo occidit — 2) Qui percutit jocose vel casualiter, quamvis percussio sit gravis, et quamvis cum aliqua ira con-

juncta sit, quæ tamen non pertingat ad peccatum mortale — 3) Qui percutit ad defensionem sui aut suorum; item propriorum temporalium bonorum. Vel si auctoritate potitur in clericum, uti Prælatus, magister, et etiam frater ætate major qui curam in clericum exerceat, modo percutiat moderate ad correptionem. Quod magis valet de patre, etsi clericus sit in Sacris (*S. Alph.*, l. VII, n. 275).

IV. Verba *violentas manus injicientes* indicant requiri, ut percussio sit violenta quocunque modo fiat, si tamen cadat in personam, vel rem ipsi personæ adhærentem. Hinc: 1) qui lapidem injicit in clericum quin eum tangat, non incurrit censuram; quia deest realitas percussionis — 2) Incurrunt censuram qui expuunt in faciem clerici. Qui clericum in carcerem conjiciunt. Qui eum insequuntur, ut in foveam cadat, vel ut ab equo excutiatur — 3) Fur censuram incurrit qui rebus clerico adhærentibus vim inferret, puta vestes, quas indutas habet, lacerando. Non tamen qui actu subdolo aufert aliquid a clerico, marsupium, cingulumque quo ipse cingitur, etsi interveniat recisio. Item neque qui vestes a clerico dormiente surripit aut lacerat; nam esset fraudulenta, non violenta manuum injectio — 4) Si clericus in sui percussionem assentiatur, percutiens adhuc incurrit excommunicationem. Nam huic privilegio cedere nequit; cum sit in favorem totius Ordinis — 5) Aliqui docent venenum clerico præbentem excommunicationem statim incurrere, quia venenum de se est aptum statim lædere. Verum communior opinio, quæ videtur mihi probabilior, docet eam non incurri, nisi actu quo venenum lædere incœperit. Nam antea non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam. Et ideo qui dedit venenum clerico, si antequam incipiat operari, vere pœniteat, et læsionem impedire curet, valde probabiliter contra plures excommunicationem non incurrit, etsi postea non potuerit damnum vitare; incurrit tamen irregularitatem. Ratio disparitatis est, quia *irregularitas* est inhabilitas cui etiam delinquens subjicitur, etsi ipsum pœniteat, quia causa semper influere pergit; *excommunicatio* autem est censura quæ afficit tantum reum contumacem ac rebellem, at contumax et rebellis ille profecto non est: qui tam efficaci modo sese retractat ante delicti consummationem (*S. Alph.*, l. VII, nn. 40 et 370).

597. A percussione *levi*, quamvis publica, ex jure absolvere possunt Episcopi. Et cum Episcopis competat potestas de jure suo ordinario, eam habent etiam eorum Vicarii generales. Item Vicarius capitularis; nam ex regula juris: *Is qui in jure succedit alterius, eo jure quo ille, uti debet.*

Si vero agitur de *mediocri* et *enormi* percussione, si illa non est publica neque deducta ad forum contentiosum (nec alia ratione sit specialiter Papæ reservata) ex cap. *Liceat* eadem inest facultas Episcopis. Si vero e contra, nemo generatim potest censuratos absolvere, nisi Papa aut ejus Legatus. Excipe: 1) Mulieres, impuberes (si tamen huic censuræ subjiciantur) etsi post pubertatem petant absolutionem — 2) Collegialiter viventes, si percussio non sit enormis. — 3) Impeditos adire Romam. Omnes isti ab Episcopo absolvi possunt.

Pro absolutione ab hac censura recurritur ad S. Pœnitentiariam, ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV (*S. Alph.*, l. VII, n. 279).

Casus. Albinus et Cato clerici simul ludunt; cum Albinus advertat adversarium contra leges ludus fraudulenter agere, subito iræ motu ei alapam impingit. Cato injuriam non ferens, eodem impetu alapam restituit. — *Præfati clerici in censuram non incurrerunt, quia percussio unius et repercussio alterius ex motu primo-primo habita*

caruit advertentia sufficienti ad peccatum mortale, quod quidem requiritur ad censuram incurrendam. Gury.

III. « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes; vel ipsum acceptantes et quilibet complices, vel qualemcunque operam aut favorem præbentes. Necnon de industria spectantes, illudque permittentes; vel quantum in illis est non prohibentes cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. »

598. *Explanatio.* Comprehenduntur sub hoc articulo: 1) Qui duellum *perpetrant* etiam sine patrinis. Item qui ad illud *provocant,* etsi alter duellum non acceptet. Item acceptantes, etsi duellum postea revera non sequatur.

2) *Complices* qualemcunque operam vel favorem præbentes, ut patrini, testes, qui ideo consilium dant, qui arma ideo suppeditant, qui literas provocatorias, qui scripta, manifesta dictant, deferunt, evulgant; vel in his se quomodolibet immiscent, v. g. si conveniant de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, etiamsi duellum subsecutum non fuerit, quia hæ actiones prohibentur secundum se et principaliter eodem modo ac provocatio.

3) Qui *de industria spectant,* qui nempe data opera quasi incitatores assistunt. Igitur censuram non incurrunt qui obiter et casu transeuntes duellum aspiciunt curiositate ducti; neque qui spectant a longe vel in secreto, vel alio modo ad pugnam non inducendo.

4) Qui illud *permittunt* in suis terris; qui illud *non prohibent* cum prohibere valeant, ut duces, domini, vel alii cujuscunque dignitatis. Hic autem speciatim nominantur reges et imperatores, quia per ipsos maxime stat ut duellum impediatur *(S. Alph.,* l. VII, n. 319).

599. Præter excommunicationem Pontifici simpliciter reservatam duellantes privantur etiam sepultura ecclesiastica, si in conflictu ipso decedant, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa. Imo *etiamsi, extra locum conflictus, Sacramentis muniti decesserint,* uti præcipit Benedictus XIV Bulla *Detestabilem;* quanquam hoc ultimum, testante Alasia, non sit apud omnes receptum. In clericos autem adest etiam privatio Beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. Etiam lex civilis duellantes punit *(Cod. pœn.)* (1).

Advertendum autem est: 1) Hasce pœnas incurri etiam ob duellum sine patrinis, modo res sit de duello stricte sumpto, id est de *condicto*, convento loco et tempore; non vero de conflictu improviso, quamvis pugnantes ex rixæ impetu ad locum aliquem porrexerint, ut declaravit S. Concilii C. 5 oct. 1744 — 2) Dictas pœnas præter excommunicationem non incurri, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis. *Alia autem de duello* v. t. II, n. 318.

IV. « Nomen dantes sectæ Massonicæ aut Carbonariæ aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur. Nec non

(1) Aliæ pœnæ, ut proscriptio bonorum, perpetua infamia, privatio jurisdictionis a Tridentino et Pontificibus latæ non amplius vigent. Item neque interdictum latum a Clemente VIII, cum in nova Const. *Apostolicæ Sedis* nulla fiat illius mentio.

iisdem sectis favorem qualemcunque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint. »

600. *Explanatio:* 1) Excommunicantur qui sectis nomen dant. Sectæ hic illæ omnes intelliguntur, quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates aliquid moliuntur, statuunt, docent, vel suadent; exigatur de secreto servando, vel non exigatur juramentum; et quamvis a civili gubernio tolerentur ex Pio IX Encycl. *Quanta cura.* Imo quamvis profiteantur se nihil moliri contra religionem ac rempublicam, si occultum ineant fœdus juramento firmatum; ex *S. Pœnitentiaria* 21 aug. 1850. — Huc venit etiam secta *Fenianorum* ex S. Officii Congr. 12 jan. 1870; item societates veterum catholicorum et emancipatrices. Non tamen societates operariorum, qui præcipue fœdus ineunt ad sibi invicem opitulandum.

2) Hac excommunicatione tenentur etiam qui favorem qualemcunque illis præstant, id est auxilium, consilium sive palam sive occulte, sive directe sive indirecte, sive per se sive per alios. Uti qui eas in suis ædibus recipiunt, occultant, commoditatem faciunt ut convocentur, pecunias tribuunt; qui hortantur alios aut suadent, ut illis adscribantur, etc.

3) Excommunicantur non denuntiantes. Sed denuntiationis obligatio sub pœna excommunicationis est tantum quoad coryphæos ac duces. Semel autem facta denuntiatione cessat, reservatio excommunicationis incursæ, et quilibet confessarius ab illa absolvere potest. Denuntiationis tamen obligatio non ideo cessat, quia nomina coryphæorum ac ducum per libros et ephemerides passim leguntur; S. Officii Congr. 1 febr. 1871.

4) Denuntiatio fieri debet Inquisitori si adest, vel Ordinario (in missionibus Vicario vel Præfecto apostolico). Nec refert si quis denuntianda probare nequeat, vel ab aliis audierit, vel sciverit sub secreto commisso, modo adsit spes punitionis, atque denuntiare valeat, et quin se ipsum prodat, et amoto periculo gravis damni proprii vel aliorum sanguine conjunctorum.

601. Ut possit absolvi qui hisce sectis nomen dedit, non satis est ex C. S. Officii 5 julii 1837, quod emissi juramenti pœniteat, si externe cum sociis adhuc communicat. Etiam externe sectæ valedicere debet omnesque libros, statuta, manuscripta hac de re legitimo superiori sub gravi tradere. Sacerdotes autem hisce sectis illaqueati, si Ordinem exerceant, irregularitatem incurrunt, a qua non ita facile a S. Sede dispensantur.

V. « Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violantes. »

602. *Explanatio.* Immunitas asyli in eo sita est, ut delinquentes nequeant extrahi e loco sacro, si ad illum confugiant. Id competit omnibus locis sacris et religiosis, ecclesiis etsi nondum consecratis, pollutis, interdictis; competit palatiis Episcoporum, seminariis, nosocomiis si tamen auctoritate Episcopi erectis. Item comprehendit domum parochialem si ecclesiæ conjunctam (et modo non sit extranea a Parocho casu inhabitata), ecclesiæ porticum, sacristiam, turrim, tectum, subterraneas cryptas, scalas ad templum, cœmeteria etiam ab ecclesia disjuncta, conventus, monasteria cum hortis et iis omnibus quæ eorum ambitu continentur.

Hoc autem jure gaudet qui evadens e militum manibus ad locum immunem confugerit; ideo non obstat quod a militibus ligatus reus in eorum possessionem jam devenerit ex S. C. Immunitatis 9 aug. 1842. Cæterum in pluribus derogatum est per Concordata quoad majora delicta (*S. Alph.,* l. I, n. 25, Append. 2ª; *Scavini,* l. I, n. 354; et *Alasia De Legibus* pro Sabaudia).

603. Excommunicationem autem incurrunt qui violant vel jubent violari hanc immunitatem, modo id fecerint: 1) *Vi*, non vero si quis dolo et fallaciis deceptus exierit e loco sacro. Incurrit tamen qui aliis prohibet, ne illuc deferant ad victum necessaria — 2) *Ausu temerario;* ideo S. Officii Congregatio 1 febr. 1871 declaravit *eum tantum excommunicationem incurrere qui ab aliis minime coactus prudens et sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violari jubet aut exequendo violat.* Igitur milites qui præter voluntatem coguntur a suis ducibus eam violare, hanc censuram non incurrunt. Item neque censuram incurrunt duces et officiales etiam civiles, qui non sponte, sed contra voluntatem, sed a propriis superioribus coacti, ecclesiastici asyli violationem exequi mandant.

Jus asyli apud omnes gentes obtinet et ubique servandum est (extra particularem contrariam Pontificis dispositionem) ex S. Officii C. 27 junii 1838. Est autem inductum ut sacrorum reverentiæ consulatur, non in gratiam delinquentium, qui publico bono postulante ex superiorum ecclesiasticorum licentia e loco sacro extrahuntur. Excluduntur generatim a beneficio asyli publici latrones, homicidæ, hæretici et rei læsæ majestatis, etc.

VI. « Violantes clausuram monialium cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes. Itemque monalies ab illa exeuntes extra casus et formam a sancto Pio V in Constitutione *Decori* præscriptam. »

604. *Explanatio.* Nomine *clausuræ* hic intelligitur quæ præscripta est monialibus solemnia vota profitentibus, ut receptum est. Porro excommunicationem incurrunt:

1. *Ingredientes absque licentia, cujuscunque generis, conditionis, sexus vel ætatis sint:* ideo nulli excipiuntur, non fœminæ, non impuberes modo doli capaces, ut communiter docent auctores cum Reifenstuel, aliisque passim; neque ipsi Episcopi et Ordinarii, si ingrediantur sine necessitate; neque potest ingredi ad monialis vestitionem. In necessitate et sibi et aliis licentiam concedit Episcopus; et si monasterium sit Regularibus subjectum, eam concedit prælatus regularis accedente Episcopi licentia, nisi forte consuetudine inductum sit, ut sufficiat unius Episcopi data facultas. Hæc tamen legitima sit oportet, id est ut ex vera et rationabili causa concedatur; quæ tamen etiam oretenus data valet, cum in hac facti specie non amplius requiratur, ut in scriptis tribuatur.

2. *Introducentes et admittentes.* Huc veniunt qui ingressum præbent sive physice, v. g. aperiendo januam, etc., sive moraliter, consulendo, aut etiam non prohibendo cum possint et debeant impedire eos qui ingredi volunt.

3. *Itemque moniales ab illa exeuntes,* etc.; si nempe aliqua monialis post emissam solemnem professionem exeat a monasterio,

extra casus et formam præscriptam. Idem dicito, si obtenta facultate exeundi ad tempus, eo elapso monialis non ingrediatur; ex tunc enim clausuram violat et æquivalenter ac fictione juris a monasterio exit, cum in eo actu esse debeat — Casus autem a s. Pio V notati, sunt magnum incendium, gravis infirmitas, lepra, epidemia; et item paritate rationis inundatio, ruina, latronum incursus, etc. *Forma* autem observanda ad exeundum hæc est, ut causa non tantum a superioribus, quibus cura monasterii incumbit, sed etiam per Ordinarium cognita et expresse in scriptis approbata sit; si tamen periculum patiatur moram ad hanc licentiam expostulandam (*Quoad cætera* v. supra nn. 309 et seqq.).

VII. « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram: et superiores, aliive ea admittentes. »

605. *Explanatio.* Clausura est omne illud spatium quod septis monasterii continetur; adeoque officinæ, cœnacula, valetudinaria, prata, sylvæ, viridaria, nisi separata sint clavi et muro convenienti. Non venit autem sacristia, si ad eam ex ecclesia aditus pateat. Regulares huc veniunt qui vota solemnia emittunt; non qui aliis religiosis Congregationibus sunt addicti (*Cætera vide* n. 310).

VIII. « Rei simoniæ realis in beneficiis quibuscunque, eorumque complices. »

IX. « Rei simoniæ confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscunque sint dignitatis. »

X. « Rei simoniæ realis ob ingressum in religionem. »

606. *Explanatio.* Quoad hæc omnia vide dicenda *De virtute Religionis*, ubi erit de simonia ejusque pœnis. Hic unum notamus, censura non incurritur si quid pro sustentatione religiosi novitii accipiatur; non enim acciperetur ob ingressum. Imo et pro professis licet accipere, quamvis monasterium sit opulentum, si recipiendus sit infirmus, senex, etc.; tunc enim accipitur pro carentia servitutis, quam hic nequit præstare et pro incommodo extraordinario quod monasterium est subiturum. Quinimo quoad moniales id lege generali inductum est; cum obnoxiæ sint majoribus necessitatibus, et ideo majoribus indigeant (*S. Alph.*, l. III, n. 92, et *Benedictus XIV*, De Syn., l. XI, c. 6).

XI. « Omnes, qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione s. Pii V *Quam plenum*, 2 jan. 1569. »

607. *Explanatio.* Hac pœna plectuntur ecclesiastici (non tamen Episcopi quos Constitutio s. Pii V non comprehendit), qui accepta pecunia de facto elargiuntur vel publicant, v. g. ad valvas Ecclesiæ aut alibi indulgentias, aut facultates concedunt sacerdotem eligendi qui ipsum a reservatis absolvat, vel celebrandi aut sepeliendi tempore interdicti, vel edendi cibos vetitos, vel assumendi plures patrinos contra Tridentini præscriptum, vel absolvendi a reali simonia reservata. En quæ in hoc loco *gratiæ spirituales* appellantur, ex Constitutione s. Pii V.

Cooperantes ad hujusmodi publicationem vel concessionem hac pœna non plectuntur; quia Constitutio de his non loquitur.

XII. « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. »

608. *Explanatio.* Censura sunt obnoxii clerici et laici quoties pro Missis celebratis vel celebrandis, tradito stipendio, retinerent partem quæ grave furtum constitueret. Sed necesse est :

1) Ut sint eleemosynarum quasi ex officio collectores pro Missis manualibus, id est ut quandam copiosam collectionem faciant usu mercaturæ, uti eruitur ex verbo *colligere*. Unde excommunicationem non incurrit qui eas colligit ab uno vel altero tantum; vel qui alibi facit celebrare minori stipendio omnes Missas sibi commissas vel sibi obligatas, etsi turpis quæstus sit reus.

2) Ut Missas colligant, et quæstus causa. Ideo non esset censuratus qui nihil sibi retinet, sed partem stipendii Missarum in pios usus distribuit, v. g. pro ecclesiæ ædificatione; etsi illicite agat. Item neque qui aliquid retinet quasi laboris pretium in colligendo eleemosynas : quod non videtur improbabile, si ille ad hoc munus sit destinatus et labor revera mercede dignus sit; tunc id debetur ex naturali æquitate, et ex rationabili offerentium voluntate (*S. Alph.*, l. VI, n. 322; *Scavini*, l. IV, n. 419).

3) Ut Missas collectas celebrare faciant ubi illæ minoris prætii sunt; et quidem ut alii contra alios probabilius docent et satis patet ex textu, ut Missæ non in eo loco ubi collectæ eleemosynæ, sed alibi celebrentur ubi minoris pretii esse solent. Et sane in locis eisdem communia Missarum stipendia diversa esse non solent; ergo illæ voces : *In locis ubi* etc., videntur referendæ ad loca diversa. Saltem res dubia est.

4) Ut de facto minus stipendium tribuant; non enim incurritur quando simpliciter colliguntur Missæ, tunc enim non habetur consummatus reatus. Ideo si collecta eleemosyna eo pravo fine, sed postea antequam illam minoris tribuat, collectorem pœniteat, et totum tribuat, censura non incurritur (v. t. II plures decisiones quoad eleemosynam Missarum nn. 1065 et seqq.).

XIII. « Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus s. Pii V *Admonet nos* quarto kalendas aprilis 1567, Innocentii IX *Quas ab Sede* pridie nonas novembris 1591, Clementis VIII *Ad R. Pontificis curam* 26 jan. 1592, et Alexandri VII *Inter cæteras* nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. Romanæ Ecclesiæ respicientibus. »

609. *Explanatio.* S. Pius V nominat illos omnes qui per se vel per alios scriptis vel verbis, hortatione, consilio, oratorem mittendo, subscriptiones promovendo, adhærendo, etc., etsi sine effectu, student insinuare vel suadere Pontifici alienationem vel in feudum concessionem civitatum seu locorum ad Sanctam Sedem pertinentium ex quovis prætextu vel evidentis necessitatis, sive ad tempus perpetuum vel longum, sive ad vitam alicujus, vel ad Sedis apostolicæ beneplacitum. Quod subsequentes Pontifices iterum approbarunt, confirmarunt, uberius se explicando.

610. Papa potest dispensare, ut patet, ab hac censura proponentem;

sed dispensatio debet præcedere, v. g. si Pontifex sciat aliquem in animo habere id proponendi, ipse Pontifex prius alloquatur hac de re; tunc censetur dispensasse. Item est si quis petat a Papa facultatem loquendi de re, cujus vel sola tractatio est sub censura prohibita. Huc referri potest propositio 75 in Syllabo damnata: *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.*

XIV. « Religiosi præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia. »

611. *Explanatio.* Per parochum accipitur qui curam animarum habet vel ejus vices gerit. Per religiosum qui habet vota solemnia, neque refert quod et ipse sit alterius ecclesiæ parochus.

Per *casum necessitatis* intelligitur periculum mortis, absente tunc vel nolente parocho ea Sacramenta ministrare. Si parochi *licentia* adest, non incurritur censura; hæc autem licentia sufficit etiam præsumpta, id est si parochus eam certo daturus esset. Non adest excommunicatio si Regularis administret Regularibus etiam alterius Ordinis et extra monasterium. Censuram tamen incurreret Regularis qui extra privilegium vel necessitatem sciens volens id est cum præsumptione illa Sacramenta ministraret clericis aut laicis in suo monasterio degentibus studiorum, vel valetudinis tantum causa; nisi forte Eucharistiam (non per Viaticum), ei qui jam a parocho Viaticum recepit, iterum ex devotione ministraverit.

Possunt tamen regulares ex Tridentino ultima Sacramenta ministrare omnibus clericis et laicis, si actu inserviunt et intra eorum septa ac domus resideant subque eorum obedientia vivant (*v. n.* 301).

XV. « Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex sacris Cœmeteriis sive Catecumbis Urbis Romæ, ejusque territorii; eisque auxilium vel favorem præbentes. »

612. *Explanatio.* Non incurreret censuram qui cryptas visitans memoriæ vel devotionis causa sibi assumeret aliquid ex ossibus vel cineribus fidelium qui ibi reconditi sunt; quia de his jam constat non esse de Sanctorum reliquiis, uti sunt illæ quæ reperiuntur in loculis apertis. Illas autem qui extrahit censuram incurrit, etsi minimam particulam auferat absque venia; nam tale furtum communiter ac semper grave existimatur.

Licentia autem petenda est a Cardinali Urbis Vicario, ut habet Constitutio *Ex commissæ* Clementis X, 13 jan. 1672.

XVI. « Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. »

613. *Explanatio.* Communicat in crimine criminoso qui communicat in ipso crimine cum excommunicato nominatim, vel denuntiato nominatim a Papa, post sibi notam excommunicationem latam. Sic qui excommunicato nominatim a Pontifice propter hæresim, et ille ut tali cognito favorem vel auxilium præberet ad ipsam hæresim diffundendam vel non retractandam; vel si quis post excommunicationem nominatim seu specialiter et expresse latam in aliquem ob furtum,

concubinatum, etc. impendat ei auxilium aut consilium ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione, dicitur communicare in crimine criminoso. Huc revocari potest excommunicatio lata a Pio IX contra apostatam Josephum Humbertum Reinkens pseudo-episcopum electum ab hæreticis qui se *veteres catholicos* dicunt, et contra omnes qui eorum partes secuti sunt *(Lit. apost.* 21 nov. 1873).

Secus esset si quis cum tali excommunicato tantum alloquatur, salutet, secum oret, etc.: non esset participare in crimine criminoso.

Si vero excommunicatus a Papa non tamen nominatim, postea per Episcopum declaratur excommunicatus nominatim, non est habendus tanquam nominatim censuratus a Pontifice. Declaratio enim non est a Pontifice, sed ab Episcopo; et ideo talis excommunicatus non caderet sub hoc articulo, nec sub sequenti. Attamen subjacet interdicto, de quo infra *(n.* 650).

XVII. « Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes. »

614. *Explanatio.* Dicitur *scienter et sponte,* id est cum plenissima scientia ac plenissima libertate; unde fit, ut ab hac censura excuset quævis ignorantia aut metus gravis incussus. *In divinis,* esset cum tali excommunicato solemniter recitare Horas, cum ritu Ecclesiæ funeralia agere, ejus Missæ assistere, Sacramenta ministrare, ab eo beneficium obtinere, etc. *Officia* hic dicuntur quæ clerici obeunt ut Ecclesiæ ministri; in his autem recipere est, si recte judico (ait cl. D'Annibale), illum admittere ad illa obeunda.

Ut hæc incurratur censura oportet, ut ecclesiastici et communicent in divinis et admittant simul ad divina officia; verba enim conjunctive sunt posita. Ideo si clericus assistat divinis officiis cum nominatim excommunicato vel tanquam unus ex populo assistat illius sacrificio, non incurrit hanc excommunicationem. Volunt *religiosi* non venire sub nomine clericorum, quia res est de materia pœnali.

XVIII. « Absolvere præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, innodatos excommunicationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis » *(Vide supra,* n. 559).

615. *Explanatio. Præsumentes,* id est qui absolvunt scientes se non posse absolvere; ideo excusantur qui absolvunt ex metu gravi vel apprehenso ut gravi: qui absolvunt ex inadvertentia, oblivione, aut ex ignorantia etiam crassa hujus excommunicationis; quia præsumptio scientiam importat.

XIX. « Confirmantur censuræ latæ quoad electionem Romani Pontificis, quæ in desuetudinem non abierunt. »

616. *Explanatio.* Huc referri potest quod Pius IV c. *Prælati* decernit, pœnam nempe privationis officiorum et beneficiorum ac inhabilitatem ad ea obtinenda adversus familiares Cardinalium et alios qui de conclavi literas, signa transmittant de eo quod in ipso geritur: qui nonnisi a novo Pontifice habilitari possunt. Gregorius vero XV Bulla *Cogit nos,* tulit excommunicationem Papæ reservatam in eos qui spondent super futuri Pontificis electione, etiam sede nondum vacante. Pius V hasce sponsiones irritat (*S. Alph.,* l. III, n. 869).

Quoad electionem Pontificis quæ unice et exclusive pertinet ad Cardinales, plures sunt Constitutiones (v. *Acta S. Sedis*, t. v, pag. 282).

XX. « Confirmantur censuræ si adhuc in vigore, quæ latæ sunt pro interno regimine quorumcunque Ordinum et Institutorum regularium, nec non quorumcunque Ordinum, Congregationum, cœtuum locorumque piorum cujuscunque nominis aut generis. »

617. *Explanatio.* Huc refertur excommunicatio in eos regulares qui temere habitum religionis dimittunt (c. *Ut periculosa*, *ne cler. vel monach.)*; vel qui arma infra septa monasterii sine licentia superiorum tenent *(Clem.* 1 *de Statu monach.)*; vel qui non denuntiant confratres aut superiores suos, si de hæresi suspectos *(Paulus V, Const.* Romanus Pontifex); vel qui ut suis prælatis vel monasteriis damnum inferant, ad Curias principum se conferre præsumpserint; vel superiores qui suos subditos ad S. Officium recurrere volentes quovis modo impediunt (ex cit. *Constit.)*; etc.

E contra communiter censent non amplius incurrere excommunicationem Clementis VIII Regulares, qui sine debita facultate absolvere præsumunt a casibus Episcopi. Nec regulares qui ecclesiarum decimas usurpant *(Clement. I de decim.)*; vel qui aliis suadent ut sepulturam in regularium ecclesiis sibi eligant *(Clem.* 3 *de pœn.)*. Item censetur abrogata suspensio in regulares Episcopos qui quoad possunt non servant regulas proprii Instituti *(Bened. XIII)*, etc. Nam hæ non videntur stricte pertinere ad internum regimen.

XXI. « Missionarii et ecclesiastici (qui excommunicatione mulctantur ab Urbano VIII Const. *Ex debito*, et a Clemente IX Const. *Sollicitudo* ob exercitas negotiationes in Indiis orientalibus et in America) adhuc excommunicantur. Qui quidem absolvi nequeunt, donec lucra restituerint. »

618. *Explanatio.* Hæc censura quam adhuc vigere declaravit Pius IX organo S. Officii 4 dec. 1872, afficit illos ecclesiasticos qui titulo fidei propagandæ ex Europa in dicta loca transeunt, ibique proprie dictas negotiationes sæculares exercent. Qui insuper mulctantur pœna privationis vocis activæ, et passivæ si religiosi. Censura lata est etiam in superiores istorum immediatos qui delinquentes non puniunt.

Merces autem et lucra applicari debent in usus pauperum, seminariorum, etc.; non tamen in utilitatem congregationum illorum qui in his deliquerint. Post factam vero applicationem censura absolvitur a quocunque confessario; ex quo patet hanc excommunicationem elencho nemini reservatarum potius esse adjungendam.

619. **Excommunicationes latæ sententiæ Ordinariis locorum reservatæ ex Constit. *Apostolicæ Sedis*** (1). Incurrunt:

I. « Clerici in sacris constituti vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsu-

(1) Confessarii Urbis Romæ non indigent speciali facultate Episcopi Vicarii pro valida absolutione a censuris, quæ in Bulla *Apostolicæ Sedis* Episcopis reservantur; quum semper hac facultate usi fuerint, quin eam peterent. *Decreto S. Inq.* 1 dec. 1875, probante Pio IX.

mentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. »

620. *Explanatio.* Censura non incurritur, si contrahantur tantum sponsalia. Item neque si contrahatur matrimonium sine scientia de ejus nullitate ob dirimens impedimentum; nam requiritur *præsumptio,* quæ cum ignorantia prohibitionis aut pœnæ stare non potest. — Si tamen præsumptio non oriretur ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione quod illud conjugium validum sit, quia Ecclesia non potest irrita facere ejusmodi matrimonia, qui talia teneret esset hæreticus (et pœnas hæreticorum incurreret) ex Tridentino *sess.* IX, c. 24 *de Ref. matr.*

An vero per matrimonium ab hisce civiliter celebratum incurratur hæc excommunicatio alii affirmant, quia etsi invalidum, attamen præsefert figuram veri matrimonii. Sed communius alii id negant; matrimonium enim civiliter tantum contractum præsefert figuram contractus naturalis, non vero figuram matrimonii christiani; *is enim,* dicente Bonacina, *non dicitur matrimonialiter contrahere qui in absentia parochi et testium contrahit,* ubi nempe obtinet Tridentini decretum de clandestinitate *(Acta S. Sedis,* t. XI, pag. 40).

Ideo ad hanc censuram requiritur, ut dempto impedimento quod provenit ex sacris Ordinibus, nempe majoribus, et voto solemni castitatis quod scilicet emittitur in Religione proprie dicta seu stricte sumpta, matrimonium valere potuisset. Item neque excommunicatio incurritur si deficit consensus legitimus, vel obstat dirimens impedimentum, uti si contrahatur quidem coram parocho et testibus, sed cum consanguinea, affine, socio criminis, vel hebræo; si celebretur sub conditione nondum impleta, nisi conditio a jure habeatur uti non adjecta.

Si unus mala fide, alter bona fide contrahat, ille solus incurrit censuram qui in mala fide fuit. Qui ignorans alteram partem esse in Sacris constitutam, vel regularem esse, et cum ea contrahit; sed cognita veritate perseverat in habitatione et copula, non censuratur: quia non cohabitatio et copula, bene vero contractus attentatus punitur; contractus autem jam præcessit sine culpa. *Navarrus.*

II. « Procurantes abortum, effectu secuto » *(Quid abortus* v. t. II, n. 320).

621. *Explanatio.* Procurare est ex proposito aliquid quærere; hinc censuram incurrit qui jubet vel mandat abortum fieri, qui ad hunc finem prægnanti terrorem incutit, vel ideo ipsam percutit, aut ei potionem ideo tribuit: ut medicus, ancilla, socia et alii potionem propinantes ad abortum ipsum procurandum. — Non tamen contrahitur ex voluntario indirecto, ut si quis prægnantem graviter percusserit, sed ex odio, ira. Item neque qui pharmacum simpliciter parat; non enim abortum procurat, sed tantum ea præbet, ex quibus abortum ab alio procuretur. Neque qui generationem impedit, abortus enim supponit conceptum fœtum. Hæc quoad censuram; gravissime autem istos omnes delinquere certum est.

Item necesse est ut abortus fuerit secutus (nulla facta distinctione an fœtus animatus fuerit, an inanimatus); et quidem ex propria industria, id est animo directe ejiciendi fœtum. Cæterum non requiritur ausus, cum simpliciter dicatur *procurantes.*

An autem mulier, quæ abortum in se procurat. incurrat in censuram, controvertitur; communissime affirmant, quia Constitutio Pii IX nullum excepit. Sed plures, spectata ratione intrinseca, probabilius negant; nam verba licet generalia, benignam interpretationem pati possunt in re odiosa, sicut benigniter explicabant Bullam Sixti V, quæ item generatim loquebatur de abortum procurantibus; tamen compatiendo infirmitati mulieris quæ impulsa timore infamiæ, fœtum expellere conatur, ipsam ab excommunicatione excipiebant. Patet item ex scopo Pii IX, qui voluit prudenti dispensatione veteres censuras moderari. Saltem res dubia est; et ideo quousque aliud declaret S. Sedes, valde probabiliter ipsa ab ea excusatur *(S. Alph.*, l. III, n. 395, et *Vindiciæ Alph.*, ed. 2ª, t. I, pag. 111).

Nota: præter excommunicationem procurantes abortum incurrunt:

1) Ex Bulla *Effrænatam* Sixti V privationem privilegii clericalis cum degradatione; item cujuscunque dignitatis, officii ac Beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitatem ad ea in posterum consequenda. Quod pertinet ad privationem, ad eam incurrendam requiritur sententia saltem declaratoria criminis, cum sit expoliatio juris acquisiti; sed inhabilitas statim incurritur, cum non privet nisi jure acquirendi. Hæc autem privatio et inhabilitas (ut tenent plures contra plures) non potest auferri ab Episcopis, cum sit lex papalis.

2) Irregularitatem ex Bulla *Sedes* Gregorii XIV; si tamen agatur de abortu fœtus animati. Quæ irregularitas nonnisi a Pontifice potest auferri, etsi abortus sit occultus, prout statuit Tridentinum, *sess.* XXIV, c. 6. Etsi hodie receptum sit fœtum animari primis conceptionis diebus; attamen ex praxi S. Pœnitentiariæ fœtus non putatur animari quoad irregularitatem incurrendam, nisi post quadraginta dies a conceptione si agatur de masculo, et post octoginta dies si agatur de fœmina. Hæc tamen norma non præjudicat recentiorum opinioni, ut declaravit idem Tribunal 9 junii 1856 in Vicentina. Ex s. Alphonso in dubio an fœtus sit masculini vel fœminini sexus, potest præsumi fœmininus, nam plures ordinarie fœminæ enascuntur; et ideo in dubio non adesset irregularitas ante dies octoginta *(S. Alph.,* l. III, n. 396).

3) In Synodis diœcesanis procuratio abortus relata est inter casus reservatos, *sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, et licet irrito effectu tentatus.* Lex ipsa civilis in procurantes graviter abortum animadvertit *(Cod. pœn.).*

III. « Literis apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. »

622. *Explanatio.* Utentes sunt qui eas exhibent, præsentant, mittunt ad alium, ut effectum ab eo intentum consequantur. Cooperatores sunt qui utenti (non vero falsificanti) auxilium tribuunt, id est qui opem præstant alicui ut dictis literis falsis utatur, effectu secuto. Falsificans enim incurrit excommunicationem specialiter reservatam (ex dictis *n.* 579).

Hanc censuram non incurrit qui tantum consilium dedit vel hortatus est solummodo; non enim opem præstat. Item excusat ignorantia etiam crassa; dicitur enim *scienter.*

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (1). In has incurrunt:

(1) « Tutte le scomuniche, siano riservate siano non riservate, producono sempre gli stessi effetti, e sarebbe errore troppo grossolano il non temere di una scomu-

I. « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos, vel interdictos. »

623. *Explanatio.* Etiam corpora efferre, sepelire ritu catholico, crucem et luminaria deferendo eisque justa persolvendo est pars ecclesiasticæ sepulturæ: non tamen qui talia agunt incurrunt excommunicationem, quæ est strictæ interpretationis. Sed tantum incurrunt cogentes vel mandantes sepeliri hæreticos notorios (uti qui sunt de secta hæretica; etsi non vitandi), vel excommunicatos aut interdictos nominatim etiam ab Episcopo, in loco sacro, quamvis nullo catholico ritu adhibito (e contrario censuram non incurrit qui sepelit in loco profano, etsi adhibito catholico ritu). *Mandat* qui, auctoritate qua pollet, jubet aliquem sepeliri in loco sacro, id est loco ad sepeliendos fideles destinato, etsi nondum benedicto. *Cogit* qui aliquem sepeliri curat adhibita vi in eos qui sepulturam denegare vellent. Coactio autem supponit reluctationem in alio; ideo per se indicat in mandante plenam cognitionem pœnæ, ac proinde præsumptionem, qua alium scienter et temere inducit.

II. « Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes aliosve Ministros S. Officii, ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes aut comburentes: vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes. »

624. *Explanatio.* Quid sit lædere et perterrefacere jam dictum est. *Diripere* autem est vi prædari libros, literas, exemplaria hujusce tribunalis; ideo non videtur incurrere hanc censuram qui clam tantum scripturas furatur, vel unam aut alteram aufert parvi momenti. Cætera manifesta sunt.

III. « Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de rebus Ecclesiæ non alienandis. »

625. *Explanatio.* Bona Ecclesiæ alienare, seu distrahere, vendere, imminuere prohibetur juxta Extravagantem *Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis,* a Pio IX Const. *Apostolicæ Sedis* confirmatam. Ideo sub gravi, sub pœna, et probabilius etiam sub nullitate, vetitum est bona ecclesiastica tam immobilia quam mobilia (si quædam excipias) alienare vel acceptare sine causa et Pontificis dispensatione, a qua prohibitio emanat. Imo neque licet alienatio sine licentia ab una ecclesia in aliam, cedendo uni quod est alterius; etsi tunc probabilius non adsit pœna, sed tantum gravis culpa, si fiat cum causa. Item sub hac lege cadunt etiam bona et jura incorporalia, v. g. jurisdictio, præminentia vel aliud jus honorificum; et mutua vel inter ipsos ecclesiasticos cessio ac conventio in hac re nullius est roboris, ut notat De Luca, *De alienatione.* Imo si fieret intuitu temporalis emolumenti, esset etiam simoniaca.

Ut ergo legitima sit alienatio ad Papam cum expositione rei, causæ,

nica solo perchè può essersi assolto da un semplice confessore. La riserva riguarda la limitazione della giurisdizione, ma non già l'intrinseca natura dell'ecclesiastiche censure. » *Archiep. Pedicini.*

valoris et peritorum attestatione recurrendum est. Pontifex autem apostolicum beneplacitum concedere solet per Congregationem Concilii vel Episcoporum et Regularium; ad illas igitur Congregationes recurrendum est. — Requiritur autem Papæ licentia, non excluso consensu Episcopi et Capituli (si bona ad Episcopatum vel Capitulum pertineant), et possessoris rei alienandæ. Non tamen patronorum ex S. Officii C., etsi Ferrante scribat ipsam quoque utiliter postulari. Sed ex Bulla *Humanæ* Urbani VIII, stipulari potest contractus sub reservatione Pontificis consensus; sed non habetur consummatus nec res tradi potest, nisi consensu habito *(S. Alph.*, l. IV, n. 187).

Sed alienari valide et licite sine Papæ licentia possunt:

1) Quæ servari nequeunt ad triennium sine notabili deterioratione, ut vestes, singularia jumenta et similia, quæ usu consumuntur.

2) Terrulæ, aut vineolæ exiguæ et ecclesiæ minus utiles, aut longe positæ, parvæ; pro quarum alienatione Jus canonicum licentiam tribuit Episcopis (1). Sed advertendum, quod pretium rei totius, puta prædii, non debet excedere parvam summam, alias posset totum prædium (etsi ingens esset) per partes modicas alienari fraudulenter.

3) Si oportet vendere ad solvendum debitum, pro quo urgeat creditor apud judicem. Vel si occurrat casus magnæ utilitatis, nec expectari possit consensus superioris quin transeat occasio; attamen cum consensu Episcopi.

4) Bona relicta incapaci possidendi, v. g regularibus; tunc poterit pretium expendi in ecclesiæ utilitatem *(S. Alph.*, l. IV, n. 187).

Nomine autem *bonorum Ecclesiæ* sive immobilia sive mobilia, quæ sine Papæ licentia nequeunt alienari, generatim veniunt: 1) Quæ sunt in patrimonio ecclesiæ vel monasterii, eisdem jam applicata seu dicata: ideo talia non sunt bona patrimonii ecclesiastici, vi cujus quis ordinatus fuit — 2) Beneficia jurispatronatus, si ecclesiastica sint, et capellaniæ ecclesiasticæ.

Nomine vero *bonorum immobilium* veniunt non tantum quæ loco moveri nequeunt, ut prædia, domus, ecclesiæ, altaria, quamdiu loco fixa sunt, sed ipsa jura ad immobilia; item servitutes prædiorum; item ususfructus immobilium, jura beneficiorum, jus pascendi, venandi, piscandi, pecunia ad ecclesiam ædificandam specialiter destinata, vel ad emptionem immobilium, censuum, etc.

Nomine tandem *bonorum mobilium* veniunt vasa aurea vel argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, ornamenta pretiosa, et similia excedentia valorem 25 aureorum. Item greges totaliter consideratæ, arborum incisio et sylvarum, si cum deterioratione; nam aliter esset v. g. si quis olivetum antiquum quod modicos fructus reddit, extirpet ut ibi vineam collocet. Imo sunt mobilia quæ etsi pretio non æstimabilia, tamen alienari nequeunt, ut Reliquiæ insignes ex S. C. C.

Nomine porro *alienationis* veniunt venditio, donatio, permutatio, emphytheusis, servitutis realis constitutio, pignus, hypotheca, locatio, conductio, omne uno verbo pactum, quo dominium sive directum sive

(1) « Nato il dubbio quali avessero a stimarsi *res exiguæ*, la Sacra Congregazione in Faven. 22 marzo 1711, cit. dal card. Petra *Comment. ad Constit.* V. *Pauli II*, dichiarò doversi stimare tali quelle, il cui valore non supera 25 scudi (ducati) d'oro, che corrispondono nella presente moneta romana a 41 scudi e 15 bajocchi pari ad austriache 225 circa. » Giraldi. Ita Nardi, § 570. Sed alia est alicubi inducta consuetudo quæ majorem latitudinem admittit; in Diœcesi Novariensi Episcopus permittit alienationem usque ad valorem fr. 600, ex inducta consuetudine. Ait autem Lucidi ex S. C. Concilii, quod *certa et indubitata hodie est regula, ut consuetudini cujusque diœcesis legitime præscriptæ standum sit.*

etiam utile transferatur, immutetur, imminuatur, obligetur (uti in censu vel præstationum redemptione), transactio vel repudiatio quoad rem jam possessam. Sed contractus locationis, si fructus percipiantur singulis annis, sine speciali solemnitate et Pontificis licentia, permittitur ad triennium (1). Si vero fructus percipiantur singulo biennio vel triennio, permittitur per sex annos in primo casu, per novem in altero. Sed Benedictus XIV Constit. *Universalis* sub nullitate actus prohibuit vendere universos fructus Beneficii ad longum tempus, recipiendo una vel pluribus determinatis solutionibus certam pecuniam.

Si autem alienatio facta fuerit ex justa causa et sine ecclesiæ detrimento, videtur excommunicatio cessare, etsi desideretur beneplacitum Sedis apostolicæ; quippe recepta sententia est ex cl. Ballerini, alienationem hujusmodi valere in foro conscientiæ, quamvis non in foro exteriori.

« An beneplacitum apostolicum requiratur, quando agitur tum de pecunia ponenda in aliqua stabili re, tum de pecunia quæ aut capsæ bancariæ vel administrationibus gubernii, annuo reditu pacto ac constituto, concredita fuit, tum de alienandis rationibus seu obligationibus quæ acquisitæ fuerunt a societatibus commercialibus et ab administrationibus peculiaribus, v. g. viis ferreis, disputatum est, et a nobis (ait cl. Vecchiotti) negativa sententia veritati magis consentanea videtur, eo quod non agatur hic de bonis immobilibus aut mobilibus pretiosis, de quibus in Extrav. *Ambitiosæ* tantum sermo est. Cum itaque dispositio odiosa sit, profecto verba stricte accipienda, nec ultra casus expositos extendenda sunt. » Hac item ratione videtur licere pecuniam Ecclesiæ mutuam dare; vel etiam ab ecclesia mutuam accipere, modo sine hypothecæ gravamine.

An (quæres) *possit sine Pontificis auctoritate alienari quod expresse donatum est cum facultate proprio marte illud alienandi?* — Non immerito probabilem putant sententiam affirmativam; quia sicut donans poterat sic disponere de re, ita poterit etiam donatarius ex illius potestate; et tunc res illa non absolute acquiritur ecclesiæ. Idque magis, si donator expresse voluisset, ut res alienaretur.

Quid (addes) *si donans prohibuerit alienationem?* — Si alienatio facta sit cum causa et Pontificis potestate valet; quia prohibitio præsumitur facta si adsit vera causa. Causa erit necessitas vel magna utilitas; item pietas v. g. pro redimendis captivis; item incommoditas si bona valde distent; et quandoque magna convenientia, S. Sedis judicio *(S. Alph.,* l. IV, n. 187).

626. Excommunicatio tenet *alienantes* et *accipientes* bona ecclesiastica, non consentientes, consulentes, faventes; neque qui illa destruunt v. g. ædes diruunt, arbores cædunt, bona furantur, etc. Item ex Extrav. *Ambitiosæ* accipientes omnes excommunicationi subjiciuntur, quamvis episcopali aut abbatiali dignitate præfulgeant. At si sermo sit de alienantibus, Episcopi et Abbates non sunt obnoxii excommunicationi, sed solum ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur; et insuper Regulares privantur voce activa et passiva. Item alienantes hic illi tantum intelliguntur, qui bona ecclesiastica legitime administrant ut Episcopi, Capitula, beneficiati, fabricerei, et illi qui ab istis bona ipsa recipiunt. Qui enim ecclesiastica bona distrahunt, quin le-

(1) Si partes convenerint, ut finito primo triennio, locatio renovari debeat et sic deinceps, quamvis tunc non liceat a locatione discedere, plures tamen censent culpam et pœnam non incurri; quia non est vera locatio sed locationis promissio; quæ ideo promittentem, non rem promissam obligat.

gitimam teneant administrationem, quique ab istis bona illa acquirunt, *iniqui occupatores* proprie dicuntur, qui incidunt in censuram modo specialiter, modo simpliciter Pontifici reservatam.

In recipientes bona alienata ad censuram requiritur præsumptio; non item in ipsos alienantes. Attamen ad incurrendam censuram in omni casu requiritur alienatio jam consummata; unde ea non incurritur, si venditio sub conditione suspensiva facta sit. Aliter est si res vendita nondum sit tradita; nam ex jure nostro venditio perfecta est ante traditionem (*Cod.* a. 1448).

An hanc censuram incurrat qui *laicales capellanias* alienat, alii affirmant cum Berardi; nam licet eæ sint aliquid temporale, bona earum in Ecclesiæ dominium translata sunt; secus ac in meris legatis piis, quorum bona penes patronos remanent, piis tantum oneribus gravata. Sed alii cum Lucidi et Avanzini probabilius negant; nam in capellaniis laicalibus non intervenit formalis Episcopi auctoritas seu decretum eas erigentis, quo solo bona separata a cæteris Deo dicantur; sed solum Ordinarii approbatio præscripta ab Urbano V, confirmata ab Innocentio XII, ut videre est penes Benedictum XIV, *De Syn.*, l. XIII, *c. ult.* Sunt utique hæc bona immutabilia, sed non qua ecclesiastica stricto sensu, sed qua fundator id voluit; nam *piæ fundatorum vel morientium voluntates tanquam supremæ leges sunt sancte servandæ.* Ideo etsi non possint sine culpa laicales capellanias absque beneplacito Apostolico mutari, et Ecclesiæ sit pias dispositiones moderari (v. *t*, II, *n.* 863); qui tamen eas alienat vel mutat non cadit sub Extrav. *Ambitiosæ,* quia bona ecclesiastica non sunt, ut sunt bona ecclesiasticorum beneficiorum et Ecclesiæ.

At excommunicatio quæ a Tridentino lata est, Pontifici simpliciter reservata, non effugitur ab iis qui hæc pia opera usurpant, vel usurpata sine legitimo titulo recipiunt (v. infra n. 629).

Quid de alienatione bonorum *fabricæ Ecclesiæ* (fabbriceria), *confraternitatum et piorum locorum?* — Bona fabricæ Ecclesiæ a lege civili habentur ut bona sua natura laicalia: et ideo ut eorum administratores contractus inire, legata acceptare valeant, requiritur consensus Procuratoris generalis Curiæ appellationis (non tamen si agatur de lite sustinenda). Attamen non est dubitandum, quod ab Ecclesia habeantur ut bona Deo dicata, et ideo in conscientia ex Extravag. *Ambitiosæ* etiam beneplacitum Ecclesiæ exigatur pro eorum alienatione; etsi a laicis administrentur. Aliud est enim, quod consuetudo vel stylus alicujus diœcesis aut provinciæ aliquam hac de re administrationem laicis concedat, aliud quod violenta illorum usurpatio probetur.

Item dicendum de confraternitatibus (etsi lex civilis eas habeat ut societates mere laicales); si tamen non tantummodo approbatæ sint ab auctoritate ecclesiastica, sed si ab ipsa revera canonice erectæ sint formali decreto: tunc enim habentur uti instituta vere ecclesiastica, et ideo legibus Ecclesiæ subjecta etiam quoad bona; etsi eorum inspectionem et administrationem sibi vindicet sæcularis potestas. Idem est de legatis piis, de hospitalibus, collegiis, congregationibus, institutis virorum ac mulierum etsi sine votis solemnibus; item de piis fundationibus ac locis, de anniversariis, quæ generatim veniunt sub nomine *piarum causarum,* si tamen in illis revera intervenerit formalis Episcopi erectio (*Acta S. Sedis,* t. VI; Barbosa, *De potestate Episc.;* De Luca, *De alienat.;* Scavini, l. I, n. 622; l. II, 534).

Quæres: *An liceat repudiare rem ab Ecclesia nondum acquisitam?* — Alii cum De Luca affirmant, quia prohibitio alienandi respi-

cit jam quæsita, non quærenda; aliud porro est non alienare et aliud non acquirere. Sed alii negant cum Engel, ut verius apparet si agatur de legato; quia illud acquiritur Ecclesiæ ante traditionem statim a morte legantis ut habent jura: saltem acquiritur jus ad illud; acceptatio autem non est necessaria nisi ad validitatem donationis (*S. Alph.*, l. IV, nn. 2, 187).

IV. « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecessoribus Nostris Gregorio XV Const. *Universi* 20 aug. 1622, et Benedicto XIV Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 1 julii 1741. »

627. *Explanatio.* Ad hanc censuram incurrendam necesse est, ut provocatio fiat ad turpia. Item ut culpabilis ista omissio censura puniatur necesse est, ut sollicitatus notitiam habeat tum obligationis denuntiandi, tum excommunicationis adnexæ, tum temporis præfixi; mensis enim computandus est a die in quo hæc tria cognovit. Item requiritur ut denuntiatio fieri possit absque incommodo admodum grave; quod si adest, potest absolvi pœnitens, modo paratus sit denuntiare impedimento cessante.

Si pœnitens culpabiliter omisit intra mensem denuntiare, neque statim id potest, simulque vere promittat quamprimum id facere, poterit ab incursa censura absolvi; non enim in hoc articulo habetur clausula: *donec non denuntiaverint.* Quoad cætera v. t. II, n. 766.

V. « Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. »

628. *Explanatio.* Verba de *rebus sacris* patent latissime; libri enim agentes de rebus sacris seu de religione sunt qui tractant de S. Scriptura, de theologia dogmatica, scholastica, morali, de mysteriis fidei, de cultu Dei et Sanctorum, de Ecclesiæ ritibus, de rebus spiritualibus, etc. Et ideo juxta Berardi et Auctore Commentarii Patavini hæc censura respicit omnes qui de iis tractant, cum generatim lata sit. Verum communiter novæ Constitutionis Commentatores censent eos tantum excommunicationem incurrere qui libros sine licentia imprimunt, vel imprimi faciunt, de quibus Tridentinum (sess. IV *de editione et usu sacrorum librorum)* agit; cum ab eo desumpta sit: agit autem Tridentinum tantum de libris Sacræ Scripturæ et eorundem librorum adnotationibus et expositionibus; igitur ab iis tantum censura contrahenda videtur (1). Saltem res dubia est; at in dubio benignior pars tenenda. — S. C. Concilii, teste Ferraris, declaravit hic nomine libri venire etiam conciones et similia levioris ponderis scripta.

Cæterum quoad alios libros, etsi non adsit censura, adest Ecclesiæ præceptum de iis non imprimendis sine Ordinarii licentia, quod quidem maxime urget ecclesiasticos (v. *n.* 865).

Per illud *imprimi facientes* venit auctor libri, editor, aut alius qui curat per se ipsum, ut liber typis mandetur. Per illud *imprimentes* veniunt qui ideo typos ordinant, torcular premunt (v. *n.* 566).

(1) Quod merito statutum est; nam in Scripturis *sunt difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem* (II Petri I); et ideo Ecclesiæ est *judicare de vero sensu et interpretatione* (Tridentinum, sess. IV).

Non autem hanc censuram incurrunt qui tales libros retinent, vendunt, etsi graviter peccare possint; nulla enim de illis fit mentio.

Qui dum liber jam ab Ordinario approbatus typis mandatur, aliquid corrigunt vel addunt in magna quantitate, censuram incurrunt; quia moraliter loquendo liber sine approbatione imprimi censetur.

629. **Explicantur excommunicationes latæ sententiæ a Tridentino.** Quod attinet ad res disciplinares quinque numerantur excommunicationes a Tridentino latæ (1).

I. « Omnes sive clerici sive laici, cujuscunque dignitatis, qui ecclesiastici beneficii sive sæcularis sive regularis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, jura, fructus, emolumenta seu quascunque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso seu etiam per suppositas personas, seu quacunque arte aut quæsito colore in proprios usus convertere, et usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur; excommunicationi tamdiu subjacent, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et reditus quos occupaverint vel qui ad eos quomodocunque pervenerint, integre non restituerint; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerint. Quod si patronus fuerit, eo ipso jurepatronatus insuper privatus existat (2).

Clericos vero (addit Concilium) *qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; necnon quibuscunque Beneficiis privatus sit, et ad quæcunque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur* (sess. XXII, c. 11 *de Ref.).* Hæc excommunicatio est Romano Pontifici simpliciter reservata (non cæteræ quæ sequuntur).

Explanatio. Ad hanc censuram requiritur præsumptio; item quatenus respicit usurpantes, mandantes, convertentes bona in proprios usus, censura ad istos omnes extenditur, cum efficaciter ad usurpationem concurrunt. Sed an attingat omnes omnino cooperatores, v. g.

(1) Dixi: *Quod attinet ad res disciplinares;* quoad doctrinam enim plurimæ sunt excommunicationes nempe illæ omnes quæ sub anathematis pœna in fine canonum dogmaticorum indicantur cum hisce verbis: *Anathema sit* (v. n. 964).

(2) Encycl. *Quanta cura* a Pio IX hæc damnatur propositio: *Excommunicatio a Concilio Tridentino et RR. Pontificibus lata in eos qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, nititur confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum.* Item: *Ecclesia nihil debet decernere quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium.* Item: *Conforme est sacræ Theologiæ jurisque publici principiis bonorum proprietatem quæ ab ecclesiis et familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.*

simpliciter consulentes, probantes, adhærentes, etc., Concilium silet; ideo cum res sit de odiosis videtur negandum. Idque S. Pœnitentiaria noluit definire, sed postulantes ad Tridentinum remisit. Quæsitum fuit; *Se debbano ritenersi per censurati coloro che licitarono nelle pubbliche subaste della vendita dei beni ecclesiastici, ma non rimasero aggiudicati di alcun fondo. E se anche quelli che consigliarono, persuasero o indussero altri a licitare?* — S. Pœnitentiaria, consideratis expositis respondit: Quoad primam partem *negative;* quoad alteram orator *consulat* Concilium Tridentinum, *sess.* XXII, c. 11 *de Ref.* (15 apr. 1873) (1).

Nomine vero locorum piorum ea loca tantum sunt intelligenda quæ vel ab Ecclesia vel cum dependentia ab Ecclesia reguntur; non ea quæ a privatis vel a gubernio tantum reguntur.

Bona vero et jura ecclesiastica respectu ad excommunicationem ad tres classes revocari possunt: *Prima* classis respicit bona et jura ad Ecclesiam romanam spectantia. *Secunda,* bona et jura pertinentia ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum. *Tertia*, cætera bona et jura, uti bona fabricæ ecclesiæ, livella, census, sive usurpentur sive redimantur sine debita facultate Ecclesiæ — Usurpátores bonorum et jurium primæ et secundæ classis incidunt in excommunicationem specialiter reservatam Pontifici sub nn. 583, 588. Tertiæ classis usurpatores subjacent præsenti excommunicationi simpliciter Pontifici reservatæ ex Tridentino. Nec refert quod usurpator bonorum Ecclesiæ, pro illis speciales reditus adsignet; semper enim verificatur quod bona usurpat, quæ tum quoad proprietatem tum quoad administrationem et distributionem ad Ecclesiam de jure pertinent. Bona enim sacra sunt; de iis ergo nequit amplius profana potestas ullo modo disponere, sine gravi piaculo et quin in censuras incurrat; esto etiam quod largam tribuat compensationem (v. *Scavini,* l. III, nn. 635 et seqq.).

Qui decimas non solvit, in hanc excommunicationem non cadit, quia nihil abstulit; sed est excommunicandus ex *sess.* XXV, c. 12 *de Ref.* Item a censura liber est qui nullam vim, metum, fraudem aut prætextum adhibuit, ut si quis rem sibi commodatam vel apud se depositam, non restituat. Item neque qui debita beneficii non solvit (2). Attamen in hanc incidunt qui emunt bona in materia gravi sive mobilia sive immobilia ab eo qui illa usurpaverat. Idem dicito de illo qui bona illa conducit sine debita facultate pretium ultro usurpatori solvendo.

Quæsitum fuit: « 1) Qua parte Tridentinæ censuræ a Constitutione *Apostolicæ Sedis* confirmatæ adhuc vigeant? Quod idem est ac quærere, an peccans in materia quam Constitutio *Apostolicæ Sedis* et Tridentinum attingunt, in duplicem excommunicationem incidat, alteram Romano Pontifici specialiter reservatam vi prædictæ Constitutionis; alteram simpliciter reservatam vi Concilii Tridentini? Et proinde an usurpatores bonorum ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione? 2) An qui emunt ecclesiastica bona ab usurpa-

(1) Omnes tamen cooperatores usurpationi Ditionis Pontificiæ incurrunt excommunicationem specialiter reservatam; v. supra n. 588. Et confirmatur ex Const. *Respicientes* 1 nov. 1870.

(2) Fures surripientes res Ecclesiæ vel bonorum piorum non incurrunt hanc excommunicationem ex S. Concilii C. 27 febr. 1596. Fures enim proprie non veniunt sub nomine *usurpatorum;* v. supra n. 583.

toribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici specialiter reservatam vi articuli XI memoratæ Constitutionis?

S. Ufficii Congregatio 8 julii 1874, respondit: « Ad 1 *negative, videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata.* Ad 2 *minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici reservatam. Etenim præscindendo a quæstione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constit.* Apostolicæ Sedis *art.* XI, *nulli dubium esse potest, quin comprehendatur a clarissima dispositione cap.* XI *de Ref. sess.* XXII *Concilii Tridentini.* »

630. *Resolve:* 1) Qui bona ecclesiastica emit a demanio usurpatore non incurrit excommunicationem specialiter reservatam. Nam esto quod generatim loquendo et ipse usurpator dici possit, quatenus alienum injuste sibi adscribit; attamen hic, cum agatur de odiosis, ex communi sententia *usurpare* proprie est aliquid surripere auctoritative; ideo excommunicationem specialiter reservatam nemo alius fortasse incurrit præter eos qui legem usurpationis approbarunt vel confirmarunt. Hic tamen emptor certo incurrit excommunicationem simpliciter Pontifici reservatam latam a Tridentino quod comprehendit quamcunque iniquam occupationem.

2) Qui emit bona ecclesiastica ab eo qui ea jam emerat a demanio usurpatore, incidit in excommunicationem simpliciter reservatam lata ut supra a Tridentino, utpote iniquus occupator. Eadem autem excommunicatione semper remanet obstrictus uti prius qui huic tertio hæc bona vendidit; nam vendere et emere coherent in unum. Sed alii volunt bis censura notari, quia bona et accepit et distrahit. Item si pluries bona emerit, pluries peccavit cum censura.

3) Qui bona ecclesiastica acquirunt jure successionis vel hæreditatis, nullam incurrunt censuram, si testator jam obtinuit facultatem circa ea bona a S. Sede; modo et ipsi statim acceptent clausulas a testatore subscriptas, et provideant ne bona illa distrahantur et cætera adimpleant a S. Pœnitentiaria præscripta. Testator acquirit pro se et suis; et hæres testatoris personam repræsentat. At si testator non obtinuit facultatem circa illa bona, hæredes statim tenentur illam efflagitare, secus excommunicationem a Tridentino latam incurrerent. Ad idem tenetur filius, uxor, si pater vel maritus bona ecclesiastica acquirat sine debita permissione eorum nomine, statim ac eis facultas adest.

4) Qui obtenta facultate bona ecclesiastica acquisivit, sed postea ea sine venia S. Sedis vendidit, videtur quod incurrat tantum censuram non reservatam latam in alienantes (quæ ferit etiam emptores); nam hic habetur uti legitimus illorum bonorum administrator. Verum alii contendunt illum incurrere excommunicationem reservatam Tridentini; nam hic non est verus possessor et administrator a jure, sed simplex detentor ex speciali facultate.

Solent dicere bonorum ecclesiasticorum emptores lucri cupiditate decepti: *Nisi emo ego, emet alius.* Respondeo: Si lucri aviditate accipit alius, ille damnabitur; si accipis tu, tu damnaberis. Male egisti emendo, et male nunc agis rem domino non restituendo (S. Alph., *Inst. catechet.*, n. 14). Iniquitatem facinoris tui in homines refundere tentas; sed numquid Deum fallere vales? Cæterum non abs re erit notare cum ipso Luthero: *Experientia comprobat, eos qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ob ea tandem depauperari ac mendicos fieri* (In symposiacis, c. 4).

631. Q. 1. *Quid agere debet confessarius si pœnitens sit censura reservata illaqueatus ob Ecclesiæ bona usurpata, distracta,* etc.?

R. Cum confessarius non habeat facultatem ab illa censura absolvendi, recurrat ad S. Pœnitentiariam vel ad Ordinarium suæ diœcesis (1). Qua facultate obtenta, poterit pœnitentem absolvere; servatis tamen de jure servandis, ut patet ex sequentibus declarationibus S. Pœnitentiariæ 1 junii 1869, quæ nempe supponunt in confessariis obtentam facultatem.

1) « An vigore facultatum quæ a Literis apostolicis die 11 aprilis datæ sunt, confessarii approbati possint eos absolvere qui executioni mandarunt invasionem seu rebellionem in ditione S. Sedis, eorum mandantes, adhærentes, cooperantes atque eos qui leges iniquas promoverunt et auxiliarem dederunt operam ad executionem ejusdem invasionis seu rebellionis? R. *Affirmative, dummodo pœnitentes exhibeant veræ resipiscentiæ signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quamprimum illud reparare meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi ejusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur nisi dimisso prius officio; et quatenus illud dimittere nequeant, ipsi officiales consulant loci Ordinarium, qui decernat et provideat juxta Pœnitentiariæ Literas diei 26 julii* 1867, *quibus quidem Literis omnino standum est* (de his infra n. 632).

2) An et quomodo possint a confessariis absolvi ecclesiastici illi qui concinnarunt vel subscripserunt protestationis formulas *(indirizzi)* adversus temporale S. Sedis dominium? R. *Affirmative, facta prius ac sufficienter publica retractatione juxta literas S. Pœnitentiariæ diei* 28 *maji* 1863 (2).

3) « An possint absolvi a confessariis violatores immunitatis ecclesiasticæ personalis et localis et clausuræ? R. *Affirmative, satisfacta parte læsa, ac reparata, meliori quo potest modo, injuria Ecclesiæ facta.* »

4) « An et quomodo possint absolvi, qui acquisierunt et possident bona ecclesiastica immobilia alienata a gubernio? R. *Pœnitentes qui detinent hujusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius loci Ordinario aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Diœcesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam seu coram testibus subsignatam* (sufficit etiam si id fiat per signationem crucis, si aliter fieri nequeat), *eidem Ordinario quamprimum transmittendam, ac caute in Cancellaria diœcesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se suosque hæredes et successores subjicere declarent: 1. Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi. 2. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi. 3. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa. 4. Sub-*

(1) Hæc facultas Episcopis ad annum sicut et cæteræ facultates quoad usurpationem, illiusque cooperationem concedi solet a S. Pœnitentiaria.

(2) Ex præscripta formula: « Io N. N. confesso ed affermo essere errore e temerità contraddire alle dottrine manifestate dalla Chiesa, e non potersi senza grave peccato ricusare ossequio e sincera sottomissione all'autorità della S. Sede, e perciò rispetto e mi conformo a tutte le dichiarazioni della medesima, e specialmente a quelle che riguardano il dominio temporale del Sommo Pontefice, alle quali ha fatto eco l'intero episcopato. »

veniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis, ad quæ de jure pertinent. 5. Monendi hæredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur » (1).

5) « An possint absolvi et sub quibus conditionibus illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt, quæque postea aliis vendiderunt atque cooperati sunt ad contractus super iisdem bonis? R. *Affirmative,* deposito lucro *exinde injuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quæ damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus aliisque complicibus, ut propriæ consulant conscientiæ, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis* » (2).

6) « An et sub quibus injunctionibus possint illi absolvi, qui acquisierunt bona mobilia ecclesiastica? R. *Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore locorum piorum ad quæ dicta bona pertinebant, quatenus emerint pretio quod judicio Ordinarii seu confessarii fuerit minus justo. At si agatur de rebus quæ non sint usu consumptibiles, seu quæ servando servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur pœnitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium, ad hoc ut super iisdem rebus juxta Indultum ipsi Ordinario jam a Sacra Pœnitentiaria concessum provideat.* »

Nota. S. Pœnitentiaria concedere solet Episcopis facultatem permittendi eis qui recurrunt: 1) Ut res annonarias, fructus terræ, res mobiles vel inter mobiles ad ecclesias aut loca pia spectantes et a gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo atque erogata eleemosyna favore præsertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsæ spectabant, ab Ordinario sive a confessario taxanda, quatenus emerint pretio quod judicio ipsius Ordinarii aut confessarii fuerit minus justo; ita tamen, ut si agatur de rebus quæ servando servari possunt, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocunque ecclesiis seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curare pro viribus ut supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usus aliarum ecclesiarum seu Oratoriorum transferantur, nec in usus profanos assumantur — 2) Providendi sub iisdem conditionibus, et prævia eorum absolutione cum congrua pœnitentia salutari iis, qui easdem res jam emerint; excepto tamen casu quo res emptæ superent valorem quingentorum scutorum. »

7) « An et quomodo possint absolvi illi, qui conduxerunt bona ecclesiastica detenta vel alienata a gubernio? R. *Affirmative, imposita pœnitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad loci Ordinarium ad hoc ut super bonis conductis provideat juxta Indultum ipsi Ordinario jam pariter a S. Pœnitentiaria concessum.* »

(1) Ex quibus patet, bona ista cum tali licentia comparata adhuc remanere stricte nominis ecclesiastica, eaque proinde sine nova concessione alienari non posse.

(2) Quid si tales venditores non valeant lucrum perceptum Ordinario tradere cum illud vel consumaverint vel in aliud opus fructiferum impenderint? Satis est ut deponant in manibus parochi vel Ordinarii syngrapham *(buono)*, qua obligentur ad solvendum vel totum dato tempore, vel annuatim per partes? Id postulanti pro sua diœcesi Episcopo Policastrensi S. Pœnitentiaria benigne, sic annuente Leone XIII 21 maji 1878, respondit *Affirmative.*

Nota. Qui talia bona conducunt ab usurpatoribus, plerunque sunt in bona fide, et ideo aliquando præstat ut in ea relinquantur. Cæterum S. Pœnitentiaria concedere solet Ordinariis locorum facultatem : « Indulgendi fidelibus ut bona ecclesiastica a gubernio occupata, conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerunt pretio quod judicio Ordinarii seu confessoris fuerit minus justo ; et obligatione faciendi quantum poterint sub directione Ordinarii pro conservatione præsertim sacrarum ædium ac templorum, quæ eisdem bonis fuerint adnexa ; ac prævia absolutione cum pœnitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

Quamvis autem optandum maxime sit ut hujusmodi conductiones ad breve tempus fiant, tamen S. Pœnitentiaria declarat non obstare quod sic jubente gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum hujusmodi conductionis contractus sit ipso jure nullus, et Indultum apostolicum concedatur conductori tantum pro suæ conscientiæ tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile.

8) « An et quomodo possint absolvi illi, qui in emphyteusim a gubernio acceperunt bona ecclesiastica? R. *Hujusmodi pœnitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario loci seu aliis viris ecclesiasticis ut supra in dubio 4 ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque hæredes et successores subjicere sequentibus obligationibus seu conditionibus:* 1. *Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.* 2. *Non utendi quocunque privilegio ex lege sive lata sive ferenda quoad canonis affrancationem.* 3. *Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde ferendis quoad bonorum eorundem restitutionem.* 4. *Adimplendi pia onera quæ eisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non impleantur.* 5. *Solvendi interim annuum canonem illumque augendi ad tramites justitiæ, et juxta æstimationem peritorum timoratæ conscientiæ, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.* 6. *Monendi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.* »

9) « An et quomodo absolvi possint illi qui non modo in emphitheusim a gubernio acceperunt bona ecclesiastica ; verum etiam eadem redimerunt? R. *Hujusmodi pœnitentibus providendum prout in superiori responso ad dubium sub n.* 2. »

10) « An et quomodo possint absolvi illi qui redimerunt census et ecclesiastica jura indole sua redimibilia? R. *Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa gubernio persolverint, ad effectum illum conservandi favore locorum piorum, ad quæ census seu jura redempta pertinebant.* »

11) « An et quomodo possint absolvi qui redimerunt canones, livella, præstationes vel alia jura ecclesiastica indole et natura sua non redimibilia? R. *Posse absolvi dummodo prius prout in responso ad dubium sub n.* 4 *syngrapham consignaverint, qua declarent se suosque successores subjicere sequentibus obligationibus seu conditionibus:* 1. *Retinendi fundos, sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.* 2. *Conservandi eosdem fundos, et rem utilem in eis gerendi.* 3. *Servandi indemnia quocunque tempore loca pia super integra perceptione canonis, livelli ac præstationis, ac super quibusvis aliis juribus,*

quæ ad ipsa loca pia exinde spectabant; nec non adimplendi, prout de jure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. 4. *Monendi hæredes et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.* »

Q. 2. *Quid de illis speciatim qui publicum officium tenent, vi cujus dictæ usurpationi aliquo modo cooperantur?*

R. Si fiat ad S. Pœnitentiariam per Ordinarios recursus, apostolica auctoritate datur, ut absolvantur a censuris et pœnis ecclesiasticis omnes et singuli pœnitentes, qui pro legibus super usurpatione bonorum, aliorumque jurium ad Ecclesiam, et ad Loca pia spectantium, ac suppressione Ordinum regularium suffragia dederunt, vel eisdem adhæserunt, aut earum promulgationi, sive executioni cooperati sunt; dummodo tamen prius veræ resipiscientiæ signa exhibuerint, ac illicitum juramentum quatenus illud emiserint, retractaverint: injuncta singulis, pro modo culparum, congrua pœnitentia salutari cum reparatione illati scandali meliori quo poterunt modo, aliisque injunctis de jure injungendis.

Verum Officiales publici, qui fuerunt de novo creati, seu assumpti ad exequendas dictas leges, vel qui per exercitium officii, quod jam antea obtinebant, imputabiliter juxta regulas a probatis Auctoribus traditas circa furtum et rapinam, cooperantur præfatis legibus, seu usurpationibus, vel earum manutentioni, aut consumationi, non absolvantur nisi imposita illis obligatione dimittendi officium. Reliqui vero Officiales, quorum officium hujusmodi imputabilem cooperationem judicio prudentum importare non videatur, quatenus illud absque gravi sui, vel propriæ familiæ detrimento dimittere nequeant, tolerentur; sed sub conditione, ut a laudandis, probandis, consulendis, promovendis dictis usurpationibus omnino abstineant; quin imo pro viribus curent eas differre ac temperare favore Ecclesiæ, ac Personarum ecclesiasticarum, se dirigendo consilio pii ac docti confessarii (26 julii 1867).

632. Titius Capellaniam perpetuam fundavit cum onere tot Missarum sed cum clausula: *In quocunque casu prœviso aut imprœviso, quo prœdicta Capellania suspensa vel suppressa manere debeat sive per publicam dispositionem aut privatorum operam, bona adsignata redeant in totam proprietatem hæredum et successorum institutoris.* Quod a testatore prævisum fuerat contigit perlegem civilem 15 aug. 1867; ideo quæritur an bona redeant libera sine ullo onere Missarum ad hæredes? S. C. Concilii respondit *affirmative* 27 jan. 1877; cum enim ex verbis fundationis colligi nequeat mens testatoris, valet illud: *Quod voluit expressit, quod noluit non expressit;* hic habetur conditio resolutiva, quæ retro tollit et operatur, quasi ab initio nihil actum sit *(Acta S. Sedis,* t. x) (1).

II. « Excommunicatur magistratus sæcularis, si ad instantiam Episcopi non præbeat auxilium adversus contradictores et violatores clausuræ monialium » *(Sess.* xxv, c. 5 *de Ref.).*

633. *Explanatio.* Ait Avanzini, hanc censuram in præsenti societatis statu per non usum in desuetudinem abiisse; etiamsi clausura

(1) Lege etiam civili sustinetur reversibilitas, non tamen quoad bona tantum ipsa quæ conversionem patiuntur; sed quoad eorum valorem qui triginta tantum detractis pro quolibet centenario, domino restituitur *(Cassaz. di Roma,* 17 ott. 1876).

vigeat. Sed potius, notat Dumas, dicendum eam propter temporum iniquitatem pluribus in locis vix in usum posse deduci. Imo qui violatores punire tenentur, ii forte sunt qui primum clausuram violant; qui omnes, si revera Episcopi quoad hoc instarent, renuentes magistratus censuram incurrerent, siquidem Pius IX eam instauravit.

Nomine *magistratus* venit prætor, judex, civitatis rector, provinciarum præfectus; non tamen princeps ex Bonacina; nam Tridentinum principes tantum hortatur ut auxilium Episcopis præstent, dum e contra magistratum stricte sub pœna obligat.

III. « Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare » (*Sess.* XXIV, c. 6 *de Ref. matr.).*

634. *Explanatio.* Hæc censura nemini reservata statim incurritur. Sed aliæ pœnæ nonnisi post sententiam. Item dictæ pœnæ non incurruntur ab eo qui jam ab aliis raptam mulierem domi suæ retinet; nam raptus est jam consummatus. Sed illas verius incurrit, etsi quis rapiat fœminam quam jam desponsaverat de futuro matrimonio; nam Tridentinum indistincte loquitur *(S. Alph.,* l. VI, n. 1108).

Raptus fieri debet causa matrimonii contrahendi ad censuram incurrendam, non vero libidinis explendæ. Non autem refert si raptorem postea pœniteat, vel matrimonium locum non habeat. Non tamen incurritur si puella rapiat virum; vel si puella precibus allecta sponte e domo discedat; tunc non adest verus raptus, sed fuga voluntaria. Attamen ex S. C. C. 25 julii 1864 consensus fraudibus extortus æquivalet violentiæ (Cætera *de matrimonio* t. II, n. 993).

IV. « Omnibus cujuscunque dignitatis et conditionis temporalium dominis ac magistratibus sub anathematis pœna quam ipso facto incurrant, prohibetur ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonium contrahant » *(Sess.* XXIV, c. 9 *de Ref. matr.).*

635. *Explanatio.* Hanc censuram alii ad omnes indiscriminatim ad conjugium cogentes extendunt; sed alii verius ad eos solos qui dominium temporale, et exteriorem jurisdictionem habent, ut principes, prætores, etc. (non ideo parentes, non parochi); cum de illis tantum fiat mentio a Tridentino.

Coactio autem indicat violentiam vel injuriam gravem, ut esset si magistratus sine causa alicui grave malum minetur nisi matrimonium contrahat; vel ideo recuset debitum illi solvere magni momenti. Non item si ideo recuset pecuniam ipsi non debitam elargiri; nam gra-

tuita beneficia non cogunt. Item neque incurrit censuram qui a matrimonio retrahit; nam illa lata est contra inducentes.

V. « Excommunicantur omnes cogentes quamcunque mulierem invitam præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittendam in quacunque religione. Item qui consilium, auxilium vel favorem dederunt. Item qui mulierem a religione quoque modo sine justa causa impediunt » (*Sess.* XXV, c. 18 *de Regul.)*.

636. *Explanatio.* Casus a jure expressi, de quibus supra, sunt duo præsertim: 1) Si postquam uxor licentiam dedit marito religionem intrandi et ipsa voverit castitatem, in suspicionem inciderit violatæ continentiæ; c. 18 *de conver. conjug.* ex *Innocentio III* — 2) Si relicto maritali toro lapsuque carnis admisso, ad meliorem frugem convertatur, sed maritus nolit eam recipere (c. 19, *tit. eodem)*.

Cogentes viros non excommunicantur, quia Concilium loquitur tantum de fœminis. Parentes autem a religione filios avertentes saltem ad breve tempus a mortali et ideo a censura excusantur, si id non agant malo fine, sed ob vehementem carnis affectionem.

Non adest vero coactio, si metus incussus sit levis; vel gravis, sed juste incussus; aut precibus tantummodo fœmina inducatur. Per *quamcunque religionem* alii intelligunt religionem cum votis solemnibus; alii etiam religionem in qua emittuntur vota simplicia, si perpetua; nam mens Concilii est tueri mulieris libertatem.

637. Duæ aliæ sunt excommunicationes non reservatæ ex Tridentino etsi magis videantur ad doctrinam quam ad disciplinam spectare:

1) Est in eos qui præsumunt docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, si se contritos existiment, antequam Eucharistiam sumant, necessario præmittendam non esse sacramentalem Confessionem, quamvis illi habeant copiam confessarii *(Sess.* XIII, *can.* 11).

2) Est in eos qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, quamdiu Ecclesia irrita non facit (nempe inita ante Tridentinum, vel postea ubi Tridentinum non fuit promulgatum) rata et vera matrimonia fuisse. Item in asserentes matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta irrita esse *(Sess.* XXIV, c. 1 *de Ref. matr.)*.

Art. 2. — Explicantur Suspensiones latæ sententiæ.

638. **Suspensiones latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatæ ex Constit. *Apostolicæ Sedis.***

I. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum vel illorum regimen et administrationem recipiunt Episco-

pos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eandem Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Literas apostolicas de sua promotione. »

639. *Explanatio.* Per *Literas apostolicas* intelliguntur Bullæ pontificiæ provisionis Episcopatus vel Prælaturæ, quæ exhibendæ prius sunt capitulo, monasterio vel cui de jure. Hæc suspensio est contra recipientes, non vero contra receptos et admissos; etsi isti nihil possint percipere de ipsis ecclesiis vel monasteriis, nondum exhibitis Literis apostolicis cui de jure sunt exhibendæ. At ad censuram requiritur, ut provisus recipiatur veluti legitimus Episcopus aut Prælatus honorem et obedientiam uti tali ipsi præstando. Cæterum taliter recipientes censurantur sive sint de capitulo aut monasterio, sive non; dicitur enim *aliique omnes.*

Suspensus a perceptione beneficiorum intelligitur suspensus a fructuum perceptione et temporali administratione; quare œconomus illi constituendus est. Quod si se ingerat interdictæ administrationi, ipso jure beneficio privatur (c. *Cupientes* § *cæterum de elect. in* 6). Capitulares autem probabilius suspenduntur tantum a beneficiis quæ capitulariter seu in communi possident; Capitulum enim in rigore non significat singulas personas de capitulo, sed universitatem ipsam; ex Suaresio (vide supra *nn.* 544, 545).

II. « Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. »

640. *Explanatio.* Hæc suspensio respicit tantum Ordinantem; qui igitur Ordines hoc vetito modo suscipiunt, item qui ordinandum præsentant, graviter quidem peccant, at censura non plectuntur; quæ enim etiam contra illos a Gregorio IX lata erat, in Constitutione *Apostolicæ Sedis* non fuit renovata.

Conditiones ad suspensionem incurrendam: 1) Oportet ut Episcopus conferat Ordinem sacrum; nam nulla est necessitas tituli pro ordinibus minoribus, si forte excipias ea loca in Pedemontanis, ubi viget § 14 Instructionis Benedicti XIV, ex qua titulus requiritur vel ad ipsam tonsuram — 2) Ut Ordinem sacrum ei conferat qui nullum habeat titulum vel beneficii vel patrimonii; quod item valet si titulus sit falsus, id est si revera non existat, ut si prædia supposita sint vel instrumentum constitutionis culpabiliter nullum; item si titulus constituatur de futuro, nam ipse actu pacifice possideri debet. Aliter est si adsit quidem titulus, sed insufficiens, ut opinantur; versamur enim in odiosis: vel si sit fictus, si nempe revera existat, sed ea lege constitutus, ut ab ordinato restituatur quin alius substituatur, vel ut ordinatus fructus non percipiat (quæ peccaminosa conditio non tenet in conscientia ex S. C. C. 14 maji 1671) — 3) Ut inter Episcopum et ordinandum pactum præcesserit, vi cujus ordinatus se ab Episcopo nunquam sustentationem postulaturum promiserit. Quæ item pactio ex jure invalida est (v. *t.* II, *n.* 825).

Effectus. In eo situs est, ut per triennium Episcopus nequeat ullum Ordinem etiam minorem conferre; nam Pontifex generatim de Ordinibus loquitur, porro et minor Ordo est. Quoad Tonsuram alii contendunt ex Bulla *Speculatores* § 4 neque istam conferri posse; nam

cui non permittitur Ordo, nec præparatio ad illum; alii negant, nam Tonsura non venit nomine Ordinis, et versamur in odiosis.

Potest tamen sic suspensus omnia exercere quæ non est Ordinum collatio, ut Pontificalia agere. Hæc suspensio durat ad triennium; et ante hunc terminum absolutio reservatur Romano Pontifici, ut patet.

III. « Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus.

» Vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus. »

641. *Explanatio.* Deficientia beneficii non potest suppleri per patrimonium ex Innocentio XII. Episcopus autem nequit ordinare alienum subditum, neque ad tonsuram promovere, etiam ei collato beneficio sufficienti, si item non habeat literas dimissoriales alterius Episcopi. Alienus autem subditus ille est qui non est suus subditus neque ratione originis neque domicilii, neque beneficii, neque familiaritatis (v. *t.* II, *n.* 811). Et sic ordinatus ex Tridentino *(sess.* XXIII, *c.* 8 *de Ref.),* a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, remanet suspensus. — Norma ad æstimandum tempus commorationis proprii subditi alibi facta, ut ejus Ordinarius teneatur sub pœna excipere literas testimoniales Ordinarii illius loci, esse potest ea, quæ observatur pro *statu libero* ad matrimonium contrahendum; id est si post septennium ultra sex menses proprius subditus alibi moratus fuerit.

642. *Nota* I. Literæ, quibus proprium subditum ordinandi delegatur licentia alieno Episcopo, ea tamen conditione, ut suo Episcopo adhuc remaneat subditus, dicuntur *dimissoriales* (olim vocabant etiam *reverendas).* Eas Episcopus nondum consecratus, si possessionem adeptus, concedere potest, et licet in aliena existat Diœcesi; nam talis concessio non est actus jurisdictionis contentiosæ. Durant porro, donec revocentur; cum sit gratia facta; neque expirant per mortem concedentis ex S. C. Episc. 21 nov. 1600. Eæ autem a Vicario generali tribui nequeunt, nisi ipse mandatum habeat speciale, vel Episcopus in remotis versetur. — Si vero quis obtineat, ut alterius Episcopi subditus fiat, literæ illæ *remissoriales* appellari solent. S. C. Episcoporum 17 dec. 1839, de mandato Gregorii XVI, declaravit non posse ab Episcopo extraneum ecclesiasticum remitti vel refutari hac sola ratione, quia extraneus est.

Literæ *testimoniales* (seu *commendatitiæ)* sunt illæ, quæ nudum continent testimonium, quod clericus promovendus sit dignus cui tales Ordines conferantur. Sunt etiam aliæ testimoniales literæ, quibus nempe ecclesiasticus a Diœcesi recedens a proprio Episcopo aliis commendatur: et vulgo dicitur *exeat* vel *celebret.* Tandem sunt literæ *formatæ,* quæ de collatis Ordinibus testimonium continent.

Nota II. Congregationes in quibus vota simplicia emittuntur, indigent literis testimonialibus et dimissoriis sicuti clerici sæculares; ideo ad tonsuram et Ordines promoveri nequeunt sine dimissoriis, vel testimonialibus ejus Episcopi in cujus diœcesi moram trahunt *ex S. C. Episc.* 6 *maji* 1864. — Aliud est de Regularibus; horum Ordinarius est Ordinarius loci, in quo est Cœnobium; ideo non tenentur

ostendere dimissorias Ordinariorum propriæ originis ex *S. C. Concilii* 28 *febr.* 1754; sed superiorum suorum Regularium, quæ dandæ sunt ad Episcopum diœcesanum (Benedictus XIV, Constit. *Impositi Nobis* anno 1747).

Canonice impediti ex jure hi recensentur a Monacelli: 1) Non baptizati. 2) Illegitimi 3) Minores actu. 4) Non confirmati. 5) Neophyti. 6) Uxorati. 7) Bigami. 8) Criminosi. 9) Infames. 10) Publicis rationibus implicati. 11) Servi. 12) Eunuchi. 13) Corpore vitiati. 14) Insigniter deformes. 15) Amentes et furiosi. 16) Energumeni. 17) Peregrini et ignoti. 18) Ebrietati et gulæ dediti. 19) Usurarii manifesti. 20) Rudes et ignari. 21) Irregulares. 22) Suspensi, interdicti et excommunicati, necnon morbo commitiali laborantes, lanii, cauponæ, mimi, histriones, et qui sæva exercuerunt vel denuntiarunt, secuta pœna vel mutilatione.

IV. « Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur; vel etiam Religioso nondum professo. »

643. *Explanatio.* Hæc suspensio respicit omnes Religiones in quibus emittuntur vota simplicia, etsi e sua primæva institutione solum habuerint vota solemnia. Hinc post editas jussu Pii IX literas super statu Regularium, cum postulatum fuisset: *Possuntne novitii post emissa simplicia vota ante emissionem solemnium ad sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constit.* Romanus *s. Pii V?* Respondit: S. Congr. Reg. 20 jan. 1860: *Sanctissimus rescribendum mandavit:* Negative quoad Ordines sacros (vide *De Obligat. Religiosorum).* — Gaudet autem legitimo privilegio ab hac lege societas Jesu ex Bulla Gregorii XIII *Ex Sedis Apostolicæ.*

V. « Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes. »

644. *Explanatio.* Non comprehenduntur hac censura novitii, quia nondum religiosi; neque qui vota simplicia emiserunt in aliqua Congregatione, quia nomine veri religiosi non veniunt. Neque apostatæ, neque fugitivi, quia non sunt ejecti; etsi mereantur alias pœnas. Neque injuste ejectus, nam censura supponit culpam; attamen in foro externo non auditur, tanto magis quia habet juris remedium per recursum ad S. Sedem, ad se purgandum a delicto.

Nomine *Ordinum* veniunt etiam Ordines minores, quia locutio non distinguit; attamen ejectus etsi incurrat irregularitatem Ordines majores exercendo utpote suspensus, non item videtur si exerceat Ordines minores, cum hi etiam a laicis generatim exerceantur.

Ejecto id remanet, vel ut redeat ad suam, vel ut ad aliam transeat religionem, vel ut a S. Sede indultum sæcularizationis obtineat, ut possit alicui Ecclesiæ adscribi; tunc cessat pœna.

VI. « Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eundem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis; aut ab hæretico vel schismatico notorio. Eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. »

645. *Explanatio.* Qui bona fide, id est absque præsumptione et ex ignorantia saltem censuræ Ordinem valide susceperunt a supradictis, non proprie remanent suspensi, sed tantum prohibentur ab exercendis functionibus Ordinis suscepti, adeo ut peccent graviter si illas scienter exerceant, antequam prohibitio auferatur ab Ordinario per dispensationem; sed non ideo incurrunt irregularitatem.

Qui vero mala fide, id est sciens volens susceperint Ordinem (validum, etsi illicite ac sacrilege), suspensione perpetua tenentur ab ipso Ordine, et irregularitatem incurrant si illum exerceant.

VII. « Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint. Necnon clerici pertinentes ad aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Cardinalem Urbis Vicarium. Vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum; suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum. »

646. *Explanatio.* Est specialis praxis quæ Romæ viget primum a Clemente VIII inducta; ideo clerici sæculares qui literas a proprio Episcopo dimissorias obtinent, si Romam venerint, ibique saltem per quatuor menses habitaverint, si ibi adhuc commorari velint, nequeunt extra Urbem Ordines suscipere absque licentia Cardinalis Vicarii vel absque prævio examine coram eodem, præterquam a proprio Episcopo, imo neque ab hoc si in examine rejecti fuerint. Hæc non respiciunt Regulares, neque laicos qui tonsuram et cum ea Ordines minores recipiunt una simul; nec eos qui ordinandi discedunt non amplius reversuri.

647. **Suspensio** de novo addenda specialiter Romano Pontifici reservata ex Constit. *Romanus Pontifex.*

VIII. « Contrahentes excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam ob causas supra memoratas n. 590 (id est qui regimen Ecclesiæ suscipiunt nondum præsentatis Bullis provisionis cui de jure) si Episcopali charactere jam sunt insigniti, in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto, absque ulla declaratione, incidunt Sanctæ Sedi pariter speciali modo reservatam » *(De hoc interdicto* v. *n.* 555).

Episcopus suspensus a Pontificalibus adhuc potest Confessiones audire, Missam celebrare more sacerdotum, censuras indicere, beneficia conferre et alios jurisdictionis actus exercere, cum hæc non pertineant ad Pontificalia.

648. **Explicantur suspensiones latæ sententiæ a Tridentino.** Suspensiones latæ sententiæ a Tridentino irrogatæ, quæ adhuc obtinent ex Constit. *Apostolicæ Sedis*, sequentes numerantur, quarum aliæ reservantur, aliæ non.

I. « Episcopi Pontificalia exercentes in aliena Diœcesi sine expressa licentia Ordinarii loci remanent suspensi ab exercitio Pontificalium; et qui sic ordinatur, est ipso facto ab executione Ordinum suspensus » *(Sess.* VI, c. 5 *de Ref.).*

Explanatio. Hic et ordinans et ordinatus puniuntur. Porro per *Pontificalia* intelligitur usus baculi pastoralis, mitræ et pallii, uno verbo omne quod cum his fit ex præcepto Ecclesiæ. Hinc huc venit non tantum Ordines et tonsuram conferre, sed etiam confirmare, consecrare ecclesias, calices, virgines, etc. Potest tamen Episcopns sic suspensus Missam celebrare more aliorum sacerdotum, Confessiones audire, baptizare, censuras ferre, beneficia conferre aliosque actus jurisdictionis exercere, cum hæc ad Pontificalia non pertineant.

II. « Episcopi titulares, si quem ad minores etiam Ordines vel primam tonsuram promoverint sine expresso consensu sui Prælati, per annum ab exercitio Pontificalium ipso jure suspenduntur. Taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit » *(Sess.* XIV, c. 2 *de Ref.).*

Explanatio. Hic pariter suspensione plectuntur tum ordinans tum ordinatus. Porro Episcopus titularis (id est Episcopus in partibus infidelium) etiamsi in loco nullius diœcesis vel exempto existat, nequit vigore cujuslibet privilegii alterius subditum etiam prætextu familiaritatis continuæ et commensalitatis, ad tonsuram nec ad minores Ordines promovere. Sed ut illum legitime valeat ordinare, requiritur expressus consensus seu literæ dimissoriæ Ordinarii cui subest ordinandus; itemque expressa licentia Ordinarii loci, in quo ordinare vult. Suspensio sic ordinati est Ordinario proprio reservata, dicitur enim: *Donec suo Prælato visum fuerit.*

III. « Abbates regulares et alii quamtumvis exempti, qui Tonsuram aut minores Ordines conferre audent alicui sæculari. Item si literas dimissorias clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedant, ab Officio et Beneficio per annum sunt ipso jure suspensi » *(Sess.* XXIII, c. 10 *de Ref.).*

IV. « Ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut indulti etiam specialis, sunt suspensi a collatione Ordinum per annum. Sic ordinatus est suspensus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur *(Sess.* XXIII, c. 8 *de Ref.).*

Explanatio. Qui forte obtinuerit aliquod apostolicum rescriptum vi cujus possit ordinari ab alio Episcopo, vel si aliquis Episcopus vi privilegii habeat ut quemlibet ad se accedentem ordinare possit; adhuc sunt obtinendæ literæ testimoniales Episcopi illius qui ordinandus est. Secus in censuram et ordinans et ordinandus incidunt.

V. « Ordinati intra primum annum a vacatione diœcesis, modo non fuerint arctati, si in minoribus, nullo privilegio clericali præsertim in criminalibus gaudeant. Si in majoribus, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi *(Sess.* VII, c. 10 *de Ref.).* — Qui id concedit, ab Officio et Beneficio est ipso facto per annum suspensus, præter interdictum si concessio sit facta a Capitulo *(Sess.* XXIII, c. 10 *de Ref.).* Et ordinans remanet per annum suspensus ab Ordinum administratione, quia ordinat alienum subditum (1). »

Explanatio. In Pedemontanis ubi viget § 14 Instructionis Benedictinæ (qui tamen ad Diœcesim Novariensem non fuit extensus) Capituli Vicarius non arctatis neque post annum dimissorias ad Ordines suscipiendos concedere potest absque licentia Congregationis Concilii. Laicis vero arctatis ratione Beneficii aut Capellaniæ ecclesiasticæ, vel clericis, qui alicui Beneficio aut Capellaniæ, quæ actu requirat certum Ordinem, fuerint præsentati, eas poterit concedere, modo cum voto pleni Capituli, dando solita forma; nisi tamen fuerit ab Episcopo antecessore rejectus orator.

Utrum autem prohibitio sit intelligenda etiam ad primam tonsuram, probabiliter negant ob quandam S. C. declarationem, quam refert Croix et Garcias; et sane tonsura non est Ordo. — Illi autem dicuntur *arctati* ratione Beneficii recepti, si intra annum eorum Beneficium certum Ordinem requirat, quem non habent. Ratione vero Beneficii recipiendi, si passive vocentur ex tabulis fundationis ad Beneficium certum Ordinem requirens, quo ipsi carent *(Liguori,* l. VI, n. 788).

Cæterum etsi statutum sit a Tridentino, ut in primo anno Sedis episcopalis vacantis in signum luctus ob viduitatem nequeant sine Pontificis dispensatione non arctatis dimissoriales literæ ad Ordines concedi: illæ tamen licite expediri possunt infra dictum annum quibus ab Episcopo in mortis articulo concessæ fuerunt ad effectum se promoveri faciendi etiam in illo anno ex S. C. C. 24 apr. 1700.

VI. « Cum promotis per saltum (si non ministraverint), Episcopus ex legitima causa possit dispensare » *(Sess.* XXIII, c. 14 *de Ref.).*

Explanatio. Qui Ordinem suscipit per saltum (id est qui omisso aliquo Ordine inferiore superiorem suscipit) est ipso facto suspensus ab illo Ordine ex c. *un. ne cler. per saltum ord.* Item sic ordinatus est inhabilis ad Ordinem susceptum exercendum et ad suscipiendum Ordinem prætermissum. A suspensione Episcopus potest absolvere; verum si ante absolutionem sic ordinatus in Ordine illo ministraverit, incurrit etiam irregularitatem indigetque Pontificis dispensatione.

Communius docent quod hæc suspensio adhuc est in suo vigore, quia Tridentinum illam expresse declaravit, et accepit facta ideo Episcopo facultate ab ea absolvendi (2). Verum id negant probabi-

(1) Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ Episcopi, vel ejus translationis, renuntiationis, etc. Cessat vacare (et ideo luctus cessat) quando literæ apostolicæ novi Prælati sint Capitulo præsentatæ. *Ferraris.*

(2) Qui vero suscipit Ordines minores ante Tonsuram peccat mortaliter, quia id graviter vetitum est; sed non incurrit suspensionem, quia Tonsura non est Ordo *(S. Alph.,* l. VI, n. 793).

lius alii; nam Tridentinum non illam directe infligit, sed ab antiquo jure inflictam supponit; porro antiquum jus non amplius obtinet post Constit. *Apostolicæ Sedis*; tantum remanet quatenus est simplex inhabilitas, quoties dispensetur.

VII. « Episcopi qui concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, si a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. Et si perseverent, deferantur ad Pontificem ab eadem Synodo, ut pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus sit, in eos animadvertat » *(Sess.* xxv, c. 14 *de Ref.)*.

VIII. « Ubi viget seu publicatum est Tridentinum, parochi vel alii sacerdotes seu regulares, qui alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi consensu matrimonio conjungere aut benedicere ausi fuerint quamdiu ab Ordinario ejus parochi qui matrimonio interesse debebat absolvantur, suspenduntur » *(Sess.* xxiv, c. 1, *de Ref. matr.)*. V. *t.* ii, *n.* 987.

IX. « Præfectæ monasterio rum, quæ de professione suarum novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem ab Officio quamdiu Episcopo videbitur *(Sess.* xxiv, c. 1 *de Regul.)*. — Hæc tamen proprie censura non est; cum fœminæ suspensioni obnoxiæ non sint; sed est simplex prohibitio seu privatio. »

Art. 3. — Explicantur Interdicta latæ sententiæ.

649. **Interdicta latæ sententiæ per Constit. tum *Apostolicæ Sedis*, tum *Romanus Pontifex*** tria sunt, quorum duo sunt specialiter Pontifici reservata.

I. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantes. »

Explanatio. Hoc interdictum est personale, et respicit tantum membra Communitatis; personæ enim quæ non pertinent ad Universitates, Collegia, Capitula, si hoc delicto inquinantur, incurrunt excommunicationem specialiter reservatam, de qua supra *n.* 572.

Hoc interdicto ligantur Capitula, si major pars capitularium sit rea; nam factum a majori parte censetur a tota communitate factum. Huic item subjiciuntur qui post latum interdictum illius Capituli membra esse cœperunt. Qui illius communitatis partes sunt ligantur etsi innocentes; sed quoad istos interdictum non habetur ut censura, sed uti pura privatio, a qua statim liberantur, si cessent esse membra capituli, collegii, vel universitatis interdictæ *(S. Alph.*, l. vii, n. 41).

II. « Scienter celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica Sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. »

Explanatio. Loca a jure interdicta non censentur talia, nisi accedat declaratio juxta regulam statutam a Martino V. Per *admittentes* clerici intelliguntur qui sua auctoritate prohibere possunt et non prohibent, ut parochi aliique quorum curæ loca sacra commissa sunt, quos non excusat quivis metus, sed gravis tantum; non enim hic additur *sponte*, a qua spontaneitate etiam levis timor excusaret.

Dicitur *ad arbitrium ejus* etc. Ita si quis celebrat scienter in Ecclesia interdicta ab Episcopo Novariensi, ab interdicto liberari nequit nisi ab illo Episcopo. Data tamen ad arbitrium ejus competenti satisfactione, volunt interdictum cessare, quin opus sit absolutione.

Clerici autem qui more laicorum divinis una cum interdictis adsunt vel Sacramenta ab eis recipiunt vel eorum funus comitantur, non tenentur hoc interdicto; neque qui hisce consilium vel favorem præstant; cum id non exprimatur.

Per *nominatim excommunicatos* intelliguntur excommunicati etiam ab Episcopis vel aliis Ordinariis. Qui admittunt hæreticos notorios vel nominatim interdictos ad divina officia, quamvis peccent; non tamen hac censura plectuntur. Si tamen mandarent vel cogerent tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos, excommunicationi nemini reservatæ subjciuntur (v. *n.* 623).

III. « Ex Constit. *Romanus Pontifex* anno 1873 præter suspensionem latum est interdictum ab ingressu Ecclesiæ speciali modo Papæ reservatum in Episcopos, qui electi ad Sedem episcopalem, illius regimen suscipere audent, nondum præsentatis Bullis cui de jure » (v. *supra nn.* 590 *et* 647).

650. **Explicantur Interdicta a Tridentino lata**. I. Capitulum qui dimissorias ad Ordines non arctatis primo anno luctus vacationis Diœcesis concesserit, subjacet ipso facto interdicto (*Sess.* VI, c. 1 *de Ref.*).

II. Metropolita subjacet interdicto ab ingressu ecclesiæ, qui Episcopum; vel Episcopus vicinior, qui metropolitam infra tres menses non denuntiat Pontifici, si illegitime absentes seu absentes ultra secundum semestre (*Sess.* VI, c. 1 *de Ref.*).

TRACTATUS QUINTUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Prœambolum — De Virtutibus.

651. **Virtus.** Prout est habitus definiri potest: Bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum. Prout vero est actus singularis definitur: *Actio bona ab habitu bono proveniens.*

652. *Divisio.* Virtutes aliæ sunt *intellectuales*, aliæ *morales*, aliæ *theologicæ*, prout perficiunt intellectum in ordinem ad veri cognitionem; vel habent pro objecto immediato hominum mores; vel Deum immediate respiciunt. Si virtus intellectualis conducit ad consideranda prima principia, dicitur *intelligentia;* si conducit ad considerandas ipsorum principiorum conclusiones, dicitur *scientia;* si conducit ad considerandas altissimas causas, dicitur *sapientia;* si conducit ad considerandum aliquod speciale opus, dicitur *ars.* Virtutes *morales* quatuor sunt, quæ cardinales vocantur, ad quas cæteræ reducuntur, nempe prudentia, justitia, temperantia et fortitudo. *Theologicæ* vero tres sunt, nempe fides, spes et caritas.

Aliæ sunt *naturales* et *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel nonnisi supernaturalis gratiæ auxilio a nobis acquiruntur et conservantur.

Aliæ *acquisitæ*, aliæ *infusæ*, prout actibus nostris repetitis acquiruntur, vel a Deo ipso immediate in cor infunduntur *(De virtutibus singillatim* v. *Scavini*, l. II, nn. 706 et seqq.).

DISPUTATIO PRIMA

De Religione ejusque actibus.

653. **Religio.** *Est virtus moralis, per quam Deo tanquam primo rerum omnium principio et Domino cultus exhibetur.* Inter virtutes morales eminet; nam magis de propinquo, ut ait Angelicus (2, 2, q. 81, a. 6), accedit ad Deum; et pars est justitiæ, etenim per eam redditur quod Deo debitum est, id est honor et subjectio. *Honor* debetur ratione excellentiæ, quæ Deo singulariter competit in quantum omnia in infinitum transcendit. *Subjectio* debetur ratione dominatus; manifestum est enim, iterum d. Thomas, quod supremum dominium convenit Deo, quia ipse omnia fecit, et quia summum in omnibus rebus obtinet principatum.

654. Cultus autem Deo debitus: *Est complexio illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.* Duplex distinguitur: *internus* unus, qui intus in animo perficitur, uti sunt actus interni devotionis ac cordis oratio; *externus* alter, qui interno addit externam corporis habitudinem, ut est genuflexio, cantus, etc. Quæ divisio ex eo deducitur, quod homo sicuti constat anima et corpore, ita animo et corpore Deum colere tenetur; Deus enim est auctor et supremus Dominus tum animæ tum corporis. Necesse est ergo, *ut homo Deo serviat secundum illud totum quod a Deo habet* (d. Thomas, 2, 2, *q.* 83, *a.* 12). Hinc Psal. LXXXIII: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum: cor,* en interior actus; *caro,* en actus exterior (1).

(1) Non tantum privatus homo, sed ipsa societas uti talis cultum publicum Deo exhibere debet; nam societas civilis easdem naturales relationes habet ad Deum, quas quilibet homo; Deus enim plenarium dominium habet respectu omnium creaturarum et cujuslibet creaturæ; proinde sicut hæ necessitatem cultus privati, ita illæ necessitatem cultus publici exigunt. Sane societas civilis quæ tanquam persona moralis spectanda est, Deum tanquam sui institutorem, gubernatorem et provisorem agnoscere debet (d. Thomas, 2, 2, q. 81).

Ad id societas adstringitur etiam quoad temporalem suam prosperitatem; *omnes* (reges) *qui ad divinam reverentiam fuerunt solliciti, feliciter suum consummaverunt cursum; qui vero e contra, infelicem consecuti sunt exitum* (d. Thomas, *De*

Qui actus tum interni, tum externi ex corde, alacriter ac diligenter fieri debent, si velimus ut accepti sint Deo. Huc autem tendit *devotio,* quæ ex d. Thoma (2, 2, *q*. 82) nihil aliud est quam *voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum;* et cujus ultimus scopus est *perfectio,* quæ quidem est consecutio nostri ultimi finis inchoative in hac vita per gratiam, complete in alteram per gloriam *(Scavini,* De devotione et perfectione etc., *l.* II, *n.* 154) (1).

Ex hisce patet quid de iis sentiendum qui moralitatem a Deo sejungunt contendentes hominem etiam sine religione honestum esse posse, et ideo illam a scholis nostris esse amandandam. Vera honestas tria maxime importat, sobrietatem erga se ipsum, justitiam erga proximum, pietatem erga Deum. Si Deus existit, homo creatura Dei, in quo omnes vivimus, movemur et sumus, illum venerari tenetur et quidem eo cultu quem ipse præcepit, ea religione quam ipse dictavit; ideo contra omnes despectores ait Malach. I: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

Dei adoratio non est libera, sed lex est suprema necessaria, æterna, omni tempore urgens, prout suprema, necessaria, æterna, et omni tempore urgens est dependentia creaturæ a suo Creatore. Igitur qui veram religionem non colit quæ a Deo est, qui in suis actibus obliviscitur Deum rerum omnium principium et finem, qui contendit dare adolescenti scientiam sine Deo qui *scientiarum Dominus est* (I Reg. II), non vere honestus homo dici potest; imo potius ingratus, rebellis, protervus, iniquus; qui porro Deo iniquus est, cui bonus erit? *Io credetti*, ajebat vel ipse Rousseau, *per molto tempo, che uno potesse essere virtuoso senza religione; gli è questo un errore di cui mi sono ricreduto* (Lettere sugli spettacoli).

CAPUT PRIMUM

De Oratione generatim.

655. **Oratio.** Latius accepta est elevatio mentis ad Deum, seu *pius animi affectus in Deum.* Sensu autem stricto definitur: *Petitio decentium a Deo.* D. Thomas, 2, 2, q. 83, a. 3.

regim. princ., l. II). Et ipse Machiavellius: *Nec certius judicium de societatis alicujus ruina atque interitu unquam habere poteris, quam si in ea divinum cultum despectui haberi ac sperni cognoveris* (Disc. sopra la prima deca di Tito Livio, l. I, c. 10). Hinc patet quam turpiter agant gubernia et Communitates quæ publicum ac religiosum cultum non curant, non sustinent, non reverentur; imo vel forte impediunt, despiciunt, irrident illum ut superstitiosam popelli consuetudinem habentes, vel ad summum concedunt ut Ecclesiæ septis concludatur *(Scavini,* l. II, n. 233; Giovannini, *La forza della verità sull'errore;* Signoriellus, *Philos. moralis).*

(1) Dupliciter potest attendi perfectio: vel prout tantum excludit quod est caritati contrarium, et est solum peccatum mortale: quo sensu omnibus perfectio est de necessitate salutis; quia secus nemo salvari potest. Vel prout etiam excludit quæ impediunt, quominus affectus totaliter dirigantur in Deum (quantum vitæ infirmitas patitur); et hoc sensu obligat eos solum, qui se totos Deo manciparunt in aliquo peculiaris perfectionis statu (d. Thomas, 2, 2, *q*. 184, *a.* 4).

656. *Divisio.* Oratio alia est *mentalis* et *contemplativa,* alia *vocalis;* prout sola mente peragitur, vel mente et voce simul. Alia *privata* prout fit a privata persona et privato nomine, ut oratio Dominica et jaculatoria; vel in publica communitate aut ab Ecclesiæ ministris Ecclesiæ nomine, uti sunt Horæ canonicæ. Oratio *publica* quæ vocalis sit oportet, ut innotescat populo, majorem habet efficaciam, præsertim si fiat nomine Ecclesiæ; nam vis unita fortior, et Christus promisit specialem assistentiam *(Matth.* XVIII).

657. **Principia.** Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate præcepti divini, ut patet ex pluribus Scripturæ locis: *Non habetis, propter quod non postulatis; sine intermissione orate,* etc. (Jac. IV, et I Tessal. V). Imo probabilius est etiam necessaria necessitate medii; est enim medium ordinarium a Deo constitutum ad gratias obtinendas (Vide *d. Thomam,* 2, 2, q. 83) (1).

Orationis autem necessitas maxime urget ecclesiasticos, ut valeant sustinere onus ipsis angelicis humeris formidandum. Si enim de castitate perpetua servanda loqueris, monet Sapiens: *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; adii Dominum et deprecatus sum illum* (Sap. VIII) — Si tribulatio premit, ait Deus: *Invoca me in die tribulationis, et eruam te* (Ps. XLIX) — Si instent tempora mala, audiamus Apostolum: *Vigilate omni tempore orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt — Si tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc;* si mundus nos odit, non scandalizemur, scientes quia Christum priorem nobis odio habuit — Si vim patimur clamemus ad Deum; nam *prope est Dominus omnibus invocantibus eum;* exurget in adjutorium nobis, expugnabit impugnantes nos, et restituet animam nostram a malignitate eorum. Oratio innocentis (ajebat Pius IX Polonos ad orationem assiduam hortando) qui persecutionem patitur, serius ocius recidet tanquam ignis devorans super capita persecutorum. Oratio enim magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen præssuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris.

658. Urget autem præceptum orationis per se, idest ex ipso præcepto religionis; et per accidens, nempe vi alterius præcepti.

1) Obligat *per se* non tantum initio usus rationis, cum tunc homo teneatur Deum ut fontem omnium bonorum agnoscere et invocare, ut ait d. Thomas (1, 2, q. 89); non tantum in periculo mortis, nam tunc maxime necessaria est oratio ad perseverantiam finalem obtinendam; sed etiam sæpius in vita, si verum est, *oportet semper orare et non deficere* (Lucæ XVIII).

(1) Vel apud idolorum cultores opinio semper fuit, Divinitatem esse invocandam tum ad mala propulsanda, tum ad felicem rerum successum obtinendum. Adde naturæ impulsum, qui nos trahit ad efflagitandum auxilium in necessitate.

Sed quoties sub gravi obliget, non conveniunt. Alii docent orandum saltem semel in anno; alii semel in mense; alii semel in hebdomada. Cæterum confessarius magis sollicitus esse debet in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissæ orationis gravitate.

2) Obligat *vi alterius præcepti,* v. g. si oratione opus sit ad tentationem vincendam; ad disponendum se ad justificationem; etc.: qui enim tenetur ad media, tenetur quoque ad finem. Sed in eo casu orationis omissio non habet malitiam distinctam a peccato in quod quis lapsus est ob illius omissionem, cum tunc oratio per se præcepta non sit *(S. Alphonsus,* l. III, n. I).

659. **Preces matutinæ et vespertinæ.** Non peccat per se loquendo qui eas interdum tantum omittit; quia nulla lex est quæ determinatas preces singulis diebus et certis horis præcipiat. Attamen vix eum absolutione dignum putant, qui id non curat omnino; tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret; tum maxime quia talis omissio signum certe esset magni teporis animi.

660. *Conditiones orationis.* Sunt præcipuæ: 1) *Attentio;* orans serio cogitet quid, et quem alloquatur: qui orat voluntarie distractus, per se venialiter peccat. 2) *Humilitas;* oratio enim humiliantis se nubes penetrat. 3) *Fiducia;* hæc enim Dei cor expugnat. 4) *Perseverantia,* juxta illud: *Oportet semper orare et non deficere.* Neque precum iteratio est signum diffidentiæ, sed desiderii et fervoris *(D. Thomas,* 2, 2, q. 89 a. 13 et 14).

661. **Effectus Orationis** (1). Si oratio recte fiat, habet ut sit:

1) *Meritoria,* cum sit opus bonum; et quidem meritoria de *congruo,* si oret peccator (2); de *condigno* si oret qui justus est.

(1) Specialem efficaciam ad impetrandum habet oratio innocentium, et ideo Ecclesia vel a primis temporibus pueros ad orandum pro populo urgebat. Chrysostomus ajebat: *Quoniam omnes viri ætate perfecti exacerbaverunt Deum et ad iracundiam concitaverunt, ætas peccatorum expers irato supplicet* (Ad pop. Antioch. hom. II). Quamobrem si vis efficaciter obtinere a Deo aliquam gratiam, maxime si specialissimam, fac ut pueruli ac puerulæ orent ad Dominum, ac cura ut aliquam brevem precationem quotidianis eorum precibus adjungant, vel ut aliquod Novendiale agant; et si jam ad S. Communionem admissi, aliquoties ad hunc finem communicent. Quod quidem hodie est maxime curandum, cum omnes potestates insurrexerint adversus Christi Ecclesiam, ad eam eradicandam, si possibile esset, de terra viventium, ita ut nomen ejus non memoretur amplius. Orent ergo pueri, juvenes et virgines, senes cum junioribus clament ad Dominum, ut ad nihilum redigat impiorum conatus, sed ut convertantur et vivant.

(2) Clemens XI damnavit hanc Quesnelli propositionem: *Oratio impiorum verum est peccatum.* Est autem commune cum d. Thoma bona opera, idcirco etiam orationem peracta in statu peccati mortalis valere: *Ad assuefactionem bonorum operum, ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam* (S. Alph., *Le glorie di Maria).* V. apud Scavini, l. II, nn. 163 et seqq. speciales orationes ab ecclesiasticis usurpandæ, et orationis præstantia n. 179.

2) *Satisfactoria,* cum omne opus bonum in præsenti naturæ lapsæ statu laborem importet. 3) *Impetratoria,* juxta illud: *Petite et dabitur vobis; omnis qui petit accipit* (Lucæ II). Hinc Augustinus: *Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio* (Serm. XXII *de Temp.).* Vide d. *Thomam,* 2, 2, q. 83, a. 15) (1).

Si oratio rite sit peracta, sed fiat pro aliis, effectus non semper certus est et infallibilis, ut docet Angelicus, ob impedimentum ex parte illorum, pro quibus oratur. Christus enim non dixit absolute: *Petite et dabitur,* sed *petite et dabitur vobis.* Nihilominus oratio meritoria erit oranti secundum illud: *Oratio mea in sinu meo convertetur* (Ps. XXXIV).

Si vero oratio rite fiat pro nobis ipsis, et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt, certum est orationem effectum infallibiliter sortiri. Claræ sunt Scripturæ: *Petite et dabitur vobis; quœrite et invenietis; pulsate et aperietur;* etc. Verum aliter esset, si quæ petimus, dari forte non expediat, ut sunt sanitas corporis, vita longa et alia bona temporalia, quæ ideo nonnisi conditionate essent petenda; *eo tenore,* ait Angelicus, *ut nobis concedantur secundum quod expediunt ad salutem* (2, 2, q. 83, a. 5).

662. **Pro quibus orandum.** Neque pro Sanctis in cœlo, neque pro damnatis in inferno orandum; illi enim beatitudine nunquam defutura jam potiuntur. Istos æterno deputatos supplicio novimus.

Est autem bonum orare pro justis, qui in igne purgatorii detinentur, juxta celebre illud Judæ Machabæi: *Sancta... et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Item bonum est, imo tenemur orare pro omnibus, qui in terris degunt sive inimici, sive peccatores, sive justi, sive

(1) « Quolibet sane tempore, ajebat Leo XIII adhuc Perusiæ Episcopus, fervens ad Deum supplicatio extitit instrumentum illud a Deo datum, quo veri Jesu Christi filii usi sunt ad insidias spiritualium inimicorum cavendas et divinam opem implorandam; sed in hac tanta temporum calamitate in qua incidimus, cum animarum omnisque boni adversarius omnes suas vires nervosque intendat ad errores disseminandos, fidem christianam extinguendam ipsamque societatem in extremum discrimen adducendam, multo magis necesse est ut Dei præsertim ministri orandi amorem studiumque, incensis christianorum animis, sedulo excitent, ut omnes qui vere Christum sequuntur in ipso Jesu corde conjuncti ac veluti colligati, melius ea damna reparent, quæ a nefariis impiorum conventibus quotidie religioni inferuntur. » Ad quod obtinendum plurimum confert, ut asserit, si pia sodalitas ab *Apostolatu precum* in parœciis instituatur, quam quidem commendant tum lætissimi atque uberes fructus quos hactenus dedit, tum amplissima ejus inter paucos annos propagatio, tum Apostolicæ Sedis sanctio quæ illam indulgentiis cumulavit. Idem nunc Pontifex firmat Brevi 23 sept. 1878 ad Directorem generalem hujusce apostolatus (De hoc Apostolatu plura apud *Scavini,* l. II, n. 182).

fideles, sive infideles (sed primum pro nobis; id enim pertinet ad rationem caritatis). Hinc Jacobus: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et Christus: *Orate pro persequentibus* et *calumniantibus vos.* Cæterum ad id sufficit *Oratio Dominica et Salutatio Angelica,* si generatim usurpentur *(d. Thomas,* 2, 2, q. 83, a. 7 et 8).

663. **Qui invocandi.** Oratio ex Angelico porrigitur alicui dupliciter: uno modo per ipsum implenda, et sic oramus Deum bonorum omnium datorem; alio modo per ipsum impetranda, et ita Sanctos invocamus Dei amicos (2, 2, q. 83, a. 4 et 11).

Docet autem Tridentinum, bonum et utile esse Sanctos invocare *(sess.* xxv). Theologi vero addunt respectu totius Communitatis hanc invocationem esse de præcepto, cum ad eam teneantur sacerdotes in Officio et Missa. — Sed disputant, an etiam singulis fidelibus sit de obligatione rigorosa (1): saltem invocationem B. Virginis, quæ nostrum omnium est dulcissima Mater, etsi non de absoluta, de morali necessitate præscriptam colligitur ex ss. Patribus et communi sensu fidelium. Idque magis quia Beata Virgo peculiari ac mirabili providentia constituta est a Deo mediatrix et advocata universalis, *spes fidissima ac maxima nostra fiducia, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil præstantius,* ut concludamus cum Pio IX in sua prima Encyclica *Qui pluribus* (v. s. Alph., *Parafrasi della* Salve Regina; it. *Opera dogmatica).*

Cæterum alta mente repositum teneant Parochi, cæterique omnes monitum piissimi Stapf: *Verus religionis sensus, filialis timor Dei, sanctaque morum integritas eo magis viget, quo major viget devotio erga B. Virginem.* Et s. Alphonsus (*Ho. apost.*, tr. vii, n. 43): *Felix ille Parochus, qui suas oves ferventes tenet erga devotionem Ss. Mariæ.* Hinc laudanda ac ubique promovenda devotio, quæ, labente sæculo XVIII, inducta mirum in modum crevit et propagatur, Virginem specialius honorandi per mensem integrum *(De cultu B. M. V. plura* Scavini, l. i, n. 637; l. ii, n. 174).

Invocantur etiam utiliter et potissimum Angeli nostri custodes quibus specialiter cordi sumus. Imo juxta Bellarminum possunt etiam invocari, privatim tamen, infantes baptizati, ante usum rationis defuncti. Imo communius et probabilius etiam animæ purgantes, cum sint amici

(1) Sunt qui negant, quia hujus præcepti vestigium non habetur neque in Scripturis neque in traditione; verum alii plurimi, præcedente Angelico et Catechismo romano, affirmant etiam singulos ad id teneri: cum enim constituerit Deus ut inferiores ad salutem perveniant implorato superiorum subsidio, hunc ordinem lege naturali servare debemus. Quod præcipue de B. V. dicendum est.

Dei, etsi nostris indigeant suffragiis; sicut viatores ad invicem utiliter orant, etsi omnes indigeant (S. Alph., *Gran mezzo dellapreghiera.* It. *Dissertazioni teologico-morali,* diss. II, n. 15).

Casus. Callista Orationem tantum dominicam recitat, inutiles reputans alias orationes. *Licet Oratione dominica nil præstantius excogitari possit, multum autem errat Callista cæteras formulas habens uti inutiles, præsertim vero illæ, quibus generatim utuntur fideles aut Dei ipsius inspiratione, aut quæ Ecclesiæ auctoritate vel saltem consensu inductæ fuerunt.* Episc. Eula.

Art. 1. — De Oratione Mentali, Contemplativa, Dominica et Jaculatoria.

664. **Meditatio.** Est *pia rerum divinarum consideratio;* hæc maxime confert ad peccati detestationem, atque ad perseverandum in gratia. Hinc illud: *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde* (Eccl. VII; Jerem. XII). Hinc oportet ut confessarii, ac parochi illam urgeant quoad omnes; et Benedictus XIV Const. *Quemadmodum* indulgentiam elargitur plenariam quolibet mense iis qui saltem per quadrantem huic orationi incumbunt, et qui illam edocent.

Omnes autem illi vacare possunt; ipsi rudes et idiotæ etiam in manualibus occupationibus mentem identidem elevare possunt ad Deum, meditari fidei veritates præcipue Novissima, ac Domini passionem (1). Nonne ipsi subtiles et diuturnas agunt meditationes de lucro captando; de re familiari augenda, etc.? quod ergo *faciunt in pecunia faciant etiam in conscientia*, ait s. Augustinus, id est quod agunt quoad temporalia, agant etiam quoad spiritualia sine comparatione majora — Monet autem s. Alphonsus: in excipiendis ecclesiasticorum Confessionibus non omittat confessarius eis insinuare orationem mentalem quotidie peragendam, sine qua difficillime boni erunt (S. Alph., *Praxis Conf.*, n. 122).

665. **Contemplatio.** Definitur *elevatio mentis in Deum suspensæ:* hanc porro dari indubium est; sane si ex sola contemplatione naturali vi vehementis applicationis ad cogitationem internam suspensio sensuum externorum sequi potest; quanto magis fiet in contemplatione supernaturali per vehementem cogitationem et amorem Dei! Id probant tum auctoritas tum plurimorum Sanctorum exempla; et in

(1) Ita et facile et utile ipsis erit considerare, v. g. agrum quem colunt, domum quem habitant, utensilia quibus utuntur, jam plures ante ipsos possedisse; at nunc ubi sunt? Et paucis ab hinc annis nonne oportet ut hæc omnia et ipsi aliis cedant? at ubi tunc erunt? quænam erit domus æternitatis eorum? *(Scavini,* l. II, n. 183).

Scriptura plures hujusmodi ecstases habentur. Gen. II: *Immisit Dominus Deus soporem* (Septuaginta legunt *ecstasim) in Adam.* Psal. CXV: *Ego dixi in excessu meo* (Septuaginta interpretes legunt in *ecstasi).* Et de s. Petro dicitur Act. X: *Cecidit super eum mentis excessus.* De raptu v. d. Thomas, 2, 2, q. 175; de vita contemplativa q. 179 *(Scavini,* l. II, n. 186).

666. **Oratio Dominica.** Hanc precandi formulam nobis tradidit ac præcepit ipsemet Christus Dominus inquiens: *Sic ergo vos orabitis, Pater noster,* etc. (et ideo *Dominica* dicitur). Nil autem perfectius excogitari potest: nam si *auctorem* quæris, Deus est; si *objectum,* nihil prætermissum est; si *modum,* universa eo, quo sunt desideranda, ordine, continet; si *facilitatem,* paucis expletur; si *necessitatem* præceptum habes; si *efficaciam* ideo nos illam docuit Christus. D. Thomas, 2, 2, q. 83, a. 9.

667. **Oratio Jaculatoria.** Est quidam cordis actus præsertim in Deum, brevis, sed fervidus et ardens ad instar ignis, quem anima in Deum dirigit tanquam jaculum, et ideo dicitur *jaculatoria,* v. g.: *Deus meus, Deus meus!* At potest hæc oratio ferri et in Angelos et in Sanctos, ac maxime in Beatam Virginem. Imo etiam in creaturas irrationales eas invitando ad Deum laudandum, uti in more habebat s. Franciscus Assisiensis.

668. Confessarius ejus usum pœnitenti commendet ostendendo, quam *utilis* sit, siquidem quilibet virtutis actus meretur præmium; quam *facilis,* nam consummatur unico instanti sine ullo labore, et semper et ubique fieri potest; et quam *dulcis* et *suavis,* amor enim amore fovetur, quo nil dulcius et suavius. Plura de ea s. J. Chrysostomus *(Sermo de Anna).*

Art. 2. — De Horis canonicis.

669. **Horæ canonicæ.** Sunt *preces vocales ab Ecclesia institutæ ejus nomine quotidie recitandæ a personis specialiter deputatis.*

Dicuntur *Horæ canonicæ,* quia juxta Ecclesiæ canones recitandæ sunt. *Breviarii* etiam vocabulo donantur, quia Scripturarum oracula, Patrum sententias et Sanctorum gesta breviter exhibent. Item dicuntur *Officium divinum,* quia ad cultum Dei institutæ.

670. *Divisio.* Horæ canonicæ septem enumerantur, nempe *Matutinum* cum *Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ* et *Completorium.* Matutinum dividitur in tres partes, quæ appellantur *Nocturni.* Nocturnos sequitur pars quarta, quæ ve-

nit nomine *Laudum.* Matutinum cum Laudibus et Vesperæ dicuntur *Horæ majores* vel *magnæ;* cæteræ vero *minores,* vel *parvæ* (1).

671. *Origo.* Origo Horarum canonicarum quatenus sunt preces certis horis persolvendæ, seu quoad substantiam, ab ipsis Apostolorum temporibus videtur repetenda, cum ipsi solerent datis temporibus ad templum convenire ad orandum, ut patet ex Actis Apostolorum. Sed quoad hodiernam formam Horæ ortum habent a RR. Pontificibus, a Damaso sæc. IV opera d. Hieronymi; sæc. V a Gelasio in Concilio Romano; sæc. VI a s. Gregorio M.; sæc. XIII a Gregorio IX; a Pio V sæc. XVI; a Clemente et Urbano VIII sæc. XVII.

672. *Obligatio.* Obligatio Horas recitandi oritur ex immemorabili consuetudine, quæ vim legis gravissimæ ubique obtinuit, ut habet Benedictus XIV. Hanc inter plurima Concilia confirmavit Concilium Romanum anno 1216, præcipiens ecclesiasticis *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter atque diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.*

673. *Principia.* Ad Horas canonicas tenentur sub gravi, uti constat ex canonico Jure et Pontificum præscriptionibus:

I. *Clerici* omnes in Sacris constituti etsi suspensi, interdicti, excommunicati; exceptis ordinatis metu gravi, vel ante pubertatem si postea non consenserint. Hæc obligatio incipit ab ea hora, qua subdiaconatum suscipiunt; ideo tenentur ad Primam si ante nonam horam, ad Tertiam vel Sextam si post nonam horam ordinentur. Et probabilius non satisfaciunt si antea recitaverint, quia obligatio nondum contracta est. Excipe nisi sint etiam beneficiati; nam tunc jam verificatur, quod recitaverint nomine Ecclesiæ.

II. *Beneficiati;* a die quo beneficii ecclesiastici possessionem adepti sunt, sub gravi præcepto tenentur quotidie Officium divinum recitare (2). Imo ex Const. *Ex proximo* s. Pii V, et Lateranensi Concilio sub Leone X, qui culpabiliter illud non recitaverit, in materia tamen gravi, elapsis sex mensibus a bene-

(1) Totum Officium dividitur etiam in *Nocturnum* et *Diurnum:* nocturnum complectitur tres Nocturnos et Laudes, ideo dictum, quia noctu olim recitabatur; diurnum complectitur cæteras partes et recitabatur in die *(Scavini,* l. II, n. 28).

(2) Excipe si fructus citra suam culpam non percipiat, vel adeo tenues ut ad tertiam patrimonii partem (juxta taxam diœcesis) non pertingant; nisi forte inopia unius anni cum copia alterius anni compensetur, aut plura hujusmodi beneficia possideat, et omnia simul hanc partem excedant *(S. Alph.,* l. III, n. 674).

ficii possessione, tenetur pro rata omissionis fructus restituere (1). Quæ restitutio in conscientia et ex justitia fieri debet ante quamcunque sententiam declaratoriam; neque suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus beneficii fecerit, ut declaravit Alexander VII. Qui fructus vel in utilitatem ipsius beneficiiet Ecclesiæ, vel in pauperum levamen erogari debent *(S. Alph.,* l. IV, nn. 140, etc.).

III. *Religiosi* omnes utriusque sexus, in Ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati; liquet ex consuetudine et decreto Gregorii X. Moniales autem Officium recitare debent prout in Breviario, non immutando *pater* in *mater,* vel *fratres* in *sorores,* etc. ex S. Rituum C. *(v.* n. 296).

674. *Resolve:* 1) Certum est mortaliter peccare qui Horas vel notabilem earum partem omittit; quia violat præceptum in re gravi pertinente ad virtutem Religionis. Probabilius autem non erit grave omittere tertiam partem Horæ (addunt vel Vesperas Sabbati sancti); quia pars illa est levis in se, tanto magis respectu totius Officii (2). Cæterum videtur omnino certum unam Horam etsi brevem, vel Officii partem eidem respondentem, uti unum integrum Nocturnum, sufficere ad gravem materiam.

2) Si quis petat quot peccata committat qui totum Officium omiserit, respondet d. Antoninus: *Qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea committit septem peccata mortalia; sed unum, et tanto gravius quanto plus de Officio omittit, quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto.* Attamen si plures Horæ omitterentur ex intentionibus moraliter inter-

(1) *Pro rata omissionis;* nempe explicat s. Pius V: *Qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras alias Horas, aliam dimidiam; qui autem Horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat.* Cæterum plures rationabiliter dicunt ex benigna interpretatione, ad omnium fructuum restitutionem teneri tantum simplicem beneficiatum, qui alia onera non habet; cæteros non teneri eos fructus restituere, qui respondent aliis oneribus. Quare dicunt Episcopos et Parochos, qui totum Officium culpabiliter omittunt, teneri restituere tertiam vel quartam partem (juxta alios quintam partem) fructuum; canonicos dimidiam vel quartam partem; capellanos tertiam vel dimidiam, retinendo alios fructus pro aliis oneribus, quibus satisfaciunt *(S. Alph.,* l. III, n. 673; l. IV, n. 145. *Scavini,* l. II, nn. 190 et seqq.).

(2) Item est si omittantur *Suffragia Sanctorum,* quando præscripta sunt. Iis autem adjungenda est commemoratio *Sancti Titularis propriæ Ecclesiæ* quam quis habeat, vel ratione chori cui addictus est. Item commemoratio *Patroni principalis* tum Diœcesis, tum particularis loci, si adsit. Istæ autem commemorationes fiant juxta ipsarum dignitatem hoc ordine: 1) De divinis Personis et Mysteriis. 2) De B. Virgine. 3) De Angelis. 4) De s. Joanne Baptista. 5) De s. Joseph. 6) De Apostolis et Evangelistis. 7) De aliis (Carpo, *Compendiosa bibliotheca liturgica).*

ruptis, haberentur mortalia plura; cum omnes omissiones ex se graves fiant unæ ab aliis independentes, illa intentionum interruptione *(S. Alph.,* l. IV, n. 147).

3) Dubitans, an aliquid de Officio omiserit, si agatur de scrupulosis, generatim non sunt obligandi ad illam partem recitandam; cum istorum dubia, ut plurimum, non tam dubia vera sint, quam inanes quædam apprehensiones. Si vero de cæteris, ordinarie tenentur ad Horam illam recitandam; nam possidet præceptum. Excipe nisi quis prudenter credat, se Horam illam jam recitasse, v. g. si meminerit incœpisse Psalmum vel aliam partem, et soleat de more perficere quod semel cœpit. Item est si probabilius credas Horâs jam recitasse, maxime si quoties revera non recitaveris, id memorare soleas; nam tunc est moraliter certum præcepto satisfecisse; res enim resolvenda est ex communiter contingentibus. Adde: si secus esset, scrupulis lata via aperiretur *(S. Alph.,* l. IV, n. 150).

4) Qui certus est se non posse recitare Officium totum; dubitat tamen, an possit saltem recitare partem, generatim loquendo ad partem circa quam dubitat, tenetur; nam in dubio standum est pro obligatione, cum certa sit et possideat. At in praxi qui anxie dubitat, an possit Officii partem recitare necne, rationabiliter docent ipsum ad nihil tenere: prout solet evenire (ait ad rem Billuart) in infirmis, in quibus vix determinari potest quid possunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continua perplexitas in determinanda parte ad quam tenerentur. Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem *(S. Alph.,* l. IV, n. 154).

5) Qui cum aliis choraliter recitant Officium majus, aut defunctorum, communiter et satis probabiliter non tenentur supplere omissa, si dum alii cantant, ipsi se parant ad celebrandum, aut transferunt libros, requirunt Psalmos, thurificant, pulsant campanas, vel alia choro necessaria agant; nam dum quis occupatur in rebus ad Officium pertinentibus, chorus pro eo supplet: prout qui Missæ inservit censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit. Item satisfacit qui dum alii recitant, tussit vel screat, etsi integer Psalmus interim dicatur *(S. Alph.,* l, IV, n. 143).

675. Ad Breviarium obligati tenentur etiam recitare Officium Defunctorum, et Litanias Sanctorum, statutis diebus. Ac:

I. Integrum Officium Defunctorum ab omnibus, qui ad Breviarium sunt obligati, recitandum est sub gravi ex ipsa Breviarii præscriptione, die secunda Novembris. Vesperæ pridie recitantur; imo Matutinum et Laudes pridie anticipari possunt.

II. Obligatio adest item pro omnibus, qui ad Breviarium tenentur, recitandi Litanias Sanctorum tum die s. Marci, tum tribus Rogationum diebus, et quidem (ut dicunt communius) sub gravi, cum materia gravis sit. Idque firmatur ex S. Rituum Congregatione apud Gavantum (1). — Quæ tamen nequeunt pridie recitari, quia illæ dicuntur loco assistentiæ ad processionem: processio autem diebus naturalibus affixa est, uti declaravit S. C. Rituum 15 junii 1776 (2).

§ 1. — De recta Officii recitatione.

676. **Tempus Horas recitandi.** Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horæ canonicæ persolvantur a media nocte usque ad aliam mediam noctem. Ut autem vitetur etiam veniale, recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia vel consuetudine assignato, nisi obstet rationabilis aliqua causa, v. g. concio paranda, iter agendum, tempus aptius ad studendum. Cæterum attendenda est regula s. Antonini: *Quando Officium dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare.*

677. Porro *extra chorum* Vesperæ et Completorium dici debent a meridie ad mediam noctem; imo in Quadragesima Vesperæ ante prandium (versus horam undecimam) laudabiliter recitantur etiam privatim ob antiquam disciplinam prandendi post vesperas. Matutinum post mediam noctem ad meridiem; Horæ parvæ ab aurora ad meridiem; sed Nona, et juxta alios, etiam Sexta recitari possunt post meridiem. Imo Matutinum cum Laudibus ex universali et probata consuetudine pridie valide et licite recitari potest: *Quantum ad ecclesiasticum officium,* ait d. Tho-

(1) Docent alii non certo adesse hanc gravem obligationem: quod quidem etsi improbabile dicere non audeam, mihi tamen magis arridet contrarium; ubique sane viget consuetudo recitandi Litanias pro obligatis ad Officium divinum: quæ quidem est optima legum interpres (*S. Alph.*, l. IV, n. 161).

(2) Insuper pro Choro addictis adest etiam gravis obligatio præter Officium divinum recitandi statutis diebus a Rubrica notatis, Officium B. Virginis, et Defunctorum, Psalmos pœnitentiales et graduales. Hæc tamen obligatio est tantum pro illis qui actu in Choro Officium recitant, et quidem pro iis locis, ubi adest hæc consuetudo ut in Novariensi. Nequeunt autem anticipari, quia sunt onus diei ex S. R. C. 31 aug. 1839, 2 sept. 1741 (V. Scavini, *De Officio B. V., Defunctorum, Psalmis gradualibus ac pœnitentialibus, et Litaniis*, l. II, nn. 209 et seqq.).

mas cum communi (Quodl. 5, a. 23) *et solemnitatem celebrandi, incipit dies a vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem;* id est quando sol incipit esse propior ad occasum. Et in veriori sententia non esset tutus in conscientia qui illud pridie recitaret hora secunda post meridiem (1).

678. In *choro* obligatio est, ut Officium recitetur ordine debito, et statis horis a jure vel legitima consuetudine præfixis. Ex S. Rituum C. Matutinum cum Laudibus in choro non est habitualiter vespere anticipandum (ut licet in recitatione privata), sine privilegio apostolico, quod concedi solet ad tempus, v. g. ad decennium, si causæ sunt temporaneæ, ut parvus canonicorum numerus, aut eorum ætas ingravescens vel adversa valetudo, necnon necessitas administrandi sacramentum Pœnitentiæ per Capitulares. Conceditur vero in perpetuum, si causæ perpetuæ sint, ut aeris inclementia, regionis intemperies, et loci situs alpestris *(Acta S. Sedis*, t. IX).

Attamen videtur probabilius cum Gavanti, quod hæc obligatio non sit sub gravi; maxime si anticipatio non sit habitualis neque sine rationabili causa *(S. Alph.,* l. IV, n. 171).

679. **Locus Horas recitandi**. Canonici choro addicti recitare debent publice in Ecclesia, uti se habet eorum institutio (2). Cæteri possunt Officium recitare per se loquendo in omni loco, modo sit citra distractionis periculum: hinc ex generali piorum praxi etiam in curru, vel deambulando *(S. Alph.,* l. IV, n. 171).

Seclusa autem rationabili causa est veniale Officium recitare decumbendo in lecto ob quandam irreverentiam. Sed quæcunque mediocris causa excusat, v. g. dolor capitis, infirmitas, defatigatio, frigus, etc. *(S. Alph.,* l. IV, n. 179*)*.

680. **Ordo Horas recitandi**. Eo ordine Horæ recitandæ sunt quo exponuntur in Breviario. Tamen inversio non invalidat Officium, nec mortalis est; cum adhuc tota substantia habeatur. Justæ autem causæ ordinem invertendi communiter sunt: 1) Si quis ab amico invitetur, v. g. ad Matutinum secum una recitandum pro die sequenti, nondum persolutis Vesperis — 2) Si quis carens

(1) Et ratio momentosa est: dies ecclesiasticus sequentis diei non incipit, nisi cum sol propior est ad occasum, hora nempe vesperarum. Et Ecclesia concessit ex privilegio quibusdam Ordinibus ut pridie recitare valeant cum aliqua rationabili causa Matutinum hora secunda post meridiem. Hoc porro privilegium inutile foret, si vi sua id jam licitum esset.

(2) Ob vehementia frigora vel alias causas de licentia Episcopi, Matutinum recitari potest in sacristia vel honesto alio loco ecclesiæ.

Breviario memoriter recitet Horas, Vesperas ante Matutinum, cum nequeat commode earum recitationem differre — 3) Si canonicus tarde ad chorum accedat, Officio communi jam incœpto *(S. Alph.,* l. IV, n. 170*).*

681. Stricte autem et sub mortali est obligatorium Breviarium Romanum ex s. Pio V quoad omnes Ecclesias, præter eas quas ipsemet Pontifex excipit; adeo ut qui alio utuntur, non satisfaciant suæ obligationi, nec si beneficiati faciunt fructus suos (1). Episcopi ergo nequeunt propria auctoritate Calendario romano aliud substituere; illud enim ad totum catholicum orbem extenditur, et omnes, ut dictum est, obligat citra privilegium. Imo a S. Sede obtinere debent facultatem addendi festa propriæ diœcesis ex norma Rubricarum omnes de suo clero obligando, ut declaravit *S. R. C. 22 aug.* 1744.

682. **Matutini a Laudibus separatio.** Commune est Matutinum posse a Laudibus separari etiam sine causa, sive Matutinum et Laudes sint duæ Horæ, sive una tantum; nam etiam antiquitus separabantur, ut fatentur eruditi. Sed cum separantur adjici debet in fine *Pater noster*, uti Rubrica præcipit, cum terminatur Officium. Utrum vero sit etiam addenda *Oratio*, alii probabiliter negant, si excipias noctem Nativitatis ex Rubrica; alii item probabiliter affirmant, prout tenent Matutinum et Laudes unam esse Horam vel duas. Præstat, etsi non de præcepto, ut quando separantur, initio Laudum præmittatur *Pater* et *Ave*.

683. Imo non solum Matutinum a Laudibus, sed tres ipsi Nocturni possunt probabiliter licite inter se separari absque ullo peccato, etiam sine causa, saltem si inter eos non intercedat majus temporis spatium, quam trium horarum: quod esset juxta ritum antiquum, ex d. Thoma *(S. Alph.*, l. IV, n. 160).

684. **Matutinum ante Missam.** Etsi Matutini ante Missam recitatio sit optima dispositio ad celebrandum; attamen probabilius, imo hodie communiter receptum est, non esse mortale Matutinum cum Laudibus post Missam extra Chorum persolvere: tum quia nulla vera adest connexio inter Officium et Missam; tum quia gravis obligatio non clare exprimitur in Rubrica (etsi

(1) Sunt qui tenent illum satisfacere qui Officium recitat vulgari idiomate, ut se magis ad devotionem excitet: nam adhuc formulam præscriptam quoad substantiam retinet. Sed negandum videtur certo probabilius; quia et substantia et forma sub gravi ad satisfaciendum præscripta est; et hic non amplius uteretur Breviario prout est exaratum, id est in lingua liturgica; et ab Ordinario recognito et approbato tanquam conforme probatis exemplaribus.

id inter defectus numeretur), neque communiter sub gravi recepta est. Esset igitur tantum venialis culpa, a qua quælibet mediocris causa rationabilis, v. g. si instet commoditas studii, excusat. Imo Benedictus XIV nullum peccatum agnoscere videtur; ait enim Bulla *Etsi pastoralis* ad Italos-græcos 18 junii 1742: *Sacerdotes et quicunque sunt in sacris Ordinibus constituti, Horas canonicas more suo dicant; et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.* Esset ergo tantum de consilio.

685. Dixi *extra Chorum;* nam ex communi et veriori sententia mortale esset canere Missam conventualem et solemnem antequam Matutinum in choro dicatur; nisi intercedat gravis et publica causa. Ratio, quia talis est consuetudo recepta in omnibus ecclesiis, ubi preces publicæ dicuntur; ita ut aliter læderetur in re gravi publicus cultus, et conveniens regimen Ecclesiæ, præter scandalum populi *(S. Alph.,* l. VI, n. 347).

686. **Officii mutatio**. Qui advertit se hodie recitasse Officium diei crastinæ, probabilius tenetur illud crastina die repetere; quia per recitationem anticipatam, nequit satisfacere præcepto nondum vigenti.

Qui advertit, se errasse in Officio diei currentis postquam multum processerit, v. g. post recitatum Matutinum, si id inculpabiliter evenerit, sufficit, si recitet quod superest de Officio debito; ne detectum errorem prosequatur. Si vero culpabiliter erratum sit in parte notabili, probabilius (saltem sub levi), est repetendum quidquid eo ritu erat recitandum, ut oratio persolvatur secundum ritum præscriptum.

Qui completa tota Officii recitatione, advertit se errasse, si id egerit inadvertenter, nullum erit peccatum, neque urgebit obligatio Officium repetendi; quia non præsumitur Ecclesia aliquem velle bis in die ad tale onus obligare. Quod magis currit, si causa adsit mutationis, ut si dicas lectiones de Feria, quia Lectiones de Sancto non habes. Erit tamen observandum, quod si Officium persolutum sit notabiliter brevius, v. g. si Officium Sancti pro Officio Dominicæ sit recitatum, fiat aliqua compensatio, recitando novem Psalmos ex primo Nocturno.

Si mutatio sit facta advertenter et sine causa, et Officium currentis diei mutetur in aliud notabiliter brevius, erit mortale; quia non impleretur præceptum neque in sua forma specifica, neque in æquivalenti: unde adhuc urgeret obligatio Officii. Hinc Alexander VII damnavit propositionem: *In die Palmarum re-*

citans Officium paschale satisfacit præcepto (S. Alph., l. III, n. 667; l. IV, nn. 161, etc.).

687. **Modus recitandi Horas.** Concilium Romanum, a quo consuetudo Horas recitandi est in legem scriptam deducta, modum etiam indicavit, quo illæ recitandæ sunt, nempe *studiose* et *devote.* Vocabulum *studiose* pertinet ad munus oris, et postulat ut Officium totum persolvatur vocaliter, absque abscissione verborum. Vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis, et postulat, ut recitatio fiat cum debita intentione, attentione atque reverentia (1).

688. *Resolve:* 1 Qui Officium recitat, an debeat se ipsum audire sunt qui affirmant cum Suaresio; secus oratio vocalis non est. Sed satis probabiliter negant plures cum Sylvio, cujus doctrinam magni æstimat Benedictus XIV. Sane hic non præcipitur auditio, sed tantum recitatio, id est vocalis pronuntiatio verborum; atqui hæc haberi potest, licet a recitante verba non audiantur *(S. Alph.,* l. IV, n. 163).

2) Commune est illum Officio satisfacere qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes et Antiphonas. Item tenent probabiliter et illos satisfacere, qui dicunt soli Psalmos et Lectiones audiunt, vel soli partem Psalmorum dicunt, et partem cum socio; quia satis communicant ex recepto usu in eo, quod audiunt. Item non improbabiliter excusant a repetendo quod non satis auribus perceptum fuit, si id contingat propter strepitum alienum; vel propter culpam chori vel socii. Etenim recitans cum socio per illam societatem et suam applicationem censetur moraliter communicare cum eo in illa oratione *(S. Alphonsus,* l. IV, n. 162).

3) Verius et communius, qui Officium recitat in mortali existens, satisfacit neque peccat mortaliter: quia ex una parte non exercet actum Ordinis sacri; ex alia quamvis nihil sibi mereatur de condigno, quia tamen orat nomine Ecclesiæ, bene pro aliis obtinet; cum Ecclesia suppleat. Unde quod oret nomine Ecclesiæ in mortali existens, non videtur irreverentia de mortali damnanda.

(1) Ad divinum Officium rite persolvendum (et maxime Defunctorum) plurimum confert, si *asteriscos* studiose observemus; illi enim et expectant qui retardant, et retinent qui currunt, et voci vim addunt, et psalmodiam nostram concordem, unisonam, harmonicam ac devotam faciunt. Et *S. R. C.* 9 junii 1864 præcipit in recitatione Horarum in choro etiam sine cantu, ad asteriscum pausam esse omnino servandam, non obstante quacunque consuetudine contraria (S. Alph., *La Messa e l'Officio strapazzati*).

4) In choro recitantes Officium probabilius peccant, si absque causa cæremonias non servent in stando, genuflectendo, etc.; quia agerent contra Rubricam: hæc tamen omissio non excedit veniale. Verum extra chorum commune est, non peccare qui ritus illos non servat; quia Rubrica respicit tantum recitantes in choro. Hinc ad quæsitum, an preces feriales et antiphona finalis B. Virginis flexis genibus sint etiam privatim recitandæ respondit S. C. C. 12 nov. 1831: *In choro tantum juxta Rubricas.* Laudabiliter tamen cæremoniæ servantur ad fovendam devotionem *(S. Alph.,* l. IV, n. 178).

5) Satisfacis, si recites Horas cum alio non obligato, aut cum distracto vel non attento; quia hæc omnia non impediunt quominus tu recites Horas juxta morem Ecclesiæ. Defectus obligationis vel attentionis ex parte alterius, tuam recitationem non immutat nec vitiat. Ergo si socius est obligatus et non attendat, ipse peccare poterit, non tu; id enim non impedit, quominus tu cum eo communices, si ille recte pronuntiet, et tu recte audias. *Croix.*

6) Si una Hora vel unus Psalmus interrumpatur notabiliter alii ajunt totam esse repetendam Horam vel Psalmum interruptum, quia sublata fuit unitas præscripta. Alii communius et probabilius negant, quia singuli Psalmi ac versus completam habent significationem, et satis uniuntur per intentionem continuandi vel per recitationem subsequentem, licet venialiter peccet qui nullam habet interrumpendi causam; quia sine ratione præscriptam ab Ecclesia unitatem rumpit. Ita Croix, Lessius, Sanchez, Sporer aliique plures.

Justæ interrumpendi causæ communiter sunt: 1) Quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri nequeat — 2) Ratio urbanitatis vel caritatis, et multo magis ratio exequendi mandata superiorum — 3) Si excipienda sit Confessio alicujus; vel sit distribuenda Communio — 4) Si velis aliquid agere aut adnotare ut tollas distractionem, v. g. ne obliviscaris; sed ne fiat frequenter — 5) Licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio inter orandum, vel aliquis interdum pius cordis affectus *(S. Alph.,* l. IV, n. 168).

689. *Casus.* Nicorius solet ad levamen Officium recitare cum ancilla sua bene instructa. R. *Valida est talis recitatio; neque enim per se mulieres a recitatione Officii prohibentur, ut patet de monialibus. Non tamen laudandus Nicorius noster, quia non videtur decere ut sacerdos in hoc mulierem sociam adhibeat; et hoc etiam multam admirationem pareret, si fiat aliis videntibus.* Gury.

690. **Syllabarum mutilatio.** Si ista mutilatio est in tali quantitate, ut sensus verborum notabiliter varietur, non poterit excusari a mortali, si quantitas illa sit gravis in ordine ad Officium; neque ideo ab onere repetendi partem, in qua sensus fuit corruptus. Si vero

id fiat involuntarie, ob balbutiem vel inveteratam consuetudinem, etsi adhuc agatur de gravi quantitate, si studeat se emendare, ad nihil amplius videtur teneri; ubi nulla culpa, nulla pœna.

Sed quid (dices) *de eo, qui socium syllabas mutilantem sibi suscipit in Officii recitatione?* R. Iste non tenetur Officium repetere, nisi certo constet socium ita syllabas mutilasse, ut pro notabili parte sensus notabiliter mutatus sit; præsumptio enim stat pro debita recitatione. Puto tamen eundem non excusari a veniali, si sponte tali socio uniatur; nisi adsit causa, ut si a superiore vel a persona gravi invitetur.

Certum est autem, eos non satisfacere, qui alternatim recitando non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate; quia tunc una pars alteri non succedit *(S. Alph.,* l. IV, n. 165).

691. **Intentio et attentio in Officio.** In Officii recitatione requiritur intentio et attentio; nam recitatio Horarum est vera oratio, id est *elevatio mentis in Deum;* sed hæc haberi nequit sine intentione et attentione. Quid est intentio? est volitio faciendi aliquid. Quid attentio? est mentis applicatio ad id quod agitur. Necessaria est ergo:

1) *Intentio,* seu volitio saltem generalis orandi: unde qui Horas eruditionis causa, vel animo memoriæ mandandi Psalmos recitat, tenetur Horas repetere; cum talis recitatio non sit oratio. Hæc tamen intentio non requiritur ut sit expressa, talis nempe, qua quis ab initio Breviarium sumens dicit actu: *Volo orare.* Sed satis est implicita seu virtualis, quæ habetur cum quis de more Breviarium accipit, ut Officium impleat prout solet.

2) *Attentio*, seu seria applicatio ad Officium quod persolvitur; secus recitatio non esset actus humanus. Attentio alia est *externa*, quæ excludit omnem actionem physice incompossibilem cum eo quod agitur; alia *interna,* quæ sistit in mentis advertentia ad id quod agitur. Certum est non recitari valide Officium sine attentione externa: uti esset fabulari, scribere, attentam alienis sermonibus aurem præbere, magna animi applicatione diversum agere, sibi celeriter vestes accommodare.

692. An etiam necessaria sit *attentio interna*, plures cum s. Antonino negant; quia si requireretur de necessitate, neque satisfaceret qui involuntarie distrahitur; nam destructa etsi inculpabiliter rei essentia, res ipsa destructa est; quod nemo admittit. Hinc Angelicus: *Evagatio mentis quæ fit præter propositum, fructum non tollit* (2, 2, q. 83, a. 13). Alii cum Concina affirmant; nam sine illa non habetur oratio, quæ definitur: *Elevatio mentis ad Deum.* Quæ secunda opinio probabilior videtur, et ut tutior consulenda; sed prima tum ob Doctorum auctoritatem, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas satis probabilis apparet *(Scavini,* l. II, n. 198).

693. Cæterum pro praxi sufficit attentio virtualis et superficialis, quæ est ad verba recte et integre proferenda cum generali intentione colendi Deum *(S. Alph.,* l. IV, n. 343).

694. **Distractionis remedia.** Sunt negativa et positiva.

Negativa sunt subtractio eorum, quæ distractionum sunt causa, v. g. impedire quominus oculi circumvagentur, a graviori hominum strepitu se subducere, ad negotia diversa non properare.

Positiva sunt procuratio eorum, quæ attentionem per se excitant, v. g. elicere sub initio intentionem laudandi Deum, hanc interdum renovare. Item optimum est Officium legere ; oculis frænatis, facilius mens frænatur a vagationibus. Item considerare magnam quam agimus, actionem; non enim alloquimur hominem, sed Deum, et quidem Dei verbis utendo. Præstat ad rite recitandum, ut mente concipiamus ex una parte adstare nobis recitantibus Angelum custodem qui merita notet; ex altera dæmonem, qui demerita scribat (S. Alph., *La Messa e l'Officio strapazzati).*

Cæterum ad auferendas omnes anxietates, observandum est: ut quis dicatur Officio minime satisfecisse ob habitas distractiones, non sufficit, ut voluntarie distrahatur; sed insuper requiritur, ut plene advertat se distrahi ab Officio in materia notabili. Nam intentio prius deliberate concepta Officium persolvendi perseverat quousque non retractetur per contrariam plenam advertentiam circa ipsum Officium. Et ideo vir benemoratus non debet timere se ob distractiones Officio non satisfecisse; quod multo magis currit de scrupulosis: imo addit Gobat, quod si quis pateretur graves anxietates, posset aliquando etiam ei interdici recitatio Officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo, cum magna difficultas excuset per se a præceptis Ecclesiæ *(S. Alph.,* l. IV, n. 177 .

§. 2. — De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.

Causæ excusantes sunt *dispensatio, caritas* et *impotentia.*

695. **Dispensatio.** Cum obligatio Officii sit de jure ecclesiastico generali, Papa dispensare valide potest etiam sine causa. Poterit item Episcopus, sed ad breve tempus, urgente vera causa, et cum aliquo particulari tantum: cum sit lex superioris. Item Vicarius capitularis; non tamen Vicarius generalis Episcopi sine speciali delegatione; nam id non est de jure Episcopi ordinario *(S. Alph.,* l. IV, n. 159; l. III, n. 1033).

696. **Caritas.** Hoc nomine intelligitur caritas erga nos et proximum, id est gravis occupatio quæ sine fratris scandalo aut gravi nostro aliorumve detrimento omitti nequit: præceptum enim naturale caritatis prævalet legi ecclesiasticæ.

Resolve: 1) Excusantur ab Officio qui occupantur tota die in sedandis jurgiis, aut assistendis pluribus infirmis. Confessarii, qui per totam diem Confessiones excipiunt, quas non possunt

ad aliud tempus protrahere. Item concionatores, si indigeant studio indulgere per totam fere diem, et nequeant omittere concionem sine gravi et publica admiratione (quod tamen non est facile supponendum).

2) Non excusantur qui studio vacant: secus actum esset de Officio; et contraria propositio ab Alexandro VII damnata est. Excipe causam extraordinariam et gravem ex Suaresio, ut est examinis faciendi extemplo, vel publice legendi causa.

3) Qui prævidet occupationem sibi in die obventuram, quæ stare nequeat cum recitatione, tenetur Officium (si jam incœperit obligatio) anticipare; nam obligatio jam urget. Accipe tamen, si id fieri possit sine magna difficultate; neque enim dixeris ipsum teneri surgere media nocte pro tali recitatione.

4) Nemo tenetur prævenire illius præcepti implementum, quod nondum existit. Sic valde probabile apparet cum Elbel, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, non teneatur die antecedenti id agere; quia præcepti obligatio nondum incœpit; quod autem pridie recitari possit, privilegium est, quo nemo ligatur *(S. Alph.,* l. IV, n. 156).

697. **Impotentia**. Nempe excusat ab Horis impossibilitas non tantum physica, sed etiam moralis, quæ consistit in gravi difficultate; nam Ecclesia non obligat cum gravi incommodo.

Resolve: 1) Excusatur qui caret Breviario, v. g. quia iter suscipiendo inculpabiliter oblitus est, nec apud alios illud invenire potest. An autem teneatur recitare quod memoriæ retinet, en regula: si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem ad recitationem obligaris, quia talis modica pars seorsim sumpta non censetur æstimabilis ad finem intentum.

2) Excusatur qui oculorum morbo laborat, vel alia gravi infirmitate. Item qui recitare nequit absque gravi ejusdem periculo, v. g. si quis prudenter timeat sibi inde obventuram notabilem capitis gravedinem, aut virium lassitudinem. Idque probabiliter docent, etiamsi infirmus per magnam diei partem legeret libros ad solandum animum; nam Officii recitatio attentionem requirit, cui major inhæret difficultas.

3) Excusantur convalescentes saltem per aliquot dies ad judicium viri prudentis, donec viribus reficiantur; et quamvis interim Missam valeant celebrare; quia Missa non ita aggravare solet. In dubio an infirmitas sit talis, ut excuset a recitatione, poterit quilibet acquiescere judicio medici, superioris aut

viri prudentis; et regulariter favorabilem partem amplecti, cum possideat jus naturale de propria conservatione (1).

4) Liberatur vel in toto vel in parte ab Officio, qui sibi prudenter timet obventurum esse grave corporis vel honoris detrimentum, uti si quis inter hæreticos, vel infideles degens ob Officii recitationem persecutiones graves pertimesceret.

5) Qui solus non valeat recitare, tenetur si commode potest socium adhibere; nam tunc non proprie adesset impotentia. Non tamen tenetur socium stipendio soluto devincere; nam medium esset extraordinarium. Cæterum si prompte non occurrat socius tecum gratis recitaturus, non teneris cum anxietate et sollicitudine illum quærere (*S. Alph.*, l. IV, n. 158).

CAPUT SECUNDUM

De Adoratione et Voto.

698. **Adoratio.** Adoratio est actus, quo quis propriam submissionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiæ.

Divisio: 1) Adoratio alia est *civilis* seu *politica;* alia *sacra* seu *religiosa:* illa exhibetur supremis principibus propter excellentiam status quam præ aliis habent; hoc sensu Nathan adoravit David regem, et sic Cardinales adorant Papam vix electum. Ista alicui exhibetur ob ejus sacram et supernaturalem excellentiam; et talis est adoratio quæ exhibetur Deo, B. Virgini et Sanctis. Cæterum ut omnis tolleretur æquivocatio, usus invaluit, ut solus cultus Deo debitus, dicatur *adoratio;* cultus vero quæ B. Virgini et Sanctis tribuitur, *veneratio* vocetur. Clarius cultus sacer distingui cœpit in *latriam,* in *hyperduliam* (id est super duliam), et in *duliam;* primus Deo; alter Virgini matri; tertius Sanctis tribuitur.

2) Alia est *absoluta* seu immediata; alia *relativa* seu mediata. *Absoluta,* qua quis in se ipso adoratur, uti Ss. Eucharistia. *Relativa* qua quis adoratur in alia re quæ proxime ad ipsum pertinet, sive pars illius fuerit, ut ejus ossa; sive ipsius tactu fuerit sanctificata, ut illius vestis; sive eum repræsentet, ut ejus imago.

(1) Hisce præmissis adhuc dubio perseverante, non tenetur recitare, si dubium sit quod recitatio graviter sanitatem læderet; at tenetur si dubium tantum sit an indispositio pertingat ad excusandum, cum possideat præceptum. Hoc tamen currit si sit purum dubium, non vero si adsit probabile judicium de exemptione (*S. Alph.*, l. IV, n. 154).

Principia. Adoratio secundum se actum corporalem non importat; nam Angeli qui incorporei sunt, adorant Deum: item et nos sola mente illum adorare possumus. Attamen id pro hominibus non sufficit; quia cum ex anima et corpore simus compositi, exhibere debemus Deo submissionem tum mentis per actus internos, tum corporis per actus externos, ut ita totum nostrum esse illi submittamus *(D. Thomas,* 2, 2, q. 84).

699. *Cultus Sanctorum* legitimus est: S. Scriptura commendat, pia antiquitas frequentavit et ipsa ratio exposcit; si enim honorantur civili cultu qui de republica benemerentur, cur non erunt honorandi Sancti cum Christo regnantes, amici Dei, virtute potentes? Cultus autem Sanctorum eo tendit, tum ut eximia Dei opera in illis celebremus, tum ut illorum patrocinium invocemus, tum ut eorum exemplo ad virtutem accendamur. *Perrone.*

Doctrina Synodi Pistoriensis generatim reprobans omnem spceialem cultum, quem alicui imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, damnatur sub n. 70 ut temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum illi providentiæ ordini injuriosa, quo ex d. Augustino *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult* (v. Scavini, l. II, nn. 165 et seqq. *de cultu Sanctorum, de Reliquiis et sacris imaginibus.* Liberatore, *Spicilegio,* l. I).

Licet privato sacras Reliquias si parvæ sint, domi retinere in decenti loco, easque cum veneratione ad collum deferre (1). Sanctorum Reliquiæ quando exponuntur, ultra lampadem, si jam adsit, debent continuo (non tamen nocte) ardere super altare duo saltem lumina ex decreto generali S. C. approbato a Leone XII anno 1826 (2). Reliquia Ss. Crucis non debet promiscue reponi cum aliis Sanctorum reliquiis: sed in theca separata est collocanda. In omnibus ecclesiis licitum est eas exponere, modo recognitas ab Episcopo, et sigillo integro. Non sunt autem tangendæ tanto minus exponendæ a laico; nec sub illis ponenda est palla *(animetta).*

Necesse non est ut Sanctorum imagines, quæ in solemnitate exponi solent in altari *(busti)* sacras includant Reliquias, ut incensata cruce et illæ incensentur. — Ecclesiarum fenestras non licet ornare imaginibus in vetro depictis virorum cum fama sanctitatis mortuo-

(1) Dixi si parvæ sint, id est minime *insignes.* Ex S. R. C. reliquia insignis est caput, brachium, crus, humerus, aut illa pars in qua passus est martyr, modo sit integra, neque exigua et ab Ordinario approbata. Hinc non habetur ut insignis reliquia dens, digitus, auricula, etc. etsi in iis passus sit martyr; habetur autem ut insignis os fœmoris, manus, pes, maxilla et similia, si notabilia sint, et in illis martyr passus sit. V. *Epitome ex Decretis S. Rituum C. selecta in ordine alphabetico, Monteregali edita* 1863; opus absolutissimum.

(2) Reliquiæ Sanctorum in Ecclesia custodiantur in armariolis in dextero vel sinistro majoris Altaris latere, aut in Sacrario in eum usum positis decenterque ornatis, necnon sera et clavi munitis cum epigraphe: *Reliquiæ Sanctorum.*

Optandum ut in omni ecclesia ubi hæc sacra pignora existunt, ara extruatur Sanctis reliquiis dicata. Verum ut publicæ venerationi Reliquiæ exponantur, oportet ut sint cum sigillo episcopali obsignatæ et suo loculo firmiter inclusæ. Quod si vel sigillum non sit intactum vel cordula rupta; et aliunde probari non possit illarum authenticitas, in loco remoto ponantur cum inscriptione *Ss. Reliquiæ dubiæ;* nec amplius exponantur.

rum, si inter sanctos vel beatos non sint adscripti, et dipingantur uti principales. — Imagines Beatorum pingi ornarique possunt laureolis, radiis et splendoribus; non tamen diademate. *S. Rituum C.*

700. Cultus Sanctorum alius est *publicus* qui nomine Ecclesiæ eis exhibetur; alius *privatus* qui ex privata tantum devotione procedit, etsi fiat coram aliis. Cultus publicus illis exhibetur qui in Album Sanctorum vel Beatorum a Papa adnumerati sunt. Aliis non potest præstari nisi cultus privatus; eorum ideo reliquias privatim asservare, easque osculari licet, etc.; est enim privata virtutis honoratio. Tres autem sunt actus præcipui, qui exhiberi prohibentur nondum canonizatis aut beatificatis: 1) *Imaginum* in altari sive privato sive publico retentio, earumque pictura cum laureolis, radiis aut splendoribus; retentio quippe in altari venerationem, additamentum vero radiorum et similium æternam significant felicitatem — 2) *Lampadarum* incensio, et *votivarum tabellarum* suspensio, quæ tamen tabulæ in loco secreto, etiam in sacrario, conservari possunt; ne memoria intereat gratiarum; sed conservatio fiat modo secreto a quocunque cultu remoto — 3) *Librorum impressio* qui narrant virtutes, miracula, etc.; id tamen non prohibetur absolute: licet enim libros edere hac de re ut passim fit, sub approbatione tamen Ordinarii, modo omnia veritati et pietati consentanea sint, uti vult Tridentinum sess. XXV, et modo semper ponatur protestatio ab Urbano VIII præscripta, nempe quod auctor per id non vult vel cultum aut venerationem aliquam ulli irrogare, vel famam et opinionem sanctitatis inducere seu augere. Sed hæc omnia ita lectoribus proponuntur licet ab Ordinario revisa ut a sola suorum auctorum fide pondus obtineant (v. Benedictus XIV, *De Canoniz. Ss.*, l. II, c. 11, ubi hæc omnia erudite more suo). Et ideo non licet Orationes, Novendialia et alia similia publicare in honorem istorum; esset enim publicum cultum inducere *(Civ. catt.*, ser. 10ª, t. VIII, pag. 609).

701. **Votum.** *Votum* indicat in sensu lato tum *desiderium,* quo sensu dicitur Baptismum in voto; tum *suffragium,* quod tribuitur in electionibus; tum *propositum,* quod est simplex voluntas aliquid faciendi. Hic autem nomine voti intelligimus *promissionem deliberatam Deo factam de bono meliori, et possibili* (D. Thomas., 2, 2, *q.* 88).

Votum est actus latriæ soli Deo debitus, quare dum vovemus Sanctis, intelligimus nos voveri Deo in honorem simul Sanctorum; sicut ædificamus templa in ipsorum honorem *(S. Alph.,* l. III, n. 194) (1).

Fideles monendi sunt, ut matura utantur deliberatione confessariique judicium semper expostulent antequam voveant. Tot

(1) « Vulgus (ait s. Alphonsus, *Praxis Conf.*, c. II, n. 25) sæpe confundit desideria aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? Siquidem rudes sic interrogati facile negant. Satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse an non, si postea non satisfecisset. » In dubio nemo ligandus. De modo votum emittendi v. *Scavini*, l. II, n. 216.

emittuntur vota, ait s. Alphonsus, et per plures annos non adimplentur (nam facile est vovere, difficile vota reddere): et ita plura gravia peccata patrantur. Cum Deo aliquid offerre vultis, non emittite votum; sed sine obligatione, propositum. Confessarii vero hanc regulam generatim teneant, ut facilius permittant vota ad tempus, jejunium ad diem, castitatem ad annum, vel de uno ad aliud festum, etc. (S. Alph., *Institut. catechis.;* Scavini, l. II, n. 214).

702. Certum est opus factum ex voto, etsi jam præceptum, melius esse opere, quod fit sine voto; tum quia quod fit ex voto procedit e virtute præstantiori, nempe Religione; tum quia sic magis Deo nos submittimus; tum quia operis bonitati superaddit bonitatem voti. *Thomas,* 2, 2, *q.* 88, *a.* 6 *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 178 et 210).

703. **Voti divisio.** Votum dividitur:

1) In *personale, reale* et *mixtum.* Personale, quo promittitur actio propria ipsius voventis, ut jejunium. Reale, quo res a persona separabilis promittitur, ut eleemosyna. Mixtum quo et actio personæ et res aliqua simul promittitur, ut peregrinatio cum calicis dono.

2) In *temporaneum* et *perpetuum,* prout limitatur ad tempus, vel votum perdurat per totam vitam voventis. Item in *conditionatum* et *absolutum,* prout nempe habet adjunctam aliquam conditionem seu incertum et futurum eventum ut obtineat, vel non. Qui eventus si sit aliquid quod vovens cavere vult, et si ab illo non caveat, aliquid pœnæ nomine promittat, *votum pœnale* dici solet, ut si dicas: *voveo jejunare, si iterum lusero* (1).

3) In *explicitum* et *implicitum.* Prius quod propriis verbis profertur; v. g. *voveo,* ut ordinarie fit. Posterius quando quis advertenter aliquid eligit cui votum est adnexum. Tale est votum castitatis, quod emittitur ab eo qui subdiaconatum suscipit.

4) In *solemne* vel *simplex.* Solemne consistit in perfecta donatione et traditione dominii sui ipsius in manus Dei, mediante legitimo superiore qui vicem Dei gerit et acceptat; solemnitas autem est ex institutione Ecclesiæ. Simplex vero quod ita plenam atque perfectam traditionem non continet, sive illud privatim, sive etiam publice emittatur, ut in Institutis quæ lato

(1) Si quis voveat Religionem ingredi si iterum in tale peccatum lapsus fuerit, non ad patratum crimen puniendum, sed ad futurum vitandum, votum pœnale non intelligitur; quia non pœnam, sed medicinam vovet. *Sanchez.*

sensu religiosa appellantur. D. Thomas, 2, 2, q. 88, a. 7 *(S. Alph.,* l. VI, n. 1024; l. III, n. 195).

704. **Principia.** Ad voti validitatem requiritur:

1) *Deliberata voluntas* votum emittendi; nemo enim præsumitur obligationem adeo gravem ex genere suo imponere sibi velle, nisi eam plene cognoverit. Hinc non valet votum cum advertentia semiplena, v, g. ex contracta loquendi consuetudine, lingua mentem præveniente emissum. Neque votum emissum in ebrietate, etiam ante prævisa; quia non est volitum in se ipsum et directe *(S. Alph.,* l. III, nn. 196, 211).

2) *Materia apta.* Quæ ideo debet esse possibilis, bona, imo de bono meliori. *Possibilis;* nam ad impossibilia nulla obligatio. *Bona,* ideo non indifferens, qua Deus non honoratur; non mala qua Deus offenditur. *De bono meliori,* quia promissio quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit. Bonum autem *melius* non solum in se, sed etiam relative ad circumstantias intelligitur. Ita etsi per se non valeat votum matrimonii, cum præstantior sit cœlibatus; attamen potest intervenire peculiaris circumstantia, quæ relate ad personam determinatam reddat matrimonium melius quam continentiam, v. g. ad scandalum aut honorem honestæ puellæ reparandum; vel ad bonum publicum, uti si interest reipublicæ quod princeps nubat ad successorem habendum.

Item est, si quis voveat nubere ob expertam suam fragilitatem (supposito quod nolit uti aliis remediis), ut longe probabilius docent. Quia in hoc casu matrimonium est majus bonum respective; cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui remedia meliora suscipere nolunt, matrimonium a Deo concessum sit, juxta illud Apostoli I Corinth. VII: *Melius est... nubere, quam uri* (S. Alph., *l.* III, *n.* 289; Scavini, *l.* II, *n.* 51).

Resolve: 1) Valet votum, etsi quis ignoret ejus naturam et effectum, si vult illud emittere prout in se est et fieri solet; nam satis æquivalenter intenditur.

2) Valet votum factum in devotionis fervore, in vehementi alicujus rei desiderio; quia satis adhuc est deliberatum. Idem dic de voto facto ex iracundia vel alia passione; vel ex animi levitate, modo cum deliberatione.

3) Verius valet votum si sit de vitando omnia mortalia; imo etiam omnia venialia ex perfecta advertentia, quia ordinario Dei auxilio id obtinere potest perfectionis amans (1). Votum item abstinendi

(1) Non vero si agatur de venialibus cum imperfecta deliberatione; et huc spectat illud Tridentini sess. VI, c. 23: *Nemo potest in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia.* Hinc illud: *In multis offendimus omnes* (Jacobi III). *Septies enim cadet justus* (Prov. XXII).

a venialibus absolute in aliqua materia determinata communiter valet, maxime quoad personas in solida virtute diu exercitatas, uti esset votum non mentiendi (*S. Alph.*, l. III, n. 203).

4) Nullum est votum de *non vovendo;* quia non est de bono meliori, nisi forte conjunctum sit cum conditione: *De consilio confessarii expostulando*, ad vitandum votum præceps. Si tamen hac conditione non obstante, adhuc deliberate quis successive voveat, valet votum, cum habeat objectum satis validum. Excipe nisi expresse antea declaraverit, non valere votum nisi de consilio confessarii; tunc si oblitus illius conditionis voveat, invalide vovet (*S. Alph.*, l. III, n. 210).

705. **Votum ex errore**. Error in voto versari potest: 1) Circa voti substantiam, ut si quis voveat dare Ecclesiæ calicem, quem credebat argenteum, et dein cognoscat esse aureum — 2) Circa causam voti finalem: ut si quis voveat eleemosynam Titio pauperi eo quod sibi sit consanguineus, cum non sit — 3) Circa circumstantias, quæ substantiam voti attingunt, v. g. si quis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam putans illam non distare, nisi triginta leucarum itinere, cum distet tercentum. — In hisce casibus votum emissum nullum est; quia voluntas voventis, quæ est principium obligationis, ferri non potest in incognitum. Quod valet etsi error sit concomitans, si nempe errore cognito, tu adhuc vovisses. Imo etiamsi error sit crassus, quia ad votum requiritur perfecta cognitio.

Si vero error versetur circa circumstantias voti accidentales et causas tantum impulsivas quæ non sint magni momenti, ut si quis voveat dare eleemosynam Titio pauperi, quem putabat magis probum, votum tenet; quia id non habet rationem causæ finalis (*S. Alph.*, l. III, n. 198).

706. **Metus quoad votum**. Metus levis probabilius votum non invalidat; nam efficaciter in illud non influit. Item non invalidat, si metus sit gravis, sed juste incussus; tunc vovens non esset rationabiliter invitus. Item si metus gravis non sit ad extorquendum votum incussus; uti si quis timens latronis minas mortem minantis, votum Deo faciat cum sufficienti advertentia, ut liberetur. Item valide vovet qui ad evitandam mortem ex morbo, naufragio, peste imminente, votum deliberate emittit: tunc voluntas libere illud eligit uti medium ad periculum superandum.

Tota quæstio est de metu gravi ex causa extrinseca, injusta et libera, ut si quis gravibus minis compellatur ad injustum votum emittendum. Alii stant pro voti valore; quia est adhuc satis voluntarium; alii certant probabilius pro illius nullitate,

cum tota ratio voti in omnimoda libertate sita sit. Cæterum certum est, vota solemnia per metum gravem injuste incussum esse invalida jure saltem positivo ecclesiastico; cum ista indigeant maxima libertate *(S. Alph.,* l. III, n. 197).

707. **Votum partim possibile, partim impossibile.** Ante omnia indaganda est voventis intentio, quæ est anima voti; si de hac non constet, en regulæ:

1) Si partes non conficiant unum objectum, ita ut singulæ divisim consistere possint, vovens tenetur ad partem possibilem; et valet illud: *Utile non debet per inutile vitiari.* Hinc vovens jejunare per mensem, si nequit toto mense, tenetur jejunare diebus quibus potest.

2) Quando res promissæ copulantur per modum unius, nulla est obligatio; nam tunc intentio voventis non est nisi de toto. Hinc qui vovens ædificare ecclesiam, si habeat pecuniam tantum pro fundamentis, ad hæc ponenda non tenetur.

3) Videndum quid in voto sit principale, ut habeatur ratio illius regulæ: *Ruente principali, ruit et accessorium,* non e contrario. Hinc qui vovit se peregrinaturum nudis pedibus, si postea non possit hoc modo peregrinari, quia indecens vel impossibile, ad peregrinationem tenetur calceatus: nam peregrinatio censetur principaliter promissa. At si nequeat peregrinationem agere, non tenetur tali die nudis pedibus stare; quia hoc accessorium est *(S. Alph.,* l. III, n. 202).

708. **Finis et conditio prava in vovente.** 1) Si opus in se bonum dirigatur per votum ad malum finem, v. g. si ideo voveas jejunium, ut plausum captes, votum est invalidum; quia sumitur uti medium ad malum. Item est si finis sit *indifferens,* ut si quis voveat jejunium, unice ut parcat sumptibus.

2) Si vero non jam opus voto promissum, sed vovendi actus, seu modus tantummodo dirigatur ad finem pravum, ut si quis ex corde jejunium voveat; sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur, cum substantiam voti non inficiat, illud validum est. Voventem pœniteat de modo, et substantiam retineat.

3) Valet item votum, si opus pravum ponatur ut simplex conditio, v. g. si quis voveat jejunium, si inimicum occidet, si furtum faciat, si ex duello evaserit salvus. Quia impleta conditione posita, honestum est votum implere; commune est *(S. Alphonsus,* l. III, n. 206).

ART. 1. — De Voti obligatione.

709. **Obligatio voti.** Votum obligat sub peccato; legitur enim Eccl. v: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Hinc d. Thomas: *Hæreticum est asserere votum non obligare* (Quodl. 3, a. 2) (1).

710. *Principia.* I. Votum generatim obligat juxta voventis intentionem; habetur enim instar legis, quam quis sibi imponit. Ideo ad prudentiam confessarii pertinet monere suos pœnitentes qui vovere desiderant, ut etsi gravis sit materia, levem tantummodo assumant voti obligationem, maxime si non sint solidæ virtutis, ne si forte illud non compleant, Deum gravissime offendant. *Ballerini.*

II. Si quis rem gravem voveat, quin tamen intentioni suæ limites expresse apponat, censetur se obligare secundum rei naturam et materiæ capacitatem. Gravis igitur censetur materia, si notabiliter ad Dei cultum conducat, vel si ab Ecclesia præciperetur, graviter obligaret; secus levis existimatur. Sic materia reputatur levis ex Benedicto XIV, si æquivaleat quinque *Pater, Ave* et *Gloria,* dummodo non sit gravis ratione continuationis vel aliarum circumstantiarum, uti si quis voveret quinque *Ave* quotidie per mensem uti onus illius mensis.

III. Nemo potest se obligare per votum ad rem ex omni parte levem sub gravi; quia materia undequaque levis est capax levis tantum obligationis *(S. Alph.,* l. III, nn. 196, 211).

IV. Diversæ materiæ leves in votis possunt secum coalescere et grave peccatum constituere, si promissæ fuerint per modum unius. Ut autem id dignoscatur, interroganda est ipsa voventis intentio, quæ est suprema lex voti. In dubio, resolutio fit juxta communem sensum Doctorum, qui tenent diversas materias esse per modum unius et coalescere in votis realibus, adeo ut tenearis supplere omissa; non vero in personalibus, unde non teneris amplius ad votum pro diebus transactis. Hinc si vovisti dare eleemosynam singulis sabbatis et item peregrinari ad Sanctuarium, teneris pro omissis eleemosynis; non tamen pro omissis peregrinationibus supplere *(S. Alph.,* l. III, n. 220).

V. Si dubium sit, an votum fuerit emissum, nulla obligatio

(1) Obligatio voti causatur a fidelitate in Deum: ideo major est quam obligatio juramenti, quæ est ex reverentia Dei. Idem Angelicus, 2, 2, q. 89, a. 8.

est. Item si dubites an in voto comprehendatur aliquid, non teneris ad partem de qua dubitas; quisque enim censetur se minus quo potest velle obligare. Si vero dubites an votum certe emissum fuerit impletum, teneris ad votum; quia ipse est in possessione. Item est si dubitetur de advertentia sufficienti (nisi agatur de puero ante septennium), vel an adfuerit animus se obligandi; nam omnis actus præsumitur factus tempore habili et rite *(S. Alph.*, l. III, n. 196; *Scavini*, l. II, n. 56).

VI. Vi voti nemo potest voto alieno ligari, nempe quatenus votum est *personale* illius qui vovit; nam nemo actionem alienam promittere potest. Hinc parentes qui filios suos cuipiam religioni voto dedicant, non tenentur nisi ad illam filiis suis suadendam. Hinc si communitas aliquid vovit, v. g. jejunare, vel aliquod festum celebrare ob liberationem pestis, ad id tenentur voventes, non alii ex S. Rituum Congr. 1 febr. 1744. Si tamen votum sit *reale*, ut si quis voveat dare ecclesiæ centum libellas, hæredes tenentur sub gravi solvere, non quidem vi voti, sed ex justitia. Quia obligatio realis afficit rem ad quoscunque ea pervenerit; et solvenda sunt ante legata, nam fortius ligant: non tamen ante debita justitiæ *(S. Alph.*, l. III, n. 213).

711. *Resolve:* 1) Verba obligationis explicanda sunt juxta communem usum. Unde qui vovit calicem, in dubio sufficit si donet calicem argenteum, non aureum: quia sic calix accipitur in usu vulgari. Imo apud montanos neque totus argenteus intelligitur; cum illorum calices sint ex inferiori materia. In dubiis hic benigniora semper præferenda sunt, et quod minimum sequendum erit; nam *gratuito promissa amare exigenda non sunt* (S. Alph., *l.* III, *n.* 219).

2) Votum disjunctivum nullum est, si unum de duobus sit impossibile, vel inutile aut vanum, ut si voveas aut orare, aut ludere; nam ex una parte promissio fit tantum sub disjunctione, ex alia rem ineptam eligere est peccaminosum. Si vero utraque pars est materia apta, votum validum est; cum satis res designatæ sint. Id unum remanet, ut electio fiat a vovente; facta electione, rem electam præstare debes, etsi postea altera pars evaserit impossibilis.

3) Qui vovit dare unum aureum si omittat festo die audire Sacrum, si non audiat ob infirmitatem, non tenetur dare, quia illud votum censetur pœnale, nec datur pœna sine culpa. Tenetur vero qui promisit sub voto dare aureum singulis vicibus quibus juraverit, etsi inadvertenter juret; quia iste censetur vovisse non mere in pœnam, sed etiam in sui medicinam, ut eradicet malam consuetudinem.

4) Qui vovit jejunium per mensem, non tenetur jejunare Dominicis diebus; censetur enim voluisse se obligare ad modum Quadragesimæ. Item qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem dominicam incidat, sabbato juxta morem Ecclesiæ jejunare potest. Item qui vovit jejunare die veneris, probabilius non tenetur si ea die venerit Nativitas Domini (aliter esset si id prævideret, quo sensu accipitur Decretum Honorii III, qui etiam tunc religiosos obligat); in tanta lætitia non præsumitur vovens jejunare voluisse.

5) Qui vovit per mensem audire Sacrum, non tenetur duo audire diebus festis; nam intentio præsumitur tantum de non transigendo die sine Missa. Qui vovit Religionem ingredi, satisfacit voto, si minus rigidam ingrediatur; quia substantia jam impletur. Imo non tenetur eam quærere extra propriam regionem vel provinciam, si ibi non admittatur. Imo si est fœmina, non tenetur quærere eam extra patriam si ibi adest; quia aliter agere habetur pro illa nimis grave.

6) Qui vovit aliquid non determinando quantitatem, v. g. eleemosynam, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius illudere Deo. Qui vovit unum Rosarium, satisfacit tertiam partem recitando; quia sic communiter accipitur. Potest etiam alternatim recitare; nam illud censetur obligare ad modum divini Officii *(S. Alph.,* l. III, nn. 224 et seqq.).

712. **Quando votum est implendum.** Si tempus sit præfixum, patet tempore statuto implendum esse, ut si voveris in tali vigilia jejunare: nam ea transacta, votum amplius impleri nequit. Item est si votum sit conditionatum; verificata conditione statim obligat. Si vero tempus determinatum non fuit, certe dilatio notabilis est peccatum grave; clara enim sunt verba Eccl. V et Deut. XXIII: *Si quid vovisti Domino Deo, non tardabis reddere; quia requiret Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Porro si votum respiciat Dei obsequium temporaneum, v. g. tot recitandi Rosaria, tot peragendi jejunia, verius dicendum peccare mortaliter qui sine gravi causa notabiliter votum differt implere, ad duos vel tres annos. Nam quisque censetur sic obligationem suam accipere, ut eam non nimium differat; et procul dubio tanto tempore expectare ad dandum Deo quod promissum est, est ipsum negligere. Si vero votum respiciat obsequium Deo perpetuo reddendum, v. g. ingressum in religionem, certum est peccare lethaliter qui illud diu differt (in plurium sensu ad sex menses) si adest opportunitas adimplendi, nec causa rationabilis excuset *(S. Alph.,* l. III, n. 220).

713. Quæres: *An violatio voti sit sacrilegium?* Sunt qui universim negant docentes voti violationem esse tantum peccatum perfidiæ seu contra fidelitatem Deo debitam; nisi agatur de violatione voti castitatis emissi in sacra ordinatione vel professione religiosa; nam tunc ex publico Ecclesiæ jure persona cultui divino dicatur. Alii vero generatim contendunt omnium votorum violationem sacrilegium esse, quia per quodcunque votum res fit sacra Deo; at in quo sacrilegium consistit, nisi in eo quod quis irreverenter se habeat ad rem sacram?

Quidquid sit, qui violat votum etiam simplex castitatis sive interius sive exterius, probabilius reus fit gravissimo sacrilegio;

quia quilibet vovens castitatem corpus et animam consecrat Deo, atque ideo specialem contrahit sanctitatem, cujus directa violatio sacrilegium est. Et talis est fidelium sensus *(S. Alph.,* l. III, n. 47).

Art. 2. — De Voti extinctione.

714. Voti obligatio cessat ob rationes tum *intrinsecas,* nempe ob mutationem causæ vel materiæ; tum *extrinsecas,* ob dispensationem, commutationem, irritationem.

715. **Causæ mutatio.** Voti causa alia est finalis, alia impulsiva. *Finalis* ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum. *Impulsiva,* allicit tantum ad vovendum libentius, sed ex se sola ad votum non determinat. Uti si quis voveat peregrinationem Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem quem putat esse Romæ.

Porro cessante causa tantum impulsiva, votum non extinguitur; cum illa non influat in ejus substantiam. At extinguitur cessante causa finali; nam cessat omnis ratio voti.

716. **Materiæ mutatio.** Superveniente circumstantia non prævisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit substantialiter diversa quam promissa. Tunc intentio se obligandi ordinarie loquendo censetur deficere: ut si quis voverit ducere puellam quæ est dives, sana, virgo, bonæ famæ; sed postea illa incidit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem. Et d. Thomas ait: *Id liberat ab obligatione voti aut juramenti quod si ab initio accidisset aut notum fuisset, hæc fieri impediret* (in 4 dist. 38, q. 1). At in dubio an in tali circumstantia votum fuerit emissum, standum est pro ejus valore cum possideat; ideo ad superiorem pro relaxatione recurrendum *(S. Alph.,* l. III, n. 226).

Dictum est *ordinarie loquendo;* nam excipienda sunt vota solemnia valide emissa in professione religiosa, vel susceptione Ordinum, quæ semper valida sunt quacunque notabili circumstantia interveniente. Quia religiosus et ecclesiasticus in hoc casu non consideratur ut persona particularis, cui melius sit tunc non esse voto obstrictam; sed ut pars communitatis Ecclesiæ, cui præstat postponere suum bonum privatum bono communi; nam alias innumera inconvenientia, scandala ac

perturbationes cum ingenti damno christianæ reipublicæ sequerentur (1).

717. **Voti dispensatio.** Est absoluta voti condonatio facta nomine Dei a legitimo superiore. Potestatem dispensandi Ecclesiæ inesse constat tum ex facto, cum semper ea in usu sit; tum ex jure, cum id expediat fidelium bono. Generalia enim sunt illa Christi verba: *Quodcunque solveritis* etc. *(D. Thomas,* 2, 2, q. 88, a. 12).

Soli Prælati quibus jurisdictio in foro externo data est, facultate propria et ordinaria (quam aliis ecclesiasticis delegare valent) dispensare possunt; quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc 1) Solus Papa dispensat ab omnibus votis pro tota Ecclesia, organo S. Pœnitentiariæ si vota sint occulta; si publica, organo Datariæ — 2) Episcopi (non autem eorum Vicarii generales sine delegatione, quia veri prælati non sunt). Et Vicarii capitulares et Prælati regulares pro suis subditis.

Attamen exceptis votis Papæ reservatis, quæ tamen adhuc dispensare possunt si urgeat et in mora sit periculum gravis damni etiam temporalis, scandali, rixarum, gravis infamiæ mulieris, etc. *(S. Alph.,* l. III, nn. 256 et 258).

718. Ad validitatem dispensationis requiritur justa causa, cum Ecclesia non dispenset in lege sua, sed Dei (2). Justa causa esset si quis vovisset dum erat impuber ob non adeo maturam deliberationem. Item si quis vovisset ex ira, aut tristitiæ impulsu, aut subito timore naufragii, incendii, mortis vel alterius mali. Item justa causa esset notabilis difficultas in voti executione (etsi antea prævisa), nempe si voto obstrictus esset in periculo gravi votum violandi, aut si magnis scrupulis vexaretur. Item bonum commune Ecclesiæ, reipublicæ, familiæ, et major etiam profectus

(1) Idem dicendum de votis castitatis simplicibus, quæ remanent firma, etsi quis stimulis carnis insolitis et impræevisis agitetur cum evidenti periculo incontinentiæ. Alioquin vix ullum votum hujus generis firmum esset, cum vix inveniatur qui hac de re graves tentationes non patiatur.

Hinc Tridentinum damnat eos, qui dicunt, posse *omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari* (sess. XXIV, can. 9). Sanchez, Suarez, Salmanticenses, Layman aliique plures ideo recte dicunt contrariam sententiam non esse practice probabilem. Cæterum peti potest dispensatio *(S. Alph.,* l. IV, n. 50).

(2) Nempe declarat quod Deo sit magis acceptum; seu Ecclesia (ut ait d. Thomas, 2, 2, q. 88, a. 10) determinat in tali casu hoc vel illud non esse amplius congruam materiam voti, idque potestate a Deo accepta; et ideo dicitur *in nomine Dei* dispensari.

voventis. Cum autem omne factum præsumatur recte factum, in dubio an fuerit sufficiens dispensationis causa, standum pro valore dispensationis *(S. Alph.,* l. III, n. 254).

719. **Vota R. Pontifici reservata.** Præter solemnia, ex consuetudine ubique recepta, ac canonico Jure vota Papæ reservata sunt: 1) *Votum Religionem approbatam ingrediendi* — 2) *Votum perpetuæ castitatis* — 3) *Votum peregrinationis Hierosolymitanæ,* id est *ad Terram sanctam* — 4) *Votum peregrinationis ad Limina Apostolorum* — 5) *Votum peregrinationis ad S. Jacobum Compostellanum.* Quæ tamen reservatio, utpote odiosa, stricte est interpretanda: ideoque extendi non debet, nisi ad vota proprie dicta, absoluta, omnino libera, perfecta, determinata et quoad substantiam; ita ut si in hisce deficiant, quamvis valida, poterit Episcopus dispensare.

720. Dixi: I) *Vota proprie dicta;* ideo non esset reservatum votum suscipiendi Ordinem sacrum, quia tantum indirecte et per consequens respicit perpetuam castitatem. Vel votum emittendi votum reservatum, quia votum reservatum non esset adhuc emissum. Item est si votum reservatum non sit principaliter emissum in honorem Dei.

2) *Absoluta,* unde vota non sunt Pontifici reservata, si sint pœnalia vel conditionata, de futuro nempe eventu (et quidem probabilius etiam conditione jam impleta). Aliter esset si conditio sit de præterito aut de præsenti; tunc enim conditio non suspendit effectum. Vel si sit de futuro necessario, vel de futuro communi, v. g. *si vixero, si potero;* vel etiam si conditio non suspendit obligationem, sed tantum executionem, v. g. *voveo nunc, si vigesimum annum attigero, ingrediendi religionem.*

3) *Omnino libera,* unde vota non sunt reservata, si sint emissa etiam sub metu levi ab alio incusso; etsi probabilius hoc votum non sit invalidum.

4) *Perfecta,* ideo non essent reservata vota emissa sub levi tantum obligatione; vel si non sint completa in genere suo. Hinc votum castitatis si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum: quare non censentur Papæ reservata vota non nubendi, non petendi debitum conjugale, neque servandæ virginitatis, si intendatur tantum materialis conservatio illorum; secus vero si accipiatur pro abstinentia ab omni actu venereo.

5) *Determinata;* hinc non est reservatum votum disjunctivum. Item votum reservatum habetur uti reservatum tantum quoad *substantiam:* unde quamvis sint reservata vota, non tamen reservatæ sunt circumstantiæ ipsorum, ut peregrinandi Compostellam mendicando (illud *mendicando* potest ab Episcopo dispensari). Item si quis voveat ingressum in religionem arctiorem, potest Episcopus dispensare ut etiam benigniorem is ingrediatur. Ita communiter *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 258, 261).

721. **Vota in alterius utilitatem.** Si votum fuit emissum principaliter in utilitatem tertii, et iste tertius sit determinatus, v. g. talis pauper, talis Ecclesia, nullimode potest dispensari.

ubi semel a paupere illo vel rectore illius Ecclesiæ acceptatum sit. Tunc jus jam est acquisitum, quod citra injuriam sine consensu partis nequit amplius extingui (1).

Si vero votum gratuitum sit emissum principaliter in Dei honorem, tertius non acquireret verum jus ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quæ relaxari potest.

722. **Vota ad præcavendum.** Vota quæ emissa sunt ad peccatum præcavendum, ut si quis voveat non amplius accedere ad tabernam ubi peccare solet, non sunt dispensanda, nisi aliud substituatur quod æque a peccato refrænet.

723. **Voti commutatio.** *Est substitutio materiæ voti in aliam sub eadem obligatione* (2). Vovens non potest mutare votum suum in *minus;* quia neque in æquivalenti promissio servaretur: imo probabilius neque *in æquale;* quia res fuit promissa in specie. Si vero commutatio fiat in *melius* (voco autem melius quod est tale in ordine ad utilitatem spiritualem voventis, et Deo gratius) vovens poterit votum mutare; nam minus in majori eminenter continetur. Excipe vota reservata, nisi commutentur in alia item reservata *(S. Alph.,* l. III, n. 263).

724. *Principia.* I. Qui habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, potest etiam ea commutare (etiam extra Confessionem); qui enim potest quod est plus, potest etiam quod est minus. Non tamen potest dispensare qui tantum habet facultatem commutandi; quia minus non continet quod majus est. Item neque vota reservata commutat qui non habet facultatem vota ipsa reservata commutandi. Confessarii autem ad commutandum delegati non possunt vota commutare, nisi in ipso foro sacramentali.

II. Facultas commutandi non est accipienda mathematice; sed moraliter, ne anxietatibus fiat locus. Ideo sufficit major voventis propensio, aut minus periculum transgressionis. Confessarius interroget pœnitentem, quæ opera soleat exercere

(1) Multo minus potest dispensari (neque in vim Jubilæi) promissio mutua, ut evenit in votis et juramentis perseverantiæ, quæ fiunt ab aliquibus Congregationibus: nam illa assumunt rationem contractus, nempe Congregatio se obligat ad sustentandum subditum, et hic ad inserviendum; idque declaravit Benedictus XIV Bulla *Convocatis* 1748; quod confirmavit Bulla *Inter præteritos* 1749 *(S. Alph.,* l. III, n. 255).

(2) Ad rem d. Carolus: *Si quis sacerdos facultatem et auctoritatem acceperit eorum vota commutandi qui peccata confiteantur, in alia pietatis opera solum convertat, quæ vota superent, vel saltem cum ipsis adæquentur, Deoque magis grata videantur; insuper sedulo perpendat expensas, labores, et alia incommoda quæ perferre debuerint, ut conceptis votis plane satisfacerent* (Monit. 16).

præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio securior in omni votorum genere erit semper frequentia Sacramentorum *(S. Alph.,* l. III, n. 257; *Praxis Conf.).*

III. Voti commutatio in bonum notabiliter minus, si fiat sine causa , probabiliter ex d. Thoma contra alios, est non tantum illicita, sed etiam invalida; nam tunc proprie non esset commutare, sed notabiliter votum relaxare. Cæterum in dubio an causa fuerit sufficiens, docent posse voventem quiescere judicio commutantis (2, 2, *q.* 88, *a.* 12). Curandum, ut votum personale commutetur in personale; reale in reale; mixtum in mixtum; perpetuum in perpetuum, nisi aliter suadeant circumstantiæ.

IV. Facta commutatione, adhuc voventi liberum est ad primum votum redire, si commutatio contigerit in bonum æquale, ut commune est. Imo in sententia probabiliori potest vovens, saltem sine gravi culpa, ad primum votum regredi, tametsi commutatio facta fuerit in bonum melius; quia commutatio semper est in favorem voventis, qui potest juri suo renuntiare.

V. Commutatione facta, per se prius votum non reviviscit si novum postea præstari nequeat, licet culpa voventis: v. g. vovisti peregrinationem, quæ fuit commutata in jejunio sequenti die servando: si hoc violas, ad peregrinationem non teneris; obligatio enim semel extincta ex se non reviviscit (1).

VI. Quando datur facultas *commutandi dispensando,* commutatio est principalis, et dispensatio accessoria; quia tunc materia subrogata non potest exorbitanter minui. Sic si voto audiendi Missam substituis orationem mentalem dimidiæ horæ, habemus commutationem ordinariam et simplicem ; si vero huic voto substituis tertiam partem Rosarii, habebimus commutationem mixtam, seu commutationem una cum dispensatione. Si e contra facultas sit *dispensandi commutando,* tunc cum dispensatio sit principalis, largius remittitur de voto, et satis est ut aliquid tantum substituatur. Sic votum recitandi tertiam partem Rosarii tunc mutari poterit substituendo sep tem *Pater, Ave* et *Gloria,* vel aliud simile. *Episcopus Formisano.*

725. **Voti irritatio.** Est *ejusdem annullatio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in voti materiam.* Hoc jus

(1) Hoc tamen communiter explicant de commutatione facta a superiore; nam si commutatio facta fuerit auctoritate propria votum primum reviviscit, quia non habuit superioris sanctionem; sed evenit tantummodo per quandam epickjam *(S. Alphonsus,* l. III, n. 249).

in natura fundatum est ex Angelico (2, 2, *q.* 188, *a.* 8); nam est de jure naturæ, quod in superiore sit dominativa potestas, qui ideo valide irritat vota subditorum, licet prius ratificata.

Voti irritatio duplex est: una *directa*, quæ immediate et directe cadit in personam seu in voluntatem voventis; altera *indirecta*, quæ cadit tantum in voti materiam; et ideo nonnisi indirecte cadit in voventem, quatenus nempe per votum ipse impeditur ab adimplenda proprii officii obligatione. — Directe irrita nunquam reviviscunt, quia censentur facta sub implicita conditione: *Nisi superior contradixerit;* hinc contradicente superiore, nulla evadunt. Vota vero indirecte irrita, reviviscunt quando sine alterius præjudicio adimpleri possunt; unde tunc habetur potius voti suspensio (*S. Alphonsus*, l. III, n. 227).

726. **Principia.** Vota subditorum etiam sine causa valide irritari possunt; quia censentur semper emissa sub conditione consensus superioris; obedientia stat pro causa. Attamen ex sententia forte probabiliori, secluso scandalo aut contemptu, superior irritans sine causa peccat solum venialiter, etsi vota positive probaverit; quia semper verum est quod disponit de jure suo. Hæc tamen vota quoadusque irritentur, probabilius cum d. Thoma valida sunt in iis, quæ superiorum mandatis et jurisdictioni non præjudicant. Quia subditi non carent voluntate, sed eam tantum subjicere debent superiori, quando contradicit.

727. **Directa irritatio voti.** Omnis superior potestate dominativa præditus in voluntatem alterius potest directe vota irritare subditorum, ut est superior regularis vi voti obedientiæ.

Resolve: 1) Vota particularia Regularium possunt irritari a summo Pontifice, a superiorissa Monasterii, a superioribus domus vel Ordinis, emissa professione. Item ab Episcopo, si Ordines illi sint subjecti. Semper tamen voto excepto transeundi ad strictiorem religionem.

2) Si agatur de filiis qui adhuc impuberes voverunt, pater (et in ejus defectu avus paternus) potest directe vota omnia filiorum irritare sive personalia sive realia. In illa enim ætate deesse censetur perfecta deliberatio ad tantam obligationem; ideo lex prospexit, præbendo parentibus facultatem irritandi.

3) Quæ de patre dicta sunt respectu filii impuberis, eadem valent de tutore respectu minoris item impuberis; cum succedat in locum patris. Imo probabilius hæc potestas etiam matri inest saltem quoad vota personalia, licet patre existente; cum etiam matri filii teneantur obedire, et Angelicus indistincte parentibus

hanc facultatem faciat. Sed potest pater irritare vota filiorum contradicente matre; non mater, patre contradicente.

4) Probabilior sententia cum d. Thoma et d. Ambrosio tradit, maritum posse directe irritare omnia vota uxoris post matrimonium emissa: licet neque usui matrimonii, neque prolis educationi, neque domesticæ administrationi adversentur, et licet essent exequenda post ejus mortem; nam mulier est subjecta viro sicuti membrum capiti (*S. Alph.,* l. III, n. 234).

728. **Indirecta voti irritatio.** Quivis superior vel dominus etsi non gaudeat absoluta et dominativa potestate, potest irritare indirecte, seu suspendere vota suorum subditorum in iis, in quibus ejus potestas læditur; quia quisque jus habet, ne in suo dominio offendatur.

Resolve: 1) Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum (ut votum quotidie Missam audiendi), si id obsequium ipsi debitum revera impediat vel minuat.

2) Genitores possunt indirecte irritare *vota realia* filiorum qui jam facti puberes voverunt; quia in minori ætate filiifamilias bonorum suorum carent administratione, nisi agatur de peculio castrensi aut quasi-castrensi, vel de filio emancipato. At non possunt neque indirecte irritare *vota personalia,* v. g. castitatis, frequentiæ Sacramentorum (nisi domesticæ rerum procurationi graviter adversentur, uti esset votum peregrinationis vel diuturnæ absentiæ). Filii enim facti puberes propriæ saluti consulere valent, et quoad eam sunt sui juris, ut tradit d. Thomas, 2, 2, *q.* 88, *a.* 8.

3) Superior regularis potest tantum indirecte irritare vota personalia novitiorum, quæ observantiam regulæ impediunt. Unde eorum vota reviviscunt, si non profiteantur.

4) Maritus non potest quidem directe irritare vota uxoris emissa ante matrimonium, nam tunc non erat sub ejus potestate (quod valet etsi dubium sit, an vota ante vel postea fuerint emissa, quia tunc possessio mariti dubia est). Attamen potest illa irritare indirecte, si præjudicent ejus auctoritati aut domus administrationi. Item quamvis uxor utpote sub viri potestate, nequeat directe irritare illius vota; poterit tamen indirecte, casu quo adversentur usui matrimonii et internæ domus procurationi; cum hæc ad uxorem etiam spectent, uti esset votum magnæ abstinentiæ, diuturnæ absentiæ sine gravi causa (*S. Alph.,* l. III, n. 234).

729. *Resolutiones quoad nonnulla vota specialia.*

I. **Votum castitatis servandæ.** Qui cum tali voto matrimonium contrahit cum intentione illud consummandi, graviter peccat; quia votum infringit. Item est, etiam seclusa illa intentione, quia se periculo exponit vel votum vel jus alterius conjugis violandi.

Votum autem castitatis ab uno conjuge ante matrimonium emissum non potest ab Episcopo dispensari, si sit perpetuum, nisi in aliquo casu urgenti (1). Si vero illud fuerit emissum post matrimonii consummationem, potest ab Episcopo dispensari, quia non est omnimodæ castitatis, cum vovens teneatur reddere alteri parti petenti. Imo conjux quæ non vovit poterit votum irritare; cum ipsi onerosum sit, maxime si sit vir, qui voverit, quia valde gravosum est uxorem cogi semper ad petendum. Imo vovens adhuc potest petere, si altera pars sit in periculo incontinentiæ et ob verecundiam non petat; esset enim interpretative reddere; imo tunc deberet conjugale debitum petere. Verum talia vota docent communiter esse irritanda; at potius dixeris cum Salmanticensibus invalida utpote de materia inepta et exorbitante (v. d. Thomam, *Suppl.*, *q.* 54, *a.* 4).

Si vero votum perpetuum emissum sit a conjugibus mutuo consensu, communis est sententia, votum esse validum, et a neutro revocari posse; quia virtualiter uterque cessit juri suo; et a Pontifice tunc impetranda est dispensatio. Non desunt tamen qui volunt adhuc posse maritum irritare votum uxoris; cum hæc irritatio fundata sit in ipso jure, quo se vir nequit irrevocabiliter expoliare. Quia tamen hoc est contra communem sententiam, ideo illud sapientibus remitto (*S. Alph.*, l. III, nn. 236, 239 et 258).

II. **Votum non nubendi.** Qui cum tali voto conjugium contrahit, graviter peccat, ut patet. Contracto autem matrimonio et reddere et petere potest debitum, quia impossibilis evasit voti observatio; et ideo probabiliter sic vovens, mortuo primo conjuge, de novo contrahere potest.

In dubio, an quis voluerit perpetuo castitatem vovere, an tantum cœlibatum, nempe a nuptiis tantummodo abstinentiam, interrogandus est pœnitens, utrum intenderit tantum se ab oneribus matrimonii liberare, vel id fecerit unice amore puritatis. In primo casu Episcopi (et Regulares mendicantes ex suis privilegiis, sed pro foro interno) dispensare valent; in secundo solus Pontifex dispensat.

III. **Votum ingrediendi religionem.** Qui tale votum emisit peccat graviter matrimonium contrahendo ut manifestum est. Et ante matrimonii consummationem tenetur religionem ingredi; et graviter peccat sive petendo sive reddendo debitum, si non obtinuerit voti dispensationem; est enim in ejus potestate in primo bimestre abstinere ab usu matrimonii, et religionem ingredi (t. II, n. 1059). Sed consummato matrimonio potest petere et reddere debitum, quia executio voti facta est impossibilis et petitio non est contra votum, cum non voverit directe castitatem, sed religionem.

Imo etiam consummato matrimonio per se vovens tenetur religionem ingredi quoties illæso jure compartis id potest, ut si consentiat, si moriatur; nam obligatio semper subsistit. In praxi tamen magis ex-

(1) Et qui cum tali voto contraxit, cum dispensatur, solet addi clausula: *ut tali voto obstrictus maneat, conjuge defuncta.* Attamen contracto matrimonio, valde probabiliter docent cum s. Antonino generatim Episcopum posse dispensare, ad petendum debitum in voto emisso etiam ante matrimonium (*S. Alphonsus*, l. VI, nn. 987, 1126).

pedit petere voti dispensationem: dispensatio est petenda a Pontifice si agatur de religione Regularium; ab Episcopo si agatur de religiosis Congregationibus.

IV. **Votum suscipiendi Ordines.** Patet peccare graviter qui cum tali voto uxorem ducit, cum violet fidem Deo datam; nisi ab Episcopo dispensetur a voto. Inito tamen matrimonio, potest illud consummare; quia votum amplius adimplere nequit. *Gury.*

Casus 1. Veronica dolens animadvertit filiam suam ex pravo consortio cum Titio gravidam; ingens dedecus reformidans, vovit Deo quod si filia antequam pariat, moriatur, dabit Ecclesiæ 100 aureos. E contra filia vovet, quod si impediatur a contrahendo matrimonio cum amatore illo a suis parentibus, se nulli nupturam. *Quid?*

Casus 2. Geraldus libidinosus territus quadam concione ad meliorem frugem statuit se recipere; confitetur, exercitia peragit et perpetuam castitatem vovet, etsi sciat de sui confessarii consilio, statum conjugalem ipsi melius convenire. Sed postea cum ad pristinam vitam rediisset, statuit matrimonium inire, ratus votum emissum esse irritum; quia non erat judicio confessarii de bono meliori. *Quid?*

R. ad 1. Votum matris est invalidum et iniquum, quia impia mater optavit mortem propriæ filiæ et prolis in alveo ejus extinguendæ sine Baptismate; nec licet infamiæ liberationem medio scelerato quærere. Votum vero filiæ bonum est; non enim inficit materiam, quia ducere vitam cœlibem perfectius est quam nubere; non inficit finem, nam optare nuptias cum eo qui ejus pudicitiam violavit, a culpa vacat et est via tutissima ad consulendum propriæ famæ. *Comitolus.*

R. ad 2. Valet votum Geraldi, quia est simpliciter de meliori bono absolute loquendo et pro omnibus; licet ipsi per accidens matrimonium convenientius fuisset quam cœlibatus, et quamvis votum matrimonii utpote de bono relative meliori emittere potuisset. Nec obstat magna proclivitas ad luxuriam, quia aliis mediis reprimi potest; secus qui emisso voto talem proclivitatem experiretur, a voto liber evaderet quod est absurdum. Igitur si Geraldus vult matrimonium inire, dispensationem a voto obtineat. *Croix.*

CAPUT TERTIUM

De Juramento et Adjuratione.

730. **Juramentum**. Definiri solet: *Invocatio Dei tanquam primæ et infallibilis veritatis in testem alicujus rei.* Hæc potest etiam fieri implicite, si nempe juretur per creaturas, prout hæ referuntur ad Deum. Talis autem invocatio in eo sita est, quod jurans velit, quantum in se est, Deum id quod jurat attestari, non præcise per miraculum, quod est tentare Deum: sed quando et quomodo eidem placuerit, sive in hac sive in alia vita. Unde patet maximam juramenti efficaciam; adducitur enim ipse Deus, falli et fallere nescius, in testimonium (*S. Alph.*, l. III, n. 133).

Ex tradita definitione constat, quod non habetur juramentum

nisi duo interveniant, nempe et intentio saltem virtualis jurandi et actus, quo Deus expresse vel tacite in testem adducatur.

Hinc *resolve :* 1) Non vere juraret qui diceret: *Ita est per conscientiam meam, in conscientia, super conscientia mea, in rei veritate, in fide viri probi, vel sacerdotis;* nam hic Deus nec tacite, nec expresse in testem vocatur.

2) Neque dicere *juro ita esse;* quia nec explicite nec implicite divinum testimonium imploratur. Excipe nisi præcesserit interrogatio de religioso jurejurando emittendo: tunc per interpellationem præcedentem illud *juro* satis determinatur ad verum juramentum (1).

3) Neque jurare censebitur qui jurat per *creaturas,* si tales sint, ut in iis speciali modo non elucescant divina attributa, v. g. si quis dicat: *Juro per hanc herbam, per hunc equum, per hunc lapidem.* Si vero creaturæ sint nobiliores et tales, ut specialiter in iis divina elucescant attributa, verum erit juramentum ut si quis dicat: *Juro per animam meam, per cœlum, per terram, per templum, per sanctos, per crucem, per Sacramenta, per Evangelium, per fidem catholicam.* Ratio disparitatis: locutiones prioris generis non censentur factæ cum ulla relatione ad Deum; at locutiones aliæ talem in loquentis animo relationem ex se exhibent (unde in dubio intentionis sic accipiendæ sunt). Nam *anima* est spiritus de ejus spiritu; *cœlum* est ejus habitatio; *terra* illius scabellum; *templum* illius domus; *sancti* de ejus sanctitate participant; *crux* illius patibulum est; *Sacramentum* ipse instituit; *Evangelium* ipse dictavit; *catholicæ fidei* ipse est consummator (*S. Alph.,* l. III, n. 135 (2).

731. **Divisio:** multiplex distinguitur juramentum:

I. Aliud est *explicitum,* quod Deum conceptis verbis vocat in testem. Aliud *implicitum* (ex dictis), ut cum quis jurat per creaturas, sed quatenus in iis elucet speciale Dei attributum.

II. Aliud est *solemne,* quod conjungitur cum cæremoniis quibusdam in jure præscriptis. *Simplex* aliud, quod puram Dei invocationem præfert, sine ullo speciali ritu.

III. Aliud est *assertorium,* quod vocat Deum in testem rei præteritæ vel præsentis. Aliud *promissorium,* quod Deum vocat in testem rei futuræ, quæ juramento promittitur.

IV. Aliud est *contestatorium,* quod Deum simpliciter vocat in testem. Aliud *execratorium* (dicitur etiam *imprecatorium)* quod vocat Deum in testem, et vindicem perjurii (3). Aliud

(1) Quoad forum internum si quis utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, et is tamen putat ea esse juramenta, vere jurat; et ita dicendum e contrario. *Suarez, Sanchez, s. Alphonsus.*

(2) Huc revocatur formula: *Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia;* sicut enim qui hæc pronuntiat bonum sibi ominatur, si verum dicat; ita malum sibi imprecatur, si mentiatur.

(3) Si hæc proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant; quia vel fiunt ob res inutiles, vel calore iracundiæ, vel cum intentione simpliciter eos terrendi *(S. Alph.,* l. III, n. 139).

comminatorium quod sub Dei attestatione alteri minatur pœnam, v. g. *juro per Deum, quod nisi hæc feceris, pœnas lues.*

Omnia numerata juramenta serio facta (non pueriliter) per se loquendo sunt ejusdem speciei; cum omnia Dei veracitatem respiciant *(S. Alph.,* l. III, n. 142) (1).

732. **Principia.** De fide est juramentum esse bonum et honestum; ac per se licitum esse jurare. Hinc d. Augustinus Serm. CLXXX: *Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare.* Et sane per juramentum et obligationes firmantur juxta illud Hebr. VI: *Juramentum ad confirmationem ordinatur;* et Deus honoratur, cum habeatur, credatur et invocetur uti infallibilis Veritas. Unde dicitur: *Laudabuntur omnes qui jurant in eo* (Psal. LXII); et ideo manifestum est quod juramentum est actus Religionis seu latriæ. Merito ergo a Concilio Constantiensi damnata est hæc Wiclephi propositio: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus et commercia civilia;* item alia in Synodo Pistoriensi sub n. 75 proscripta est (vide *d. Thomam,* 2, 2, q. 89).

Sed dices: *Christus dicit aperte juramentum a malo esse; nam ait:* Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est (Matth. V). — R. Hisce verbis Christus tantum innuere voluit (ait *Catechismus R.)* juramentum oriri ab humana infirmitate, quia homines fallaces sunt; si tales non essent, juramentum non foret necessarium.

Cæterum etsi juramentum res bona sit, non ideo illud expedit frequenter usurpare; non enim expedit, nisi debitis fulciatur conditionibus, inter quas illa est, ut nemo temere usurpet sanctum Dei Nomen. Hinc d. Thomas juramentum comparat medicinæ ad sanandum efficaci, quæ quanto est salubrior si debite sumatur, tanto magis nocet si eam quis temere recipiat. Ad rem Augustinus (Serm. CLXXX): *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.*

733. **Resolve:** I. De jure naturæ omnis homo rationis particeps jurare potest. Verum de jure positivo, ordinarie repelluntur a juramento in judicio ferendo: *Impuberes* ob defectum maturitatis; et in causa criminali *etiam puberes,* qui nondum ad ætatem annorum viginti pervenerint, exceptis casibus quibusdam gravioribus. Item *perjuri*, quibus nulla fides. Cæteri

(1) Juramentum est actus latriæ, quippe eo tacite profitemur, Deum corda nostra intueri, et nec fallere nec falli posse. Quando autem ad solum Deum dirigitur, potest totum consummari in mente jurantis per interiora verba.

ad juramentum admittuntur, qui tamen per se, non per procuratorem, illud emittere debent.

II. Regulariter autem urget obligatio jurandi: 1) Quoties id necessarium est ad subveniendum proximo, ad pacem confirmandam in familiis, etc. — 2) Quoties a superiore legitime exigitur: sic ordinarie ad juramentum obligantur tum illi, qui in aliqua communitate recipiuntur; tum illi, qui aliquo publico officio donantur. Hoc valde confert, ut proprium munus rite adimpleant; hinc propositio contraria damnata fuit (sub n. 75) Bulla *Auctorem fidei.*

734. Verum quod speciatim ad *ecclesiasticos* pertinet, isti absque licentia Ordinarii, Episcopi absque licentia Papæ (sicut religiosi absque licentia sui Prælati) in judicio jurare non debent coram judice non suo, etsi ecclesiastico, si adhuc vigent canones prohibentes; et magis, si juramentum emittendum sit coram judice laico. Si autem clericus sine tali licentia coram judice laico compareat et juret (vel juret indebito modo sine causa), peccat: at nullam incurrit pœnam ipso facto, cum nulla jure sit statuta (1). Attamen in causa criminali, etsi juret de superioris licentia, debet præmittere protestationem, se non agere ad vindictam nec ad pœnam sanguinis; ne si hæc sequantur, incurrat irregularitatem (v. supra *n.* 345).

Dixi: *In judicio;* etenim si ecclesiastici contractum ineant cum laicis, possunt jurare etiam sine consensu Episcopi; nam hoc juramentum est voluntarium et nullo jure prohibetur clerico.

Art. 1. — De Conditionibus ad Juramentum.

735. Ut juramentum vim obligandi habeat, sequentes requiruntur conditiones, quas ipse tradidit Deus: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia* (Jer. IV). Secus violaretur Decalogi præceptum: *Non assumes Nomen Dei tui in vanum.* Veritas excludit falsitatem, judicium inconsiderationem, justitia illiceitatem *(D. Thomas,* 2, 2, q. 89, a. 3).

(1) Laici semper jurant tangendo Evangelia; modus autem jurandi ecclesiasticorum, etiam coram ecclesiastico, est ut jurent non tactis, sed propositis tantum Evangeliis, et manu pectori admota. Id jure præcipitur solis Episcopis (cap. VII, *Cum in*, de juram. calumn.); sed commune evasit pro omnibus clericis in Sacris (imo alicubi pro clericis omnibus). Hoc tamen procedit tantum: 1) De juramento in judicio. 2) Quando causa non est ita ardua ac gravior. Secus jurant more laicorum (v. *Scavini,* l. II, n. 227).

Ex civili lege 30 junii 1876 apud nos juramentum sine ulla alia solemnitate emittitur stando, ac tantum proferendo verbum *juro;* at prævia monitione de morali gravitate talis actus, de vinculo religioso quod credentes contrahunt coram Deo, et de pœnis latis in perjuros. Jurati autem, formula juramenti a præsidente semel lecta, eam tangunt dextera manu respondendo: *ita juro.*

736. **Veritas ad jurandum.** Veritas hic tota subjectiva est, in eo posita quod jurans certus sit de veritate rei, de qua jurat. Non tamen requiritur certitudo absoluta et omnino infallibilis, alioquin fere nunquam liceret jurare; sed sufficit moralis, id est tanta veri probabilitas, quæ ad certitudinem moralem pertingat. Nempe requiritur prudens æstimatio ipsi juranti dictans verum esse quod juramento affirmat vel negat, adeo ut nulla habeatur ratio probabilis in oppositum (hoc tamen non satis est in judiciis). Unde excludit quidem omne mendacium in jurante, non omnem errorem qui esse potest in re *(S. Alph.,* l. III, n. 148).

737. **Judicium ad jurandum.** *Judicium hic sumitur,* inquit Angelicus, *pro judicio discretionis;* cum enim juramentum sit res sanctissima, fieri debet cum prudentia, consideratione ac reverentia: quæ tria in discretionis judicio continentur. Quare juraturus debet diligenter perpendere: 1) An adsit causa necessitatis, vel utilitatis. 2) An notabilis spes affulgeat fore, ut alii credant. 3) An rem juramento promissam præstare valeat, si agatur de juramento promissorio.

Ubi tamen non desit, nisi judicium in juramento, ut si quis juret ex quadam levitate vel consuetudine, non erit, ut plurimum, nisi veniale ex communi sententia cum s. Antonino: quia gravem injuriam contra Deum continere non videtur. Attamen in consuetudine frequenter jurandi adest periculum scandali et perjurii: sub quo respectu juramentum judicio destitutum potest esse etiam mortale. Hinc Eccli. XXIII: *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa* (S. Alph., *l.* III, *n.* 145).

738. **Justitia in juramento**. Juramenti justitia in eo consistit, ut res jurata sit justa et honesta. Justitiæ defectus in juramento *promissorio* est grave peccatum; hinc mortaliter peccat qui jurat se facturum rem sive mortaliter malam, sive venialiter tantum in sententia, quæ mihi magis arridet; quia sic jurans, quantum in se est, Deum facit complicem peccati sui. Neque tenet juramentum; cum nec sit obligatorium contra bonos mores, nec vinculum rerum vanarum. Hinc probabilius neque obligat promissio jurata prodigi; quia est saltem leviter mala *(S. Alph.,* l. III, n. 146).

Verum si defectus justitiæ contingat in juramento *assertorio,* probabilius jurare non est nisi peccatum veniale. Quia tunc juramentum cum ad præteritum tantummodo referatur, non assumitur ad firmandam voluntatem exequendi malum, sed tantum pronuntiatur ad alios certiorandos se revera peccasse;

quod quidem non reputatur, nisi quædam animi levitas; v. g. si quis asserat cum juramento, se revera tali die ebrium fuisse. Excipe si id contingat cum gravi scandalo, vel cum complacentia peccati perpetrati, vel si juramentum assumatur ad firmandam gravem detractionem; tunc adhiberetur uti medium ad alterius infamiam certiorem reddendam: quod mortale est (*S. Alph.*, l. III, nn. 133 et 146).

739. **Perjurium.** Perjurium generatim sumptum, licet sit quodlibet juramentum destitutum veritate, justitia et judicio; attamen ex s. Thoma a falsitate præcipue specificatur perversitas illius; cum ista intimius ejus substantiam inficiat. Ideo perjurium proprie erit juramentum veritate destitutum: hinc ab eodem Angelico definitur: *Mendacium juramento firmatum* (2, 2, q. 98). Propterea ex natura sua mortale est; est enim gravis in Deum injuria (etiam in materia levi) eum in testem falsitatis adducere. Unde Innocentius XI damnavit propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis non videtur tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Lex civilis graviter in perjuros animadvertit. Synodi autem Diœcesanæ generatim reservant *juratam falsi in judicio depositionem, veri reticentiam factam ab accusatore vel teste;* et *inductionem falsi testis jurati in judicium.* Jure tandem canonico perjuri habentur uti infames, arcentur a testimonio ferendo, et ab ecclesiasticis Beneficiis.

740. *Resolve:* 1) Juramentum errore, aut dolo extortum non obligat, si error aut dolus versetur circa substantiam, vel circumstantias magni momenti, quibus cognitis non jurasses.

2) Non obligat juramentum, si jures rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut indifferentem, quæ nec fine, nec circumstantiis cohonestatur; quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Nec convalescit juramentum, ut ait Layman, etsi talis res illicita et vana postea, mutatis circumstantiis, fiat honesta.

3) Juramentum servandi statutum alicujus collegii, universitatis, congregationis, scholæ, etc., intelligitur de statuto edito, non edendo. Obligat autem sub gravi aut levi, vel tantum ad pœnam, ut ipsum statutum. Non obligat ad statutum quod non habet amplius vim ob desuetudinem; idem est si a majori parte communitatis non observetur.

4) Juramenta de servando secreto, quæ præstantur in congregationibus circa electiones, etc., obligant graviter vel leviter juxta nocumentum quod afferre possunt; nam obligatio juramenti sequitur obligationem secreti. Item est de juramentis servandi secretum circa artem conficiendi aliquam medicinam, sanandi aliquas infirmitates. Imo non obstante juramento, teneris ex caritate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, vel si ars ideo cum illo moreretur cum gravi pernicie reipublicæ; sed revelans compensandus.

5) Qui juravit judici se dicturum quæ novit, non tenetur ei revelare occulta, ad quæ judex non habet jus. Item qui juravit se soluturum debitum intra mensem, non tenetur, si terminus a creditore prorogetur; quia cum hic cedat juri suo, cessat obligatio promissionis et consequenter juramenti.

6) Qui promittit cum juramento redire ad carcerem, juxta alios non tenetur redire cum probabili periculo gravissimi damni injusti; nam esset se illi sponte offerre. Sed multo probabilius affirmant, quia posita promissione, redire est actus virtutis, quem promisit.

7) Si famulus jurat filiofamilias, quod ejus fornicationem nulli manifestabit, tenet juramentum; nisi silentium det occasionem alterius fornicationis, vel nisi adsit necessitas correctionis, vel justa interveniat superioris interrogatio.

8) Non peccat contra juramentum qui urbanitatis causa juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur. Quia plerumque juramentum est nullum defectu aut intentionis jurandi aut materiæ aptæ; vel si valeat, ab altero relaxatur. Arcendi tamen sunt homines ab hisce formulis, cum dedeceant (*S. Alph.*, l. III, n. 180).

9) Probabilius licet petere juramentum a pejeraturo, si tamen adsit gravis causa; nam tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequeretur; neque alter potest dici illius causa moralis, cum utatur jure suo: esset si judex petat juramentum ratione officii. Licet item cum causa juramentum exigere ab eo qui juraturus sit per falsos deos; cum causa enim permitti potest malum alterius (*S. Alph.*, l. III, n. 149; *d. Thomas*, 2, 2, q. 98, a. 4).

10) Plerumque mercatores non videntur ligari juramento non vendendi minoris; quia hujusmodi juramenta ut plurimum sunt de re inutili, et nulla iis habetur fides; vel quia non habetur verus jurandi animus. Gury.

11) Rustici ut plurimum non apprehendunt gravitatem perjurii. Ideo si consuetudinem jurandi habent, non facile confessarii eos moneant de gravitate, ne illorum peccata materialia ob malum habitum formalia evadant. Sed sensim sine sensu prudenter et fortiter insistendo eos curare studeant, media apta suggerendo, v. g. ut statim se pœniteant, dictum retractent, veniam petant, orationem aliquam recitent, vel toties determinatam eleemosynam tribuant.

12) Res juramento promissa est præstanda sub gravi, si res promissa gravis est; cum juramentum non infirmet, imo potius corroboret promissionem. Hinc Matth. V: *Redde Domino juramenta tua.* Et hæc obligatio transit ad hæredes, si sit de aliquid alicui dando, qui promissionem acceptaverit. Si vero res promissa est levis momenti, alii dicunt cum d. Thoma ac *Catechismo Romano* rem juramento promissam, adhuc sub gravi esse præstandam: quia secus vocaretur Deus in testem falsitatis; si veritas non conformaretur rei promissæ. Alii cum s. Antonino negant; nam si jurans actu juramenti habuit voluntatem implendi, et postea promissa non implet, non committit mendacium, sed tantum infidelitatem, quæ (cum res promissa non sit gravis ex hypothesi) protrahi nequit ad culpam gravem. Qua ratione hæc sententia fortasse probabilior est.

Quidquid sit, certum est, eum qui ex multo quod promisit, non omittit nisi parvum, non peccare mortaliter. Sic qui v. g. jurasset se nunquam vinum bibiturum, non peccat mortaliter parum vini bibendo; quia gravitas non afficit nisi materiam universim sumptam (*S. Alph.*, l. III, nn. 163, 173; *Scavini*, l. II, n. 228).

741. **Juramentum metu extortum.** In foro externo, ubi præsumitur ob gravem metum defuisse animum certe jurandi, non obligat tale juramentum; item neque in foro interno, si a jure civili vel canonico irritetur, quia esset contra leges illud infirmantes ob bonum commune; ideoque est de illicito. Hoc sensu non obligat juramentum metu gravi et injuste extortum super professione religiosa, matrimonio, etc.

Si vero juramentum gravi et injusto metu extortum nulla lege sit irritum, an adhuc obliget in conscientia, alii negant cum s. Antonino; nam tali juramento deest verus consensus, nihil enim tam est contrarius consensui, quam vis et metus. Verum longe probabilius alii cum Angelico *(v. t.* II, *n.* 108), docent, juramentum illud obligare, ne Deum testem falsi faciamus in re, quæ per se sine peccato dari potest. Hinc in Jure canonico dicitur juramentum metu initum facile relaxari; ergo illud supponitur validum. Ideo qui juravit solvere usuras aut dare pecuniam latroni, tenetur tribuere, ne adducatur Deus testis mendacii: sed potest postea repetere vel sibi compensare, ne iniquitas iniquo patrocinetur *(S. Alph.,* l. III, nn. 174 et 177) (1).

742. **Juramentum a potestate politica præscriptum.** Nil obstat per se ut illud emittatur, si juramenti forma honesta sit, juramentum nulli juri præjudicet, et suprema potestas legitima sit. Imo et principi invasori aliquando licitum est tuta conscientia fidelitatem et subjectionem jurare, si non præcipiat iniqua; non quidem ex ipso invasoris jure quod nullum est; sed ratione publici boni ad evitandas conjurationes, tumultus ac societatis ruinam. — Cæterum omnino consulendi superiores ecclesiastici, ad quos spectat definire quid possimus in hisce salebrosis rerum adjunctis (v. *Scavini*, l. 4, App. 35).

743. **Juramentum promissorium fictum.** Si quis jurat sine animo jurandi, peccat; quia illudit divino testimonio, et Innocentius XI damnavit hanc n. 25 propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi sive res sit levis sive*

(1) *Verum ut quid tribuitur, si statim repeti potest?* R. Retributio et repetitio est sub diverso respectu; tribuitur Deo ob sanctitudinem juramenti, repetitur ab homine ob iniquitatem extorsionis; tunc verificatur illud: *Solve et repete.* Quisque potest abundare in sensu suo; sed non est traducenda uti ridicula obligatio, quam tot auctores imponunt cum d. Thoma. Hinc regula juris: *Juramentum servari debet quoties servari potest sine dispendio salutis æternæ.*

Votum per metum gravem emissum probabilius non obligat; at obligat juramentum. Quare? Quia votum est benigne interpretationis; nam in voto Deus venit ut promissarius. Juramentum vero est strictæ interpretationis, quia Deus ipse tunc venit uti testis. *Bellacosa.*

sit gravis. An autem peccet graviter, affirma, si juret sine animo implendi promissionem; si vero cum animo standi promissis, peccat tantum venialiter, ut ajunt communissime; quia tunc nulla alia adest culpa, quam in vanum Deum nominare. Sed excipe si juramentum fiat in contractibus, vel coram judice; nam tunc, licet non sit perjurium, est gravis deceptio contra justitiam — Qui tandem jurat sine animo implendi, sed vero animo jurandi et se obligandi, peccat graviter, quia deficit veritas; et obligatur, quia adhuc viget essentia juramenti (*S. Alph.,* l. III, n. 172).

Casus. Terentius, qui uti executor testamentarius solvere debet legatum Cornelio a testatore relictum, id renuit nisi titulo doni sibi solvat 50 libellas. Cornelius cum pecuniam non habeat, promittit inter determinatum tempus solvere; imo sic volente Terentio, juramentum emittit solvendi, et insuper nunquam petendi talis juramenti relaxationem — R. *Cornelius legatum consequendo tenetur solvere ex d. Thoma, licet injuste juramentum extortum sit; nam cum servari possit sine peccato, ob Dei reverentiam servandum est. Terentius tamen pecuniam in conscientia retinere non potest; nam nullus adest titulus, non solutio legati quod jam debitum est; non donatio, cum non sit libera; non juramentum cum sit extortum. Cornelius autem adhuc potest petere relaxationem juramenti; nam secus, ut ait d. Thomas, illud vergeret in deteriorem exitum; esset siquidem contra justitiam publicam.* Episcopus Eula.

744. **Restrictio et æquivocatio in juramento.** Si agatur de æquivocatione et restrictione *stricte mentali,* cum nempe ambiguus et diversus sensus quem verba continent, ex nullis adjunctis ab auditoribus percipi potest, certum est illas restrictiones nunquam licitas esse, etsi emittantur sine juramento. Constat ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI; sic enim loqui mendacium est, nam verus sensus in mente habitus nullimode potest intelligi. Hinc Joan. VII legitur: *Qui sophistice loquitur, odibilis est.*

Si vero res sit de æquivocatione et restrictione *late mentali,* quod evenit, quando sensus diversus et ambiguus ex modo respondendi, ex usu recepto, vel aliis circumstantiis satis potest ab auditoribus intelligi, etsi defectu advertentiæ hic et nunc non attendatur, commune est cum d. Thoma, d. Augustino et ipsis rigidioribus, licere ex justa causa et per se loquendo illis uti etiam cum juramento; tunc non decipimus proximum, sed permittimus ut se ipse decipiat (1).

(1) S. Augustinus habet de mendac., c. 10: *Quamvis omnis qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis qui vult celare quod verum est, mentitur.* Ex d. Thomas, 2, 2, q. 69, a. 2: *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere.*

Nec mendacium est: nam sensus in mente retentus ex adjunctis satis percipi potest: unde prudens tantum est veritatis occultatio. Idque probat exemplum ipsiusmet Christi Domini, qui rogatus, ut ad quandam festivitatem ascenderet, respondit: *Non ascendo;* et tamen ascendit. Dixit igitur: *Non ascendo,* subintelligendo *palam* et *manifeste,* sicuti interrogatio præseferebat, et eruitur ex textu. Adde si non liceret, justa de causa, uti tali restrictione, nullus esset modus secretum honeste celandi: quod societati esset perniciosum, ut ipsum mendacium.

Dixi I: *Ex justa causa,* ne temere inducatur tergiversandi locus; nam licet id non sit mendacium, aliquod tamen detrimentum affert communi convictui; cum semper auditores non possint esse ita cauti, ut omnes æquivocationes cavere possint. Justa autem causa esset, ut dicunt communiter, quicunque finis honestus, v. g. ad se liberandum ab importuna interrogatione. Tamen si sola causa desit, tergiversatio probabilius non est nisi venialis; quia defectus est tantum in discretione.

Dixi II: *Per se loquendo;* nam æquivocis verbis sub gravi prohibemur uti: 1) Si inde auditoribus grave damnum eveniret, et nullum nobis; illud enim ex caritate tenemur avertere — 2) Si contractus mutuo celebrantur; debemus enim ex justitia verba ad mentem contrahentis nude proferre, ne eum decipiamus — 3) Si superior sive sæcularis sive ecclesiasticus in rebus sui officii legitime ac juridice interrogat: uti si ad sacros Ordines promovendus interrogetur de irregularitate; vel volens contrahere matrimonium interrogetur de impedimentis. Tunc debemus in sensu interrogantis clare respondere: secus bonum communitatis frequenter læderetur *(S. Alph.,* l. III, n. 153).

745. **Resolve**: 1) Reus vel testis a judice non legitime interrogati possunt jurare se crimen nescire, subintelligendo se nescire crimen, *de quo legitime possint inquiri.*

2) Qui venit de loco, qui falso putatur morbo infectus, potest negare se illinc venire, scilicet, *ut pestilentia infectus*, qualis est et esse debet interrogantium animus.

3) Invitatus ad mensam et rogatus, an cibus sit bonus, potest affirmare esse talem, licet revera sit insipidus, intelligens *ad mortificationem et pœnitentiam.* Et aliunde omnes sciunt quod ex urbanitate eo in casu sic responderi soleat, quomodolibet sit cibus.

4) Qui mutuum accepit et satisfecit, si postea iterum urgeatur, potest negare accepisse mutuum, *ut nempe denuo debeat solvere.*

5) Qui habet unum panem sibi necessarium, respondere potest se nullum habere pro eo, qui petit commodatum; quia non habet quem commodare possit, de quo solo ille interrogat: ita De-Lugo. Idem dicit Cardenas de pecunia petita, si domino ea sit necessaria.

6) Creditor ex instrumento potest asserere cum juramento nihil

sibi solutum, si pars sit quidem soluta, sed ex alio capite ipse habeat creditum, quod probare non potest; modo aliis creditoribus anterioribus non inferat damnum, nec juret talem summam sibi deberi ex illo instrumento. Ex quo patet, quod in praxi id vix habet locum.

7) Qui fuit coactus ad matrimonium, potest asserere non contraxisse, nempe *libere*. Qui non tenetur ad gabellas, potest dicere, *se nihil ferre*, ut solvere teneatur (1).

8) Non sunt mendacia, sed licite proferuntur cæremoniæ, protestationes, ut *osculor manus, offero me famulum;* quia ex communi usu accipiuntur uti verba materialia prolata tantum ad honorem vel ad urbanitatem (2).

Art. 2. — De Juramenti Interpretatione, Extinctione et de Adjuratione.

746. **Juramenti interpretatio.** Juramentum interpretandum est secundum quod est usu receptum; sic enim recte creditur esse mens jurantis. Item in favorem illius, qui illud emisit; cum sit vinculum propriæ voluntatis. Hinc d. Thomas: *Jurans in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundum suam intentionem* (in 3, d. 39, q. 1, a. 3). Hinc commune est in juramento promissorio sequentes conditiones tacite intelligi: 1) *Si potero sine gravi difficultate* — 2) *Salvo jure superiorum* — 3) *Si is, cui promissio fit, eam acceptet, vel non remittat* — 4) *Si res non fuerit notabiliter immutata* — 5) *Si alia pars fidem servaverit* — 6) *Modo juramentum non sit ex errore emissum* (S. Alphonsus, l. III, n. 175).

747. **Juramenti extinctio.** Iis ferme modis juramentum extinguitur, quibus extinguitur votum:

I. *Cessatione causæ finalis;* uti si quis juraverit, se puniturum discolos, sed isti emendentur.

II. *Mutatione notabili;* nam mutato objecto, mutatur et jurantis intentio. Hinc non peccat qui secretum juratum detegit,

(1) Igitur cum quidam rustici et maxime adolescentes confiteantur se jurasse in proferendis quibusdam vulgaribus verbis, opportune moneantur, has voces non importare verum juramentum; indecorum tamen esse iisdem uti; tanto minus licere eas rebus sacris applicare et contra quemcumque proferre. *Gousset.*

(2) Regulariter possunt uti restrictione late mentali personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut secretarii, parochi, duces, magistratus, advocati, medici, obstetrices, etc. Si enim ejusmodi personis commissa violarentur, gravissima certo sequerentur incommoda. Cæterum (non diffitemur) ardua est præsens quæstio, in qua possumus decipi tum in assignanda legitima causa, tum in usurpandis legitimis loquendi formulis; de facili enim restrictio late mentalis esse potest pure mentalis. Quare caute procedendum, ne humanæ societati noceamus, ne confusionem inducamus, ne christianæ simplicitati derogemus; sed quoad potest *sit sermo noster, est, est; non, non.* Matth. (vide Scavini, l. II, n. 231).

si jam res manifesta aliunde sit; vel si non potest illud servare sine gravi suo, vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub conditione, *nisi graviter noceat:* excepto quod agatur de secreto consilii, quod semper ob publicum bonum expedit observare.

III. *Irritatione*, quæ fit a dominatum habente in jurantem; licet agatur de contractibus, si ab eodem possint irritari.

IV. *Commutatione*, vel *dispensatione*, quæ quidem dantur ab habente jurisdictionem in externo foro. Qui habet facultatem dispensandi in votis, in iis dispensare potest, etsi ea juramento firmata sint; quia tunc juramentum est quid accessorii. At juxta sententiam quam sequor, valide non potest dispensare in juramentis independenter a voto emissis, qui potestate potitur vota tantum relaxandi; vinculum voti a vinculo juramenti diversum est, et ex stylo romanæ curiæ facultas quoad juramenta specialiter conceditur *(S. Alph.*, l. III, n. 190).

748. **Adjuratio**. Est *actus religionis, quo quis alterum rogat vel ei præcipit per Deum,* nempe per Dei reverentiam et timorem. Alia est *solemnis*, quæ fit ab Ecclesia modis constitutis, ut in exorcismis, in quibus dæmoni imperatur nomine Dei. Alia *privata*, quæ fit a quocunque sine solemnitate, ut si quis alium adjuret per Deum, ne ipsum torqueat. Alia *deprecativa*, si præcibus; alia *imperativa*, si imperio fiat *(S. Alph.*, l. III, n. 103).

Principia. I. Adjuratio tam *imperativa*, quam *deprecativa* fieri potest erga subditos, cum isti ex debito obedientiæ possint compelli; sed pares et superiores non licet adjurare, nisi deprecative. Dæmones vero non possunt adjurari deprecando, sed tantum compellendo, ne noceant; inimici enim nostri et Dei perpetuo sunt; non ideo licet eos orare, sed tantummodo cogere. *D. Thomas*, 2, 2, q. 90.

II. Adjuratio *privata* unicuique cum causa licita est; sicuti enim juramento promissorio licet se compellere ad aliquid, ita licere debet alios compellere adjuratione. *Solemnis* vero fit tantummodo ab Ecclesiæ ministris ad id specialiter singulis vicibus ab Episcopo deputatis, ut cum per exorcismos adjurantur dæmones. Quam potestatem Christus Ecclesiæ suæ tribuit illis verbis: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Hinc Tertullianus, *Apol.*, c. XXXII: *Dæmones adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus* (Scavini, *l.* II, *n.* 261).

CAPUT QUARTUM

De Sanctificatione Festorum.

749. **Dies Dominica**. Observantia diei dominicæ, ait d. Thomas, succedit observantiæ sabbati non ex vi legis naturalis vel divinæ, sed ex institutione Ecclesiæ (2, 2, q. 122, a. 4). Et ideo observantia dominicæ ab Ecclesia mutari et dispensari potest, quamvis dispensari non possit, quod nullus sit dies festus cultui divino specialiter deputatus *(S. Alphonsus,* l. III, n. 265).

Merito sabbato fuit substituta dominica ; nam si in sabbato consummatio operum Conditoris facta est; Dominico die opera Reparationis perfecta fuit; in hoc enim (dicente Leone Magno) *per resurrectionem Christi et mors interitum et vita sumpsit initium ; in hoc mandatum accipiunt Apostoli prædicandi Evangelium in universo mundo ; in hoc potestatem dimittendi peccata; in hoc promissus a Domino Spiritus Sanctus advenit, et Evangelica Lex in die Pentecostes promulgata est.* Sed præter diem dominicum Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostræ beneficia, vel celebranda Sanctorum merita, ut protectores nostri sint apud Deum.

750. **Festorum institutio**. Princeps sæcularis non potest Festa Ecclesiæ instituere, dispensare, imminuere, transferre; cum nulla ei sit in spiritualibus potestas. Unde si mandet abstinere ab operibus servilibus, id civiliter est intelligendum, quoad politiam externam; non vero quasi obliget in conscientia ad sanctificationem festorum.

Habet autem potestatem hanc Pontifex pro tota Ecclesia. Pro festis particularibus suæ Diœcesis Episcopus, modo accedat Cleri populique consensus, si agatur de festo perpetuo; et res sit (ex S. Rituum C.) de festo alicujus *Sancti,* non *Beati.* Episcopos tamen monet Urbanus VIII, ut abstineant a novis festis ob multa incommoda, quæ oriri solent. Hinc in pluribus Synodis vis adimitur festis particularibus ex devotione, non munitis Episcopi approbatione *(S. Alph.,* l. III, n. 266).

751. Adsunt inter incredulos ætatis nostræ qui festorum institutionem dicteriis insectantur, et *dixerunt in corde suo: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra* (Psal. LXXIII). Inaniter tamen, ad festa enim celebranda vel ipsa natura homines impellit, ut labori requies succedat, et quiescendo humilientur capita nostra Deo, a quo sunt

omnia bona, ut det escam timentibus se; neque in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et nulla gens est tam barbara, quæ suam divinitatem festis non excolat: hinc merito Pius IX Encycl. *Quanta cura* damnat qui *impie pronuntiant... esse de medio tollendam legem, qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur* (1).

752. **Principia.** 1) Præceptum Festa sanctificandi obligat sub gravi; agitur enim de re gravi, id est de cultu a creatura debito Creatori. Est unanimis Theologorum doctrina ac fidelium persuasio, quam firmat ipsum naturale dictamen. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub gravi, seposito scandalo, si absit contemptus* (S. Alph., l. III, n. 264).

2) Hoc præceptum obligat omnes fideles rationis compotes, tunc enim possunt illud modo humano observare. Obligat autem ad duo: 1) Ad audiendum Sacrum — 2) Ad abstinendum ab operibus, quæ dicuntur servilia (2). Utrumque præceptum est; utrumque usu et praxi fidelium confirmatum. Et hæc duo tantum præcise vi hujus præcepti esse præstanda, non videtur posse dubitari. Vel ipsi rigidiores non audent damnare de mortali eos qui hæc solum ageret; cum tamen apud omnes in confesso sit, violationem Festorum per se gravem esse (3).

(1) Et Leo XIII adhuc Perusiæ episcopus Lit. pastorali 1877 pulchre ad rem: « In quella guisa che in un lungo viaggio fatto in un deserto sotto la sferza del sole si ritrovano con inestimabile diletto del passaggiero dei luoghi dove annose piante apprestano le ombre desiderate, e vaghi tappeti di verzura il riposo; così questi cari giorni compariscono a ristorare il corpo di requie e l'anima d' ineffabili consolazioni. Allora il poveretto, scossasi di dosso la polvere del campo e dell'officina, coi suoi abiti migliori respira con più agio la vita; s'accorge che Dio non lo creò perchè si rimanesse perpetuamente aggiogato al carro della materia, ma perchè ne fosse il signore. È per lui questo sole che gl' invia libero l' avvivatore suo raggio; per lui queste colline che gli mandano gl' inebrianti profumi; per lui i prati in mezzo ai quali va a diporto colla moglie, coi teneri figli; per lui quel ben di Dio onde il modesto desco comparisce più ricco del solito. Entrato in Chiesa dove lo chiama la voce della religione, egli vi trova delizie che in nessun' altra parte gli è dato d' incontrare; le armonie dei sacri cantici dilettano le orecchie, i suoi occhi rimangono appagati dalla vista dei marmi preziosi, delle ricche dorature, degli eleganti paramenti, della severità delle linee architettoniche; ma sopra tutto scendono a commovere, a purificare il cuore le parole del Ministro di Dio, che gli rammentano la redenzione, i suoi doveri, le sue speranze immortali.

» È in quei giorni che le innocenti gioje della famiglia cessano d'essere un desiderio e divengono un fatto.... Così da quel riposo festivo esce sotto il rispetto fisico e morale ristorato; e quello che è vezzo di chiamare ozio biasimevole, è una tregua feconda; imperocchè dopo di averla gustata si ripiglia il lavoro con più lena e senza quella antipatia che presenta il lavoro ravvisato come una condanna, come un supplizio. » (V. *Scavini*, l. II, n. 233. Pizzardo, *Il giorno del Signore*. Tagliabue, *Il riposo festivo, considerazioni economico-sociali*. Apicella, *La santificazione della Festa* ecc.).

(2) Alicubi tamen in nonnullis festivitatibus sola obligatio adest Missam audiendi, ex Pontificio Indulto.

(3) Hinc vi hujus præcepti non præcipitur interior Dei cultus; ad hunc enim non

Hæc dicta sint, ne laqueum animabus imponam. Cæterum alia ratione fideles ad opera pietatis, ad orationes agendas, et maxime ad concionibus et præcipue catechesibus interessendum die festo compellendos esse omnino puto, et quidem opportune et importune; nam ex una parte instructione maxime indigent, ex alia solis festis diebus instructio habetur (1). Unde si quæstio sic instituitur: 1) *Tenenturne fideles concionem et instructionem audire festis diebus?* responsio generatim est affirmativa. At si quæratur: 2) *Estne de necessitate concio audienda in festis, ad hoc præcise, ut ipsa dicantur sanctificari?* responsio erit negativa.

Quare in festis qui Missam audit et a servilibus abstinet, præcise non peccat contra præceptum speciale de observantia festorum; etsi de facto facile possit graviter peccare contra alias virtutes et obligationes sui status, concionem, catechesim et cætera pietatis opera omittendo hodie maxime in tanta rerum fidei ignorantia; et ideo hortandus, urgendus populus ad alia pia opera diebus festis præstanda. Interroga qui Missa et abstinentia a servilibus solummodo in festis contenti sunt; et habebis reliquum tempus in ludis, in otio, in detractionibus, in ebrietatibus, in impudicitiis impendi solere; et illud Tertulliani verificatur: *Luxuriæ pietas deputatur.* Esto quod peccatum die festo commissum per se non induat novam malitiæ speciem; at certe cum sanctitudine illius diei nimium pugnat. Tanto malo occurrant parochi, ne dispergat Deus super vultum nostrum stercus solemnitatum nostrarum, ut minatur in Scripturis *(Malach.* II) (2).

Casus. Antonius parochus ad populum sermonem habens ait, quod si in illo esset hisce temporibus vellet abolere omnes dies festos, quia non sunt nisi occasiones peccatorum. Excipit tamen dominicos dies utpote in radice institutionis divinæ — R. *Errat et multum errat Parochus; per illam causam essent etiam abolendi dies dominici, imo et omnia præcepta Decalogi, quæ a multis transgrediuntur; at hoc est insanum asserere. Inculcet potius festorum observantiam, ex his enim summa in fideles utilitas redundat; et sapientem Ecclesiæ legem revereatur.* Episc. Bersani.

753. **Opera in die festo.** Quatuor operum genus quoad festa designantur. Alia sunt *opera corporis*, quæ corporaliter præcipue exercentur, et ordinantur immediate ad corporis utilitatem, uti suere, fodere, molere, vineas colere, vel eas sulphure

cogimur, ait d. Thomas, sed novemur a Spiritu Sancto (2, 2, q. 122, a. 4). Sanctificatio vero animæ per opera pietatis est finis præcepti; sed finis præcepti ex Theologorum axioma non cadit sub præcepto (v. *Scavini,* l. II, n. 234).

(1) Neque instructio de facili suppleri potest per lectionem domi factam; fides enim non ex lectione, sed ex auditu; auditus autem per verbum Christi.

(2) Ut festa rite sanctificentur et populus ab otio et consequenter a peccatis removeatur, inter cætera curet parochus urgere Sacramentorum frequentiam, sacras functiones cum decore et pompa celebrare, aliquid speciale in honorem B. Virginis instituere, et maxime piissimum Viæ Crucis exercitium publice agere tot indulgentiis cumulatum.

conspergere, filum digito torquere, et agere artes mechanicas, ut opera fabrorum, sutorum, sartorum, etc. Dicuntur *opera ruralia* vel *servilia;* ideo quia, ut plurimum, a rudibus et servis præstari solent.

Alia sunt *opera animæ,* quæ ab anima præsertim procedunt, et primario ad excolendum intellectum ordinantur, ut docere, legere, scribere, canere, sonare. Hæc dicuntur *opera liberalia;* quia exerceri solent a liberis, et mente potiusquam corpore.

Alia sunt *opera media,* quæ etiam dicuntur *communia* liberis et servis, v. g. iter facere, militare, digladiari et similia.

Alia denique sunt *opera forensia,* quæ scilicet ad forum judiciale, vel etiam ad mercaturas spectant.

754. **Opera servilia.** Opera servilia proprie dicta prohibentur diebus festis, uti constat ex veteri lege et canonico jure. Quod præceptum fideles obligat:

1) Integro die festo, id est ab hora duodecima noctis præcedentis usque ad horam duodecimam noctis sequentis — 2) Sub mortali quia tendit in debitum cultum ex virtute Religionis Deo exhibendum, et res est ex genere suo gravis. Nihil vero refert, utrum hæc opera fiant ex lucro, an recreationis causa; an bona, an mala animi intentione; an corporis defatigatione, an ejusdem solatio. Nam istæ rerum circumstantiæ non immutant eorundem operum naturam *(S. Alph.,* l. III, n. 267) (1).

755. An liceat currus vel jumenta ducere cum onere in festis, alii docent id illicitum esse, cum tantum servis proprium sit: unde iter incœptum tantum permittunt continuari, si sine damno interrumpi nequit. Alii e contrario etiam iter incipere permittunt, vel ob publicam utilitatem, vel ob timorem gravis damni, vel ob vigentem nec reprobatam consuetudinem. Hoc valet etiam de nautis.

An liceat molere in festis, alii affirmant si mola aqua vel vento volvatur: tunc cooperatio hominis modica est. Imo alii satis probabiliter dicunt, si cooperatio hominis est modica, non est illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere. Alii

(1) Ipsa peccata appellari solent *servilia;* attamen nonnisi metaphorice. Verba non sunt in sensu translato accipienda sed proprio; porro ex Angelico opera servilia *ad literam dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus* (in 3, d. 37, q. 1, a. 5). Unde quando idem Doctor ait: *magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit,* de præcepti fine est intelligendus, ne dicatur sibi contradicere (2, 2, q. 122, a. 4). Et clarius in 4, dist. 32, a 5, q. 2, docet *tempus diei festi non esse circumstantiam, quæ trahit actum in novam speciem peccati.* V. s. Alph., l. III, nn. 46 et 273; et *Homo apost.,* tract. VI, n. 2.

tamen id permittunt tantum ex necessitate, vel ex legitima consuetudine (*S. Alph.*, l. III, n. 267).

An autem liceat in festis rosaria, scapularia, imagines cœreas, agnus Dei, reliquias parare, alii affirmant, alii negant, prout habent ea uti opera servilia vel uti liberalia. Facilius tamen id permittunt ad otium fugiendum privatis qui non ad negotiandum, sed Dei cultum in hisce paulisper et gratis, remoto omni scandalo, se occupant.

At vetitum est die festo libros arte libraria colligare aut consuere, chartas aut telas conglutinare, volucrum retia texere vel caveas conficere, ligna secare, etc. Excusant tamen ancillas, quæ in familiis occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa alia necessitate — Cæterum dicendum in his operibus majus temporis spatium requiri, ut sit culpa lethalis; cum isti labores leviusculi sint, neque animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent. Verum hic est maxime attendenda consuetudo, et scandali remotio (*S. Alph.*, l. III, nn. 274 et 282).

756. **Opera liberalia**. Opera liberalia non prohibentur diebus festis, et ubique etiam a timoratis exercentur; sed jugiter sub conditione, ut ideo Missa non omittatur. Quare licebit:

1. Disputare, docere, cujuscunque scientiæ studio operam navare, concionari, advocatos consulere, canere, instrumenta musica pulsare et similia agere, licet fiant ob lucrum; quia intentio operantis non mutat operis naturam ex Angelico.

2. Scribere, et in probabiliori et communissima sententia etiam transcribere; cum utrumque referatur ad mentis instructionem, et praxis probet. Plures admittunt etiam notas musicales efformare, ac libros in bibliotheca ordinare.

3. Delineationes artificum, v. g. architectorum, pictorum, sculptorum, fabrorum, etc., in charta exarare (vulgo *disegnare*); quia in hoc magis quam corpus, mens exercetur. *Sculpere* autem inter servilia amandatur saltem in æstimatione hominum.

757. *Pingere* communius docent esse opus servile; hoc enim requirit actionem materialem. Sed mihi probabilius videtur, quod sit actio media; cum tam a servis, quam a liberis usurpetur. Vel potius opus liberale, quatenus magis in eo mens operatur, quam manus: hoc autem extendunt quoque ad artem fotographicam, etsi varios apparatus prærequirat. — Excipiunt tamen tingere pannos, dealbare parietes, colorare asseres, quæ in communi æstimatione inter servilia recensentur. Item est de labore notabili in præparandis coloribus et tabulis dolandis.

Communiter autem admittunt non esse opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent fœminæ; hæc enim, ait Tamburini, magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Hic tamen maxime vi-

dendus usus regionum; et si scandalum oriatur (*S. Alph.*, l. III, nn. 283 et 289).

758. Videtur excusari posse in typographiis *literarum collocatio*, quando post divina officia hæc opera perficiatur cum hæc sit quædam quasi scriptio. Excipe tamen nisi aliter se habeat consuetudo; sic apud nos id habetur ut servile opus; et ideo sola gravis necessitas illud permitteret. Certe autem vetita est *impressio;* neque enim immediate concurrit ad instructionem; sed efficit tantum quoddam artefactum corporale: ideo ars prorsus mechanica est (*S. Alph.*, l. III, n. 282).

759. **Opera communia**. In omnium sensu hæc licita sunt festis diebus: *opera corporalia* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 122, a. 4) *in quantum sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur;* et ideo in festis permittuntur. Sed magna quæstio in hisce operibus assignandis: qua in re consulenda est consuetudo legitima et communis æstimatio. Ita omnes permittunt ludere, pedibus iter agere, curru, equo, navi; cum sit commune omnibus, et negantes pharisaicæ superstitionis arguant.

Item communius et probabilius *venatio* in festis permissa est sive retibus sive armis agatur, tum ex consuetudine, tum quia non habetur opus servis proprium. Pariter probabilius est licere *piscationem* ex ipsa consuetudine, si moderato labore fiat; si enim fieret nimia defatigatione, prohibita esset: secus frustra Alexander III olim dispensasset quoad piscationem alecium (*S. Alph.*, l. III, n. 286).

760. **Opera forensia in festis**. Præter opera servilia in jure prohibentur festo die etiam opera forensia; plurimum enim animum distrahunt a festorum sanctificatione.

Sunt: 1) *Actiones judiciales*, quæ respiciunt causas tam civiles quam criminales; attamen si strepitum non requirant. Hinc ajunt ordinarie licere emancipare, appellare, dispensare, privatim informare, excommunicare et similia.

2) *Mercatus*, qui fiunt cum strepitu. Ex consuetudine tamen permittuntur nundinæ universales, imo alicubi etiam mercatus hebdomadarii (sed apud nos anticipantur). Nomine autem *mercatus* communius non veniunt locationes, conductiones et similia, quæ hodie permittuntur ex generali consuetudine; imo et licitationes sub publica hasta propter majorem facilitatem inveniendi concurrentes tali die. Item consilia Communitatis habere, si feriali die consiliarii convenire nequeant, uti in montanis; item ex universali inducta consuetudine permittunt te-

stamenta publica conficere, et instrumenta stipulari. Hæc tamen omnia accipe semper, si contingant extra tempus divinorum Officiorum et quin sacras functiones perturbent.

3) Mercium venditio quam Ecclesia prohibet in publicis officinis; at si usus fert, vendi possunt semiclausis januis, maxime cum emptores pro tunc indigeant, et exclusis horis divinorum Officiorum. Item dicunt de parvis mercatoribus, vulgo *merciajuoli*, qui merces suas de uno in alium locum deferunt, ut eas publice ostendant et vendant *(S. Alph.,* lib. III, n. 286 *(v. Scavini,* l. II, n. 239 *qui casum pro praxi ponit).*

761. **Materia gravis in opere festo die.** Pro materia gravi alii ponunt tres horas, quod est nimis laxum; alii unam horam, sed hoc est nimis rigidum; alii communius duas horas (sive continuas sive discontinuas), idque maxime si labor sit valde servilis, ut fodere terram, cædere lapides, etc. Attamen multi ad mortale requirunt aliquid amplius, nempe duas horas cum dimidio: quam sententiam hac nostra ætate communiorem et probabiliorem dicunt.

Verum si agatur de operibus forensibus, gravitas materiæ non tam desumitur a quantitate temporis, quam ab operis qualitate; hic enim magis attenditur actus solemnitas *(S. Alph.,* l. III, n. 305).

762. Si dominus mandat decem servis, ut die festo unusquisque per modicum tempus laboret, longe communius et probabilius non peccat mortaliter, etsi una simul servi laborent vel successive, ac opus simul sumptum sit grave. Nam dominus ideo peccat, quia singulos inducit ad peccandum; ergo scandalo præcluso, venialiter tantum peccat ad modum illorum; singuli enim nonnisi venialiter delinquunt *(S. Alph.,* l. III, n. 306) (1).

ART. UNICUS. — **Causæ quæ Servilia in Festis permittunt.**

763. Hæ præcipuæ causæ legitime adsignantur:

I. **Dispensatio.** Hanc potest: 1) Pontifex elargiri pro tota Ecclesia — 2) Episcopus, et Vicarius capitularis pro sua Diœ-

(1) An autem a laborando excuset ratio otii vitandi, sententia cui libentius me subscribo, affirmat, sed in casu quo gravis ad malum urgeret tentatio quæ vinci nequit nisi laborando: nam si excusat a labore necessitas corporis, tanto magis animæ; otium enim est malitiæ fons — Verum hic casus nescio an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus; otium enim vinci potest multimodis, oratione, honesto solatio ac lectione librorum. Forsan id locum habere potest in montanis, ubi rusticani aliqui rudes soli remanere soleant ad armenta curanda, quos non auderem damnare, si post actas preces, ad otium fugiendum aliquod servile opus non ita corpus defatigans in festis agerent, amoto scandalo (*S. Alph.*, l. III, n. 302).

cesi; qui tamen pro omnibus indiscriminatim dispensationem tribuere nequeunt pro festis generalibus totius Ecclesiæ; cum tunc non valeant dispensare nisi in casibus particularibus atque ad tempus; nam est lex Pontificia. Cum ergo non sit de jure ordinario Episcopi, non potest illam elargiri ejus Vicarius generalis, nisi ex speciali delegatione vel urgente causa — 3) Parochus potest dispensare, si non potest adire Episcopum, sed tantum pro aliqua circumstantia urgente, speciali ac transeunte (*S. Alph.,* l. III, n. 288) — Dispensatio autem tribuenda est pro modo necessitatis, ita ut si satis sit laborare per aliquas horas, non plus laboretur; et semper si fieri potest, Missa audita.

II. **Consuetudo.** Hac ratione permittuntur: 1) Quæ ad domus nitorem pertinent, uti cubilia sternere, vasa lavare: item uti lectica ab hominibus portata — 2) Quæ respiciunt personæ compositionem, ut vestes pulvere purgare, et barbam et capillos tondere etiam in publicis officinis, prout hodie universim obtinet — 3) Animalia occidere et excoriare, maxime tempore æstivo. Item conficere et coquere cibos etsi superfluos et ad delectationem, puta saccharo conditos. Item irrigare olera, flores ac fructus colligere etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur, et magis ne ab aliis subripiantur, vel a pluvia contaminentur. Item uvas calcare, si instet opportunum tempus. Cæterum non una est locorum consuetudo.

III. **Utilitas.** Excusat, præsertim si publica, v. g. si agatur de communi lætitia, puta de celebranda principis victoria, de paranda solemni pompa pro receptione Episcopi vel Regis. Sed utrum excuset etiam utilitas privata, nempe occasio magni lucri acquirendi, negandum, alioquin semper liceret laborare diebus festis; cum quiescendo non parum lucri semper amittatur. Excipe in sententia communi et forte magis probabili, si agatur de lucro extraordinario occurrente repente et transitorie, uti est in quibusdam regionibus piscatio lignorum, quæ nisi fiat quando alluvio ex improviso contingit, nulla amplius fieret. Porro illi maxime qui laboribus se sustentant raras habent occasiones talis magni lucri acquirendi; ideo pro illis esset magnum damnum subire (*S. Alph.,* l. III, n. 301).

IV. **Pietas in Deum.** Hinc illud: *Sacerdotes in Templo sabbatum violant, et sine crimine sunt* (Matth. XII). Hac ratione permittuntur opera, quæ proxime pertinent ad Dei cultum, pulsare campanas, crucem circumferre, ornare altaria, hostias coquere, verrere templum, sternere tapeta, tabulata ad festivi-

tatem erigere, etc.: talis item est etiam consuetudo. At non licet agros Ecclesiæ colere, parietes Ecclesiæ dealbare; item neque ligna, saxa ad ejus ædificationem vehere, etc., nisi adsit necessitas vel magna utilitas ab Episcopo probata, qui hoc ad tempus concedere solet, sed non omissa Missa de præcepto, neque Verbi Dei explanatione; hæc enim nonnisi remote ad cultum concurrere censentur.

V. **Caritas.** Ideo licet pauperum, orphanorum et viduarum indigentiæ subvenire per opera servilia, vestes v. g. conficiendo; cum enim caritas sit finis præceptorum, nihil eam debet impedire. Quod tamen de communi necessitate non est intelligendum; alioquin festa corruerent, cum hæc quotidiana sint. Ideo necesse est, ut noscatur pauper graviter egens in particulari, et hic et nunc; quapropter id non agatur sine consilio.

VI. **Necessitas gravis.** Sive propria sive aliena, sive corporis sive animæ; nam leges humanæ cum tanto detrimento non obligant. Hinc non peccaret:

1) Qui in festo propter præteritam pluviam vel ejus timorem fœnum vertunt et congregant, illud etiam domum transvehendo; sed merito apud plures fit recursus ad parochum. Idem dicendum de iis qui soli exponunt frumenta et alia grana, quæ secus tabem aliquam contrahere possent ex humore non satis exsiccato.

2) Famuli, qui coguntur a domino laborare, si alium dominum facile et cito invenire nequeant sine magno incommodo. Hoc multo magis valet de uxoribus et filiis coactis a patre ad laborandum, quod tamen non sit in contemptum Religionis.

3) Pauperes, qui aliter se suosque sustentare nequeunt; remoto tamen scandalo; ideo curent, ut secreto laborent (1).

4) Illi, quorum opera semel incœpta interrumpere nequeunt sine gravi damno, uti coquentes lateres, calcem, vitrum, bombycibus folia ministrantes, et gas ad illuminationem parantes. Item est de pistoribus, qui ex usu recepto panem recentem habere tenentur, nisi velint officinam ab emptoribus relinqui. Item

(1) Ex hoc capite excusantur etiam: 1) Rusticani illi, qui pondere onusti ad Parœciam a montanis non revertuntur, nisi mane diei dominicæ, et illico post vesperas iterum ad montana sarcina onusti se conferunt, ne diem perdere cogantur. 2) Alpini illi, qui in montibus admodum dissitis armenta pascunt, quæ nonnisi alternatim deserere possunt, ut adeant ecclesiam ad Missam audiendam atque ad sacras functiones festa sanctificaturi. 3) Pauperculæ matres quæ tota hebdomada mercede conductæ, nonnisi in festis filiorum ac mariti vestes consuere possunt: his tamen non subito fides adhibenda.

sartores, qui conficiunt vestes die tali omnino necessarias, ut funebres vel nuptiales, si nequeunt terminare, nisi in festo (1).

Verum non omnes excusantur qui necessitatem laborandi adstruunt, sed plures severe redarguendi sunt; quia plerunque illa necessitas est ipsis voluntaria, vel quia plura assumunt opera quam quæ possunt expedire, vel quia intra hebdomadam inutilibus tempus terunt.

DISPUTATIO SECUNDA

DE VITIIS QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR.

764. **Vitia contra Religionem.** Alia adversantur Religioni *per excessum*, non quasi Deus possit culto nimio adorari, cum dignus sit cultu infinito. Sed quod ei cultus exhibeatur vel pravus in se, vel inordinatus in modo: vitia hæc *superstitionis* vocabulo solent indicari. Alia Religioni adversantur *per defectum;* et hæc *irreligiositatis* nomine significantur.

Quæ omnia ex genere suo gravissima sunt: cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ, id est Religioni.

CAPUT PRIMUM

De Superstitione generatim.

765. **Superstitio.** Est *vitium quod exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Hinc superstitio spectatur ex parte tum rei, quæ cultu donatur; tum modi, quo cultus exercetur.

1. Ex parte *rei* triplex est superstitionis species: vel enim creatura colitur tanquam Deus et loco Dei, et est *idololatria;* vel ab ipsa creatura tanquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio;* vel aliquod ab ea imploratur auxilium,

(1) Item permittitur equos calceare itinerantium, reficere vomeres eorum, quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore. Item reparare vias, pontes, aquæductus; expurgare fossas, urgente necessitate; et machinas officinarum expolire, si necessarium sit pro labore sequentis diei *(S. Alph.*, l. III, nn. 296 etc.).

et est *vana observantia*. Quæ omnia natura sua mortalia sunt; cum gravem Deo irrogent irreverentiam tribuendo creaturæ quod Deo soli debemus.

2. Ex parte *modi* potest cultus esse vel falsus vel turpis vel superfluus. *Falsus* seu perniciosus, si quid falsi contineat: ut si quis falsas revelationes, falsa miracula divulget; sic enim verorum fides enervatur. *Turpis*, si quædam contineat Deo injuriosa, v. g. si quis suis in precibus induceret verba inhonesta. *Superfluus*, si nihil conferat ad verum Dei cultum, uti si quis non vellet Missam audire, vel Communionem suscipere, nisi a tali sacerdote: quæ ultima species, secluso scandalo, ordinarie venialis tantum censetur; quia est potius mera simplicitas, quam positiva irreverentia. Duæ priores vero semper mortales sunt; quia graviter repugnant cultui divino, qui sola veritate innititur, nisi excuset simplicitas vel ignorantia (*D. Thomas*, 2, 2, q. 92, 93).

Revera non raro hac ratione excusantur rudes, qui non semper percipere valent gravitatem, si excipias expressam dæmonis invocationem, et apertum abusum rerum sacrarum. Ideo animarum pastores ac confessarii prudenter cum illis se gerant; eos avertere generatim studeant ab omnibus superstitionibus; at videant, ne illos de mortali illico incriminentur (si spes non sit quod resipiscant), ne conscientiam ipsis ingerant de gravi culpa, et ita mortaliter peccent — Generatim expedit hæc tolerare, seu potius tacite dissimulare; et si pœnitens de illis interroget, confessarius hæc irrideat, pœnitentem carpat ; sed lethalia esse ne dicat. Item parochi, concionatoros, catechistæ de iis tantum superstitionibus loquantur quæ notæ sunt in illa regione, ne doceant quod ignoratur (1).

766. **Pœnæ**. Superstitiosi sunt denuntiandi, si hæresis suspicionem præbeant. Quod si superstitio sit conjuncta cum hæresi formali, adest excommunicatio speciali modo R. Pontifici reservata (v. n. 564) — Decreto vero S. Officii approbato 5 aug. 1745 a Benedicto XIV, sacerdotes Sacrificio ad sortilegia abutentes

(1) *Monita specialia apud Scavini*, l. II, nn. 247, 251 et seqq., ubi item de *cometarum apparitione, animalium cantu, de fascinatione*, etc. Porro suspecti de superstitione habentur, et ideo prudenter a confessario interrogandi: 1) *Opiliones*, qui variis dediti esse solent observationibus, ut gregem suum a lupis vel aliis malis tueantur. 2) *Fabriferrarii*, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex Psalmis vel Oratione dominica vane desumptis. 3) *Rustici* qui ad sananda pecora inanibus observationibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4) *Vetulæ*, et obstetrices quæ circa laborantes in partu superstitiosas adhibent orationes. 5) *Milites* qui deferunt secum sacra nomina, numismata vel imagines (quasi amuleta) ad se indemnes servandos in bello, in duello, etc.

perpetuam inhabilitatem incurrunt ad Missam celebrandam, accedente declaratione saltem criminis *(S. Alph.,* l. VI, n. 705; l. III, n. 579) — Tandem diœcesanæ Synodi reservant ordinarie *quascumque superstitiones cum abusu rerum sacrarum, aut expressa dæmonis invocatione.*

ART. 1. — De Idololatria et Divinatione.

767. **Idololatria.** Est *cultus divinus creaturæ exhibitus,* quo nempe creatura sive animata sive inanimis sive imaginaria tanquam Deus habetur et adoratur. Scelus est gravissimum, quod primo Decalogi præcepto prohibetur; qui enim hoc delicto inquinatur *quantum est in se, facit alium Deum in mundo* ex d. Thoma (2, 2, q. 94, a. 3). Nullaque causa excusat, cum id sit intrinsece malum, et sola ratione, id cognosci debet; attamen *interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta* (Sap. XIV).

768. *Divisio.* Idololatria triplex distinguitur: *perfecta, imperfecta* atque *simulata.*

1) *Perfecta* creaturæ defert divinum honorem falso putans, eam esse Deum — 2) *Imperfecta* defert quidem creaturæ honorem divinum, sed externum ex mera animi cupiditate vel ex odio veri Dei: hæc omnium est gravissima ob adeo pravam voluntatem — 3) *Simulata,* honorem illum creaturæ exhibet solum ob metum gravis damni.

769. **Divinatio.** Est *occultorum inquisitio ope dæmonis ideo invocati.* Invocari autem potest dæmon tum *expresse,* ut cum quis illum expressis verbis invocat; tum *tacite,* ut cum quis utitur mediis nullam ad occultorum notitiam vim naturalem habentibus. Cum enim talis rei consecutio neque a Deo haberi possit, qui media inania non instituit; neque ab Angelis qui illis non utuntur, sequitur illum a dæmone expectari, qui in his se immiscet, ut possit homines ad sui cultum trahere. Neque tunc valet protestari se nullum cum dæmone commercium intendere; protestatio a facto destruitur *(S. Alph.,* l. III, n. 5).

770. *Divinationis species.* Præcipue sunt: 1) *Necromantia* ex invocatione mortuorum. 2) *Oniromantia* ex somniis. 3) *Chiromantia* ex lineis manus. 4) *Astrologia* ex astris. 5) *Geomantia* ex signis in terra. 6) *Sortilegium* ex sortibus. 7) *Pyto-*

nismus ex vatum responsis. 8) *Augurium* ex garritu avium divinatio, etc. *(Scavini,* l. II, n. 248).

Quæ omnia gravissime prohibentur, cum sit societatem inire cum nostro ac perpetuo Dei inimico. Hinc Deutor. XVIII: *Ne sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos; aut quærat a mortuis veritatem; omnia hæc abominatur Dominus.* Attamen tacita invocatio a gravi culpa potest excusari ob simplicitatem, inconsiderationem, ignorantiam, vel si ex joco et levitate fiat, quæ potius dici debet inanis ac ridenda inquisitio *(D. Thomas,* 2, 2, q. 95).

771. **Mortuorum apparitio**. Certum est mortuorum apparitiones esse possibiles, Deo volente: cum bene possit suscitare qui potuit creare, et plurimas genuina historia enarret (1). Non tamen negandum, quod hisce apparitionibus caute admodum fides sit adhibenda, cum innumeræ diffusæ sint hac super re narratiunculæ fabulosæ vel ad timorem incutiendum, vel ad simplices decipiendos (*v. Scavini,* l. II, nn. 102 et 250) (2).

772. **Divinatio ex somniis**. *An sit superstitiosum futura contingentia conjicere ex somniis,* plerumque affirma, si eis certa fides habeatur. Hinc illud Eccl. XXXIV: *Multos errare fecerunt somnia;* et Num. XI: *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Sane cum hæc divinatio non possit naturaliter se extendere ad ea quæ contingentia sunt, ut argumentatur d. Thomas (2, 2, q. 95, a. 6), *erit divinatio illicita et superstitiosa.* Utique etiam a Deo somnia procedere possunt; at hæc et certissime dignoscuntur et rarissima sunt. Ideo non ita facile uti talia sunt judicanda, etsi videantur ad bonum impellere; nam diabolus aliquando se transformat in angelum lucis ad facilius decipiendum.

Attamen non esset culpandus de mortali qui ob somnium præcedens omittit aliquam actionem indifferentem, v. g. deambulationem; quia somniavit in ea esse interficiendum. Item est

(1) *Animæ* etiam *purgantes* pro nostra instructione et ad petenda suffragia, Deo permittente, hominibus corporaliter apparere possunt, ut commune est cum d. Thoma *(Suppl.,* q. 64, a. 3): id probant exemplis; nec repugnantiam involvit. At communiter tenent has apparitiones fieri per sanctos Angelos, maxime animarum custodes, qui in assumptis corporibus pro illis suffragia petunt.

(2) « Devesi andar molto cauti in quelle circostanze nelle quali siamo obbligati a destare qualche affezione d'animo in altri individui. Coi fanciulli poi sì facilmente impressionabili dobbiamo avere ancora maggior prudenza. Certi racconti di fate, di fantasimi, di morti che camminano, devono essere affatto tralasciati; che se vengono ascoltati con una certa curiosità paurosa, cessata colla fine del racconto la curiosità, rimane la paura; ed è cosa veramente disgustosa il vedere ragazzi da 6 a 7 anni rifiutarsi di passare da soli per due camere oscure e rimanervi soli per qualche minuto. » Mazzolini, *Massime di Igiene privata.*

de illo qui ex mera curiositate pergeret ad locum ubi thesaurus sibi exhibitus fuit in somno absconditus, et terram fodit. Potest etiam in sua simplicitate credere quod illud somnium fuerit a Deo (*S. Alph.,* l. III, n, 9; *Scavini,* l. II, n. 103).

773. **Chiromantia**. Multis abhinc sæculis circumvagantur viri ac mulieres, vulgo *zingari*. Qui impie jactitant, se bonam vel malam cujuscumque fortunam vaticinari ex lineamentorum in fronte, in facie ac præsertim in manuum inspectione. Hæc superstitio est: quæ enim proportio mediorum ad finem? unde graviter peccant qui illam exercent, etiam ratione scandali.

Qui autem eosdem adeunt, peccant mortaliter (nisi simplicitas eos excuset), si firmam eorum dicteriis fidem adhibeant, vel grave scandalum præbeant. Venialiter, si id ob solam curiositatem vel mera ridendi gratia agant, uti solet contingere. Attamen videant, ne graviter peccent peccato cooperationis vel scandali (*S. Alph.,* l. III, n. 9).

774. **Astrologia.** Astrorum consideratio (seu scientia) alia est *naturalis,* alia *judiciaria.* Per primam homines ex siderum situ ac motu, prædicunt nonnullos effectus certos, uti eclipses, et cometarum apparitionem; nonnullos incertos, id est naturales quidem, sed contingenter futuros, uti sunt venti, pluviæ. In his nulla superstitio.

Astrologia vero *judiciaria,* quæ nempe ex causis physicis, seu ex astrorum cursu et phasibus prædicit futura libera contingentia, si fiat de persona particulari, v. g. quod talis infans futurus est insignis latro, etsi conjecturaliter, graviter illicita est et superstitiosa; quia corpora cœlestia in liberam hominis voluntatem nihil queunt, cum necessario moveantur. Unde dicitur in Scripturis: *A signis cœli nolite metuere;* et Sixtus V eam damnavit; Urbanus vero VIII prohibuit omnes libros ea de re. Quæ scientia, si fundatur in astris ut signis, est sola divinatio; si fundatur in astris ut causis, est etiam hæresis, quia tunc tollitur humana libertas (1).

Dixi: *Si fiat de persona particulari;* nam si fiat in generali, v. g. quod talis natio bellum indicet, quod in illo regno seditio eveniet, hæc habet (2, 2, q. 95, a. 5) d. Thomas: *Plures homines sequuntur passiones, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia* (in quantum hæc in humanum corpus indirecte influunt); *pauci autem sunt qui passionibus resistunt. Et ita astrologi ut in pluribus vera*

(1) Prædictiones tamen quæ quotannis evulgantur per ephemerides *(almanacchi)* a nemine uti superstitiosæ habentur; sed ad summum temeritates, mendacia, vanitates, aut potius reputantur mentis joci irridendi.

possunt prædicere, et maxime in communi; non autem in speciali (S. Alph., l. III, n. 10; Scavini, l. II, n. 105).

775. **Virga divinatoria**. Baculus est qui de se movetur ad indicanda et detegenda quæ occulta sunt et abscondita. Si virga adhibeatur ad inveniendos transpositos agrorum limites, ad detegendos occultos homicidas, etc., ad merum nutum et intentionem ejus qui illam manutenet, diabolicus interventus adest; nam sola intentio nihil conferre potest ad motum physicum. Idque Oseæ IV graviter prohibetur.

Non tamen negandum, quod etiam naturaliter poterit evenire, ut aliqua virga physice moveatur ad unam potius partem, quam ad aliam; sicque aliquando inservire possit ad aquas vel metalla detegenda, vi nempe attractionis, ut patet de magnete; sed caveatur, ne quod naturale est, ad superstitionem referatur (S. *Alph.,* l. III, n. 3).

776. **Sortilegium**. Est *divinatio per sortes.* Sortes sunt divisoriæ, consultoriæ, divinatoriæ (D. Thomas, 2, 2, q. 95, a. 8).

I. *Sortes divisoriæ,* quæ adhibentur, v. g. ad componendas lites, utraque parte consentiente, licitæ sunt; cum nihil contineant superstitiosi, sed sint veluti quædam species contractus: et probantur etiam in Scripturis: *Contradictiones comprimit sors.* Excipe Jure canonico electiones ad prælaturas et beneficia ecclesiastica cum cura animarum (v. t. II, n. 865).

II. *Sortes consultoriæ,* quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum, nisi fiant divina inspiratione (ut contigit in electione Matthiæ), sunt illicitæ: quia continent tentationem Dei, ac periculum diabolicæ fraudis.

III. *Sortes divinatoriæ,* quibus inquiritur per taxillorum projectum rei occultæ vel futuræ cognitio, nullo modo sustinentur; cum neque ex natura sua ullam proportionem, neque ex Dei aut Ecclesiæ institutione sortitio hæc ullam vim habeat ad prædictos effectus. Si tamen ad sortem ponendam impellat Deus ipse (quod vix existimari debet) licita erit; sicuti licita fuit Josue, quando ea usus est ad occultum Achan scelus explorandum (*S. Alph.,* l. III, n. 11).

ART. 2. — De Vana Observantia, Magia, Maleficio, Obsessione.

777. **Vana Observantia**. Est *superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media nec a Deo instituta, nec ad illum effectum natura proportionata.* Convenit cum divina-

tione, eo quod utraque innitatur implorato dæmonis auxilio et pacto cum eo inito saltem tacite; qui enim serio et efficaciter intendit finem aliquem mediis improportionatis nec a Deo institutis, vim quærit in ejusmodi mediis supra humanam naturam, quæ cum non sit a Deo, erit a dæmone; ergo implicite auxilium diaboli exposcit. Differt a divinatione, quia divinatio ordinatur ad cognitionem occultorum; vana observantia ad quoscunque obtinendos effectus, ope dæmonis.

Vana observantia dignoscitur præsertim: 1) Ex insufficientia causæ ad effectum producendum. 2) Ex adjunctione vanæ vel falsæ circumstantiæ, quasi necessario requisitæ. 3) Ex infallibilitate, quæ tribuitur mediis fallibilibus.

Principium. Vana observantia gravissimum peccatum est; quia tribuit honorem divinum creaturæ, ab ipsa expectando quod debet attendi a solo Deo. At multoties a mortali excusatur ratione ignorantiæ, vel inconsiderationis (*S. Alph.,* l. III, nn. 14 et seqq.).

778. *Vanæ observantiæ species.* En præcipuæ:

1) Si observentur inutilia ad aliquid cognoscendum, dicitur *ars notoria.* Sic peccant stultissimi illi, qui elaboratam potionem sumunt, ut illico docti evadant.

2) Si inutilia observentur ad obtinendam sanitatem, dicitur *observatio sanitatum.* Sic peccant qui inanes cæremonias usurpant ad animalia nociva fuganda, vel amuleta, involucra, etc. ad collum gestant, vel in habitu (1).

3) Si ex consideratione alicujus futilis eventus decernatur quid sit futurum, dicitur *observantia eventuum.* Esset si quis recusaret cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis sit signum. Quamvis hoc plerunque excusetur; cum huic vera non adhibeatur fides, sed quædam simplex sit ac inanis formido.

4) Si observantia versetur circa miros vel noxios effectus producendos, est *magia* vel *maleficium* (D. Thomas, 2, 2, q. 96).

779. **Resolve**: 1) Superstitiosum non est observare lunam ac tempora pro colligendis herbis, cædendis arboribus, seminandis oleribus aptiora; quia hoc non tribuitur dæmoni, sed naturæ (De *lunæ influxu* v. *Scavini,* l. II, n. 254).

2) Neque pia numismata, cruces, etc. gestare; item recitare certum numerum orationum ad devotionem augendam et divinum auxilium obtinendum, modo infallibilis vis illis non tribuatur.

3) Neque flores et herbas die sancti Joannis benedictas combu-

(1) *Amuletum* dicitur medicamentum, quod collo suspenditur, præcipue ad amovendum fascinus. Ab *amolliendo* dictum.

rere ad depellendas tempestates, si hoc expectetur ex Sancti intercessione et Ecclesiæ benedictione.

4) Neque ex avium gemitu, volatu, vel animalium cantu conjecturaliter divinare pluvias, siccitates, etc.; aves enim aeris mutationem mire præsentiunt, ac gemitu, volatu, cantu significant, ut notat d. Thomas, 2, 2, q. 35, a. 5. Item ex mora corvorum vel strigum noctuarum *(civette)* super tectum domus in qua decumbit graviter ægrotans, non omnino superstitiose conjicitur propinquitas mortis, ob eorum acutissimum olfactum ad odorem cadaveris.

5) Rationem habere numerorum quos quis somniavit, non aliud esse videtur, quam vel rudis simplicitas, vel tenuis credentia, vel inanis quædam jocatio. Quod dicunt ordinarie currere etiam de illis, qui ex certo eventu eos configere student; et inde sortitionem tentant ludendo *(al lotto)*. Attamen ab hoc desuadendi, ne quod primum jocando faciunt, postea ex proposito agant, credendo.

6) Superstitiosum est aliquos dies faustos aut infaustos habere, ita ut actiones exinde dirigantur; ut qui nolunt die veneris ambulare, mortuos sepelire. Sed ut plurimum id habetur inanis timor.

7) Superstitionis rei sunt, qui gestant quasdam orationes s. Birgittæ, ut vocant, aut preces determinatas effundunt effectum certum expectantes; nam orationes nostræ illico efficaciam infallibilem non habent; solis quippe Sacramentis indidit Christus virtutem *ex opere operato* operandi. Alias sane conditiones requirit Deus, ut preces nostras exaudiat: in primis humilitatem, fiduciam et in orando constantiam. Adde bona temporalia (quæ generatim postulant taliter orantes) expectari non debent, nisi quatenus ad nostram spiritualem utilitatem et Dei gloriam conferunt; ut ideo sunt postulanda conditionate, non absolute, tanto minus infallibiliter *(S. Alph.,* l. III, n. 17; *Scavini,* l. II, nn. 251 et seqq.).

8) Multa sunt quæ solis naturæ viribus fieri possunt, ut herbis morbos mederi; in his nulla superstitio. Multa sunt, quæ solis naturæ viribus fieri nequeunt, ut res sola interna voluntate e loco movere; et hoc susperstitiosum est, si eveniat citra Dei miraculum. Tandem multa sunt quæ utrum naturaliter fieri possint, incertum est; hæc cujusque arbitrio relinquuntur, si tamen protestetur se nolle effectum si aliqua superstitio subsit, nihil admisceat nugatorii, et adsit causa rem illam tentandi *(S. Alph.,* l. III, n. 20).

9) Monendum: etsi Sacerdotum sit benedicere tum personis tum rebus, idque plurimum prosit animabus corporibusque; item etsi reprobanda sit illorum falsa prudentia, qui omnes viva fide benedictionem petentes, sine ulla discretione repellunt uti superstisiosos; cavendum tamen est, ne revera populi superstitio foveatur. Sunt enim aliqui de sacerdotali cœtu (gravi proinde reprehensione digni) qui omnes et vel ipsos extraneos ad se continue confugientes, jugiter et indiscriminatim benedicunt, quasi desuper gratia gratis data donati sint: ita parochianos a proprio pastore avertunt, turpis lucri mercimonium faciunt, vanam popelli credulitatem sub ementito devotionis colore augent et religionem despectui ac malorum dicteriis exponunt, quasi in Sanctuarium propriam privatam domum erigentes.

Hic maxima cautela opus est; fideles enim interrogandi, monendi, instruendi sunt; non autem in hac re eorum petitionibus ita facile et subito est annuendum. Imo ordinarie præstat, ut ipsi ad suos mittantur pastores, quorum præcipue est oves proprias cognoscere, curare, benedicere, et in hoc salebroso negotio prudenter dirigere; illis gratis bonedicendo si rite dispositi sint, et cum fiducia auxilium a Deo expectent, si expediens sit (v. *Scavini,* l. IV, n. 397).

780. **Magia.** Per Magos orientales intelligebant sapientes, qui astronomiam præsertim colebant. Hinc illud: *Ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.* Postea *magiæ* nomen translatum est *ad significandum artem, quæ docet facere mira per causas insolitas.* Hæc alia naturalis est, alia superstitiosa.

1) Magia naturalis est *ars operandi mira per causas naturales, sed occultas*, v. g. per operationes astronomicas, arithmeticas, chimicas, opticas, etc. Hæc licita est; cum nihil mali in se contineat (et dicitur *magia bianca)* — 2) Magia superstitiosa (vulgo *magia nera)* est *ars operandi mira ope dæmonis.* Quam quidem dari certum est: *Negari non potest*, ait Suarez, *sine errore in fide, magos extitisse.* Quis enim ignorat quod de magis Pharaonis legitur in Exodo? quod docet s. Matthæus de Pseudoprophetis, *qui faciunt signa et prodigia?* quod tradit Historia sacra de Simone Mago, et Historia ecclesiastica de aliis sine numero? *(S. Alph.,* l. III, n. 19).

781. **Maleficium.** Maleficium est *ars nocendi dæmonis cooperatione.* Huc maxime veniunt *lamiæ*, mulieres illæ quæ ope dæmonis hominibus insidiantur noxia quæque moliendo *(S. Alphonsus,* l. III, n. 26).

Maleficium aliud est *amatorium* seu *phyltrum*, et est ars diabolica quæ vehementer ad libidinem excitat erga determinatam personam, quin tamen libertatem tollat (1). Aliud *veneficum,* est ipsa ars nocendi alicui variis modis, v. g. sensus ludificando, fascinando, morbos suscitando, tempestates producendo. Continet maleficium malitiam mortalem contra Religionem, caritatem et justitiam; quia et Deo gravem, et proximo irrogat injuriam damnosam *(S. Alph.,* l. III, nn. 25).

Pro maleficii cessatione confugiendum est ad orationem, jejunia, sacramenta, et exorcismos ex delegatione tamen Episcopi. Item præstat naturalia remedia adhibere: imo a medicina fere semper incipiendum ad sedandos humores et imaginationem, a qua plerunque malum evenire solet potius quam a maleficio. *Gousset* (*Scavini,* l. II, nn. 110 et 247) (2).

782. **Dæmonis possessio et obsessio.** *Possessio* habetur si dæmon in corpore humano residet in illo extraordinaria ope-

(1) Philtrum est a greca voce *phileô*, amare.

(2) Non potest autem peti a mago ut maleficium tollat, si velit uti alio maleficio; secus si mediis naturalibus. Verum toto cœlo curandum est, ut corrigatur et exprobretur populus, maxime mulieres, quæ vix aliquid mali in propria familia contingit, de maleficio alias mulieres incusant. Hinc odia, inimicitiæ, et mala sine fine *(S. Alph.*, l. II, n. 24).

rando. Quod si dæmon tantum externe operetur corpus variis modis vexando, habetur *obsessio* seu *invasio.*

Veras dari *possessiones* et *obsessiones* sine errore in fide negari nequit. Constat ex variis Scripturæ locis, ex perpetua traditione ac Patrum sensu. Hinc et exorcismos habemus, quæ testante Tridentino, semper in usu fuerunt in Ecclesia. Dæmone obsessi vel possessi *energumeni* vocantur (a græca voce *energia* quæ dicit *vim* et *efficaciam); quia* a dæmonibus fortiter exagitantur *(Scavini,* l. II, n. 261) (1).

Præcipua veræ possessionis signa sunt: 1) Loqui idiomate prorsus ignoto — 2) Occulta et distantia accurate manifestare, quæ ab homine naturaliter cognosci nequeant — 3) Obedire mandato mere interno sacerdotis, etc. — 4) Majorem experiri dæmonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu ignoto rerum sacrarum etc.

Qui obtinuit ab Episcopo exorcizandi facultatem, potest imperative dæmonem interrogare de omnibus quæ ad ejus expulsionem conducunt. De cæteris ipsum curiosius interrogare non licet sine peccato; et quidem gravi si interrogatio prolixa sit, vel fiat modo deprecativo, cum deprecatio indicet quandam subjectionem, ac socialitatem *(S. Alph.,* l. III, n. 193; *Rituale R.; Scavini,* l. II, n. 261) (2).

ART. 3. — De Magnetismo, Tabulis rotantibus et Spiritismo.

783. **Magnetismus.** Fluxus magneticus, seu quidam fluidus nerveus, meare supponitur e corpore magnetizantis in corpus magnetizati ope variorum gestuum, vel etiam solius præsentiæ,

(1) Exorcizare est per Divina spiritum immundum abjurando expellere. Ne facile obsessionibus fidem habeamus, neque facile traducamus naturalia phænomena veluti facta supernaturalia; quod vergeret in religionis contemptum. Clar. medicus Martini scribit: *Nos Ecclesiæ integram fidem præstamus; idcirco de energumenis non dubitamus; sed simul animadvertimus, plerosque ex iis, qui dæmoniaci habentur, esse versutos simulatores.*

Docendus autem est populus, ut caveat potius a dæmonis tentationibus quæ frequentes sunt, quam ab eorum infestationibus quæ nonnisi raro contingunt; quæ si quando eveniunt, consulendus erit ante omnia Episcopus (v. *Scavini,* l. II, n. 259, et l. IV, n. 508, ubi plura ad praxim, quoad *exorcismos* et *curam obsessi).*

(2) Absit ergo ut omnia indiscriminatim quæ de maleficiis enarrantur ac dæmonum apparitionibus, habenda sint uti fabulæ medii ævi vel gentilium deliramenta. Caveamus, ne dum timemus obtundere sanam intelligentiam, veram fidem enecemus. Ad rem d. Thomas: *Quidam dixerunt quod maleficium nihil aliud erat in mundo, nisi in æstimatione hominum... Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis sive incredulitatis... Angelos de cœlo cecidisse et dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse quæ nos non possumus; et illi qui ad faciendum talia inducunt, malefici vocantur* (Suppl., q. 58, a. 2).

Quod si nunc infestationes non ita frequenter habemus, id evenire potest eo quod diabolus temporibus se accommodans, sagax et progressus moderni amator antiquis maleficiis magnetismum, tabulas rotantes et spiritismum substituit; hisce enim ludis hodie se tenent amatores hujus mundi. Serpens antiquus arma mutat, non bellum; nam jugiter *adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I. Petri V).

imo et solius voluntatis magnetizatoris. Ex quo nascitur: 1) Status *somni* seu *soporis* in magnetizato ita, ut nulla vis excitare eum valeat — 2) Status *somniloquii*, in quo quis licet usu sensuum destitutus, videt tamen, audit, loquitur, interrogantibus respondet. Imo miram percipit sui status cognitionem et remediorum suis morbis convenientem, atque actiones aliorum hominum longe distantium cernit, etc.

Principia. Demus magnetismum miros quosdam effectus, naturales tamen operari posse; at simul concedendum erit, multa ex iis quæ de magnetismo prædicantur, inania esse, mendaciosa atque diabolica.

1) *Inania*, ut cum magnetismus habetur uti mirum inventum ad omnes morbos curandos; quotidiana enim experientia contraria est — 2) *Mendaciosa*, ut cum ea quæ latent omnino magnetizatus divinare prætendit; fraudes enim hac in re intervenire satis hodie notum est, adeo ut magnetismus ad lucrum vel solatium potius adhibeatur *(magnetismo impostura)* — 3) *Diabolica*, ut cum magnetizatus linguis quas penitus ignorabat extemplo loquitur, dignoscit occultas aliorum infirmitates ac remedia, magnetizantis intimas cogitationes inspicit, et quod longe a se ab hominibus fiat, etc. (1).

Etsi autem perspectæ nobis non sint omnes naturæ vires, perspectum tamen est quod legibus naturæ repugnat. Porro repugnat quod merum et internum voluntatis imperium suspendat causam physicam necessario agentem. Repugnat quod actio virium physicarum variet pro solius diversitate intentionis nostræ. Repugnat quod homo rudis subito doctus evadat sine magistro. At quando deficit proportio inter effectum et causam, causa naturalis esse non potest; atque ideo ab infernali virtute illam repetere oportet, cum nefas sit a Deo quærere (2).

(1) Cl. medicus Lanza ait: « L' estasi religiosa e la miracolosa può essere accompagnata da portenti conceduti da Dio; ma l' estasi morbosa (uno dei gradi di astrazione, onde l' infermo nell'accesso si mostra fuor di sè) non ha nulla di portentoso. Sarà portentosa l'estasi magnetica? Conveniamo che il magnetismo animale potrebbesi impiegare come rimedio a parecchie malattie nervose, purchè la scienza fosse depurata dalle strane imposture dalle quali è lorda. Si pretende che nella sognazione magnetica si acquisti un sesto senso, per lo quale si veggon le cose ad occhi chiusi, si sappiano le cose non apparate, e persino si giunga ad antivedere il futuro. E per questa ragione si magnetizzano gli infermi, non per rimedio, ma per interrogarli a sapere dai medesimi la natura della loro malattia e il rimedio convenevole. E tutto questo al secol nostro trovasi scritto, preteso e praticato da taluni medici; che obbrobrio! » *(Nosologia positiva*, t. v, c. 4).

(2) Hisce temporibus eo res devenit, ut vel ad ipsa occulta detegenda delicta magnetismo uti voluerint: « Se si vuol considerare questo caso (ad rem cl. Berardi-

S. Sedes an. 1840 de magnetismo in genere interrogata respondit (quin quæstionem vellet in se definire) non esse superstitiosum usurpare media ad connaturales fines proportionata: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus.* Sed postea interrogata de magnetismo ut ordinarie exercetur, cum quibusdam circumstantiis, quæ mores vel fidem labefactant, semper respondit: *Non licere.*

784. *Praxis.* Hinc Pastores et Confessarii quoad possunt magnetismum desuadeant utpote periculi plenum, ac nullius utilitatis. Quod si non valeant, illum tolerare possunt: 1) Si magnetizantes et magnetizati sint in bona fide — 2) Si caveant ab eo quod possit modestiam vulnerare, vel scandalum inducere — 3) Si cuilibet dæmonis interventioni ex animo renuntient. Sed frustra protestationem renuntiationis emitterent, si ex defectu proportionis inter causas et effectus de diabolico interventu dubitari nequit, uti respondit S. Sedes 19 maji 1841.

785. **Tabulæ rotantes.** In principio visæ sunt tabulæ aliæque res mobiles in gyrum versari, dum extremo circumstantium digito simul connexo tangerentur. Postea interrogantibus responsa dare cœperunt uno vel altero pede terram percutiendo. Demum de rebus prorsus incognitis aut futuris etiam extra præsentem vitam, in subjecto papiro, aptato videlicet ad pedem tabulæ calamo, scribendo satisfaciebant.

Etiam dato quod simplex motus tabularum ad certum gradum per contactum mere physicum naturalis esse possit, indubium est quod ceteri effectus diabolicum opus infernalemque divinationem præseferunt; cum illi nonnisi causæ intelligenti tribuendi sint. Numquid enim (ad rem Gury) interrogantes tabulis ligneis aut marmoreis quæstiones proponunt, et ab eisdem responsa

nelli) in rapporto alla *giustizia,* si trova fatto ad essa una grande lesione, avendo il Codice di ogni Stato le vie lecite e spedite per scoprire il vero, e rifugge dalle torture e da ogni ritrovato od inganno per estorcere una qualsiasi confessione.... Se si considera in rapporto con la *scienza....;* omai la scienza che non si sa che fare del magnetismo a pro degli uomini, ributta tutti gli scandali, le lustre e le novelle che per esse si ricantano, e le lascia all'arte dei negromanti e degli spiritisti. Se si considera in rapporto alla *religione,* è una ferita che si fa alla Chiesa la quale ha dichiarato illecita la pratica del magnetizzare per l'uso invalso d'indovinare e di sapere quel che solo gli spiriti infernali per propria scienza valgano a fare ed a sapere. E se in questo fatto si contempla in ordine alla *coscienza,* fosse anche quella di un settatore di morale indipendente, è una vergogna, è un obbrobrio, poichè la natura ragionevole abborre dall'abbindolare il simile con male arti, per cavargli dal seno una qualsiasi confessione, e ridere alle sue spalle. » *(La Scuola catt.,* vol. XIII; *L'Unità catt.,* n. 17, anno 1879).

expectant? nullus adeo insanus ut credat. Communis persuasio est, rem agi cum spiritibus infernalibus, a quibus per tabulas miri illi effectus producuntur.

786. **Spiritismus.** Fere ex toto siluere tabulæ rotantes, et successerunt responsa quibus dæmones per personas intermedias (vulgo *mediums)* homines illudunt, et eis insidiantur. Sic spirituum consultatio habetur; nempe te præsente ac postulante, a *mediums* interrogatur aliquis spiritus quasi sit anima v. g. patris, matris tuæ etc. defunctæ, ut ex responsis tu credas cum illa colloquium habere. Qui spiritus certo nequeunt esse boni; impium sane et blasphemum foret asserere bonos spiritus intervenire (et Deum permittere ut interveniant) puerilibus hominum ludis, eorum vanæ voluntati obtemperare et stultissimæ curiositati satisfacere. Spiritus ergo illi sunt spiritus mali a Deo in æternum maledicti, qui jugiter hominibus insidiantur eos subvertentes (1). At quid (quæso) magis horrendum et superstitiosum esse potest, quam cum illis societatem inire, eos invocare, interrogare, alloqui? Quæ *omnia abominatur Dominus* (Deut. XVIII).

Hæc superstitio prioribus pejor impietatem et hæresim magis redolet; subvertit enim dogmata catholica, præsertim pœnarum inferni æternitatem, et veris miraculis fidem detrectat illa habendo uti simplices spiritismi ac magnetismi effectus. Merito ergo ad tantum nefas et Religioni et civili societati infensissimum efficaciter cohibendum *(quacunque demum arte vel illusione utantur ad tales effectus non naturales producendos),* Congregatio S. Officii 4 aug. 1856 quammaxime excitavit Episcoporum sollicitudinem; et die 2 apr. 1864 scripta omnia hac de re gravissime proscripsit atque proscribit (v. Pellicani, *Le vittime dello spiritismo;* Torino, 1870).

Nefas autem est consultationi spirituum interesse etiam sola curiositatis causa; nam non licet de re evidenter mala recreari; et maxime juvenibus id omnino prohibendum, ne facile subvertantur (v. *Scavini,* l. II, nn. 114 et seqq. Sed maxime l. IV, *Append.* 37ª, *ubi longiorem instituit sermonem de magnetismo, spiritismo,* etc.).

787. Ad discernenda vera miracula a dæmonis præstigiis, mesmerismo, spiritismo et aliis magicis operationibus, præstat considerare factum, modum, circumstantias et finem. Audiatur Angelicus: *Signa*

(1) D. Thomas, 1. p. q. 117, a. 4 cum Ss. Chrysostomo et Augustino ait: *Frequenter dæmones simulant se esse animas mortuorum ad confirmandum gentilium errorem, qui hoc credebant.*

facta per bonos (ex mandato Dei) *possunt distingui ab illis quæ per malos* (arte diabolica) *fiunt, tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis: quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et hujusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt. Secundo ex utilitate signorum, quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus ut in curatione infirmitatum et hujusmodi; signa autem per malos sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aere, vel reddunt membra hominum stupida et hujusmodi. Tertia differentia est quantum ad finem; quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei et bonorum morum; sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et quantum ad modum differunt, quia boni operantur miracula per invocationem divini Nominis pie et reverenter; sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab his quæ virtute dæmonum fiunt* (2 Sent., d. 7, q. 3). V. Episc. Eula, *Collectio casuum*... ab anno 1868 ad annum 1875.

CAPUT SECUNDUM

De Irreligiositate.

788. **Irreligiositas.** Est *vitium, quo Deus vel directe in se, vel indirecte in rebus aut personis sacris inhonoratur.* Primo modo irreligiositatis species sunt: tentatio Dei, perjurium et blasphemia. Secundo modo, sacrilegium et simonia (De perjurio *v. supra n.* 739).

Art. 1. — De Tentatione Dei, vana divini Nominis Usurpatione et Blasphemia.

789. **Tentatio Dei.** Definitur: *Dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per aliquem effectum ab eo temere expectatum.* Tentatio alia est *explicita,* sive *formalis;* alia est *implicita,* sive *interpretativa* (D. Thomas, 2, 2, q. 97).

Tentatio Dei *explicita* oritur ex infidelitate; et evenit cum quis v. g. expresse dubitans de divina omnipotentia, petat a Deo miraculum, ut certus fiat.

Tentatio vero Dei *implicita* oritur ex præsumptione, et evenit quando quis expresse quidem non intendit ac directe experimentum suscipere de Deo; petit tamen vel facit quod ex natura sua non potest alium in finem referri, quam ad explorandam

aliquam Dei perfectionem; etsi de illa non dubitet. Uti si per Quadragesimam, extra specialem Dei instinctum, vellet quis abstinere ab omni cibo, expectans a Deo extraordinariam vitæ suæ conservationem.

Principia. Tentatio Dei est peccatum ex se mortale, quia gravem Deo irrogat irreverentiam. Hinc illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quod probabilius currit sive tentatio explicita sit, sive implicita; nam magna irreverentia est curiosius agere cum Deo, quasi cum ludione. Tamen quia tentatio implicita non includit dubitationem de divinis perfectionibus; ideo non est Deo tam injuriosa uti explicita.

Imo ob ignorantiam, defectum consensus, et materiæ parvitatem potest esse tantummodo venialis. Sic venialiter tantum peccaret in mea sententia, qui in levi morbo, rejectis remediis, speraret a Deo sanitatem, quin tamen petat miraculum. Et aliquando puto illum ab omni culpa excusari, si speret sine remediis, Deo adjuvante, naturaliter a tali levi morbo liberari (*S. Alph.,* l. III, n. 30).

Resolve: 1) Peccat, at venialiter per se, et tentat Deum qui ex negligentia imparatus accedit ad prædicandum sperans a Deo speciale auxilium.

2) Peccat qui absolute peteret vel offerret miraculum ad conversionem peccatorum; cum satis sint ordinaria religionis nostræ auxilia. Excipe tamen casum specialis inspirationis (*D. Thomas,* 2, 2, q. 97).

3) Peccat, si non excuset bona fides vel divina inspiratio vel gravissima causa, qui martyrio se sponte offert; cum nemo vitam prodigere ultro possit; nam non est illius dominus (*S. Alph.,* l. VI, n. 101; et *Scavini,* l. II, nn. 263 et seqq.).

4) Peccat, qui ut innocentiam suam probet, ferrum calidum manibus sumit, super carbones ardentes graditur, etc.; non est proportio mediorum ad finem (*S. Alph.,* l. III, n. 30) (1).

790. **Vana Usurpatio Nominis Dei**. Tunc Sanctissimum Dei nomen in vanum usurpatur, cum sine causa aut sine debita reverentia assumitur, v. g. ex impatientia, ex admiratione per modum exclamationis, ex levitate vel mala consuetudine. Hæc

(1) Tales probationes a barbaris inductas vulgo *purgationes vulgares*, *judicia Dei* Ecclesia semper detestata est, quæ quidem ad delictorum probationem nonnisi *purgationem canonicam* admittebat. Hinc can. *Consuluisti* 2, quest. 5: *Spontanea confessione vel testium approbatione publica delicta commissa sunt regimini nostro judicare; occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum* (Scavini, l. II, n. 121).

usurpatio per se est peccatum veniale a Decalogi præcepto prohibita. 1) *Peccatum* est, quia lædit reverentiam divino Nomini debitam. Hinc illud: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo* (Eccli. XXIII) — 2) *Per se;* nam sæpe culpa caret ob inadvertentiam — 3) *Veniale* tamen; quia reverentia illa non graviter læditur: attamen evadere potest mortale ob contemptum formalem vel iram gravem, quia tunc de blasphemia participaret.

Quod dicitur de Dei Nomine, idem servata proportione valet etiam de nominibus Sanctorum, qui reverentia digni sunt.

In ira usurpare dæmonem sine imprecatione non est per se peccatum, cum diabolo nulla debeatur observantia. Assidua tamen ejus nominatio non decet christianum, tanto minus ecclesiasticum (*S. Alph.*, l. III, n. 131).

791. **Blasphemia**. Definitur *locutio contumeliosa in Deum*. Dicitur *in Deum,* consideratum nempe in se, vel in suis Sanctis et creaturis prout ad Deum referuntur, quatenus nempe in iis elucet specialis divina perfectio, v. g. sanctitas, bonitas, sapientia. *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in Sanctos effecit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat,* ait Angelicus (2, 2, q. 13).

792. *Divisio.* Blasphemia multiplex distinguitur:

I. Alia est *directa,* quæ Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi, et dicitur *diabolica.* Alia *indirecta,* cum quis advertenter quidem profert verba blasphemiæ; sed absque directa intentione Deum inhonorandi, uti ordinarie.

II. Alia est *simplex* (seu *mere probrosa),* si nempe præter blasphemiæ malitiam aliam non includat. Alia *hæretica,* si contineat etiam hæresim, uti si quis dicat Deum esse fallibilem. Quod si hæc proferens ore, non credat corde, tunc habetur blasphemia *hæreticalis.* Alia est *imprecativa,* cum quis Deo malum imprecatur, v. g. si dicat: *pereat Deus.* Tandem alia *dehonestativa,* si vera de Deo pronuntiet, sed per contemptum, ex ira et malo animo erga Deum.

III. Alia est *immediata,* si nempe Deum ipsum immediate afficiat. Alia *mediata,* si mediate tantum Deum inhonorat, sed directe feratur in Sanctos, in res sacras, aut creaturas prout ad Deum referuntur (1).

(1) Est etiam blasphemia *cordis,* si in animo tota sistat juxta illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Item blasphemia solius *operis*, ut si quis irato contra Deum animo in cœlum expuit. Sed vulgo hæc non habentur ut blasphemiæ proprie dictæ, nec ideo pœnæ incurruntur.

793. An vero in Confessione sit explicanda diversitas blasphemiarum et ideo teneatur de illis inquirere confessarius, affirmant, si istæ addant novam malitiam; tunc specie differunt. Ideo est explicanda quæ prolata est *ex desperatione;* nam est etiam contra spem. *Hæretica,* quia est etiam contra fidem. *Hæreticalis,* quæ est contra præceptum fidem exterius profitendi. *Imprecativa* utpote contra caritatem Dei; item *dehonestativa,* cum Dei contemptum manifeste contineat.

An vero blasphemia contra Deum differat specie a blasphemia contra Sanctos, negandum videtur; quia istæ blasphemiæ æqualiter adversantur virtuti Religionis. Qui blasphemant in Sanctos, verius nonnisi contra latriam peccant; cum omnes blasphemiæ suam malitiam desumant ex una relatione ad Deum *(S. Alph.,* l. III, nn. 122, 131).

794. **Principia**. I. Blasphemia formalis et deliberata sive directa sive indirecta, sive mediata sive immediata est peccatum mortale ex toto genere suo; quælibet enim contumelia in Deum graviter offendit ejus majestatem. Hinc Levit. XXIV: *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.* D. Hieronymus ait: *Nihil horribilius blasphemia quæ ponit in excelsum os suum* (l. VII in Is.); et d. Thomas (2, 2, q. 13, a. 3): *Omne peccatum comparatum blasphemiæ levius est.*

II. In blasphemos animadvertit tum *jus pontificium,* quod vult intra mensem ex Decreto S. Officii denuntiandos, si blasphemia prolata sit serio, advertenter et cum pertinacia (hoc tamen in desuetudinem abiit); tum *jus episcopale* blasphemos reservationi subjiciendo; tum *jus civile,* attamen penes gubernia, quæ omnem moralitatis sensum non projicerunt.

III. Venialis esse potest blasphemia, non quidem ex genere suo; sed ex defectu advertentiæ et deliberationis. Uti si quis ira, vel alia passione abreptus subito prorumperet in verba blasphemiæ eorum gravem significationem non advertens, neque iis assuetus.

IV. Iis qui pessimam blasphemandi consuetudinem contraxerunt, ne facile confessarii credant, cum se excusant a malitia blasphemiæ dicentes, se id egisse sine advertentia et involuntarie ex habitu, si illum extirpare non curent per aliqua adhibita remedia. Puto semper adesse in blasphemando aliquam advertentiam saltem confusam de malitia illius prolationis; ira enim aut habitus ordinarie non ita intellectum obtenebrant, ut penitus ad malitiam blasphemiæ non advertatur, licet ipsa reflexe non cognoscatur *(S. Alph.,* l. III, n. 127).

795. **Resolutiones:** 1) Non est blasphemia dicere: *Nego Deum, si te non percussero;* qui ita loquitur, vult tantum significare quod certe percutiet. Neque dicere: *Hoc est verum, sicut Deus;* non enim æquiparatur veritas creata increatæ, sed quædam innuitur similitudo hyperbolica. Neque dicere: *Corpo di Dio, Sangue di Cristo, me la pagherai;* nam hæc ordinarie non proferuntur in Deum irrisorie, sed vane usurpantur ad aliquid firmandum. Item si simpliciter dicatur: *per Dio.* Item non peccat graviter qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ut ita ad verum sensum non attendat.

2) Hæreticaliter blasphemat qui ex animo dicit: *Dio non ha cura di me, tutti i malanni a me;* cum de omnibus illi sit cura. *Dio non è morto per me,* cum pro omnibus sit mortuus. *Dio è parziale,* cum non sit acceptor personarum. *Dio non si ricorda di me;* cum nullius possit oblivisci. Attamen ut plurimum, talia proferentes a gravi excusantur (etsi redarguendi), cum hæc proferant ex inconsideratione vel potius ex doloris gravitate.

3) Erit vera blasphemia dicere: *Male eveniat Ecclesiæ, maledictum Pascha, nego Sacramenta, Deus non est justus.* Qui ea profert indignatur Deo vel ei quod specialiter ad illum ordinatur.

4) Monet Gousset: Parochi et confessarii dum incutiunt maximum blasphemiæ horrorem, caveant ne inter blasphematores eos complectantur, qui ex pravo tantum habitu usurpant nomen Dei, et passim proferunt verba: *Cristo, Sacro Dio, Sacramento,* etc. Neque item blasphemiæ proprie vocari possunt imprecationes quæ fiunt dicendo: *Per Cristo, per Dio santo,* etc. Quæ locutiones plerumque e subita commotione proferuntur, nec proprie blasphemiam includunt; sed solum ex ira jactantur contra homines, belluas aut entia inanimata. Attamen gravia esse possunt peccata ratione gravis scandali (1).

5) In ira imprecari sibi vel aliis dæmonem, fulgura, mortem, etc., non est blasphemia; sed dira imprecatio, de qua d. Thomas: *Secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur; unde Levitici* xx: Qui maledixerit patri suo et matri, morte moriatur (2, 2, *q.* 76, *a.* 3).

6) Maledicere defunctis non est blasphemia; cum animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat, prout sunt creaturæ Dei, vel a Deo dilectæ. Imo plerumque neque mortale est: quia per id eisdem neque in se, neque ex mente proferentium infertur gravis injuria: 1) Non in se, quia vox *mortui* magis referenda est ad corpus quod moritur, quam ad animam quæ semper vivit — 2) Non ex mente proferentium (uti supponitur), quia mortuis maledicentes non inten-

(1) Ad rem d. Thomas (2, 2, q. 72, a. 21): *Verba in quantum sunt soni quidam non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum significant aliquid, quæ quidem significatio ex interiore prodiit. Et ideo in peccatis verborum maxime considerandum est ex quo affectu aliquis verba profert.*

Et q. 76, a. 3: *Contigit verbum maledictionis prolatum esse veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum levi ex motu vel ex ludo aut ex subreptione aliqua talia verba proferuntur, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* Item ad rectum judicium in hac re attendant confessarii et parochi tum ad mores eorum qui nominibus abutuntur, tum maxime ad significationem quæ in tali regione iis adnectitur; quædam enim verba habentur ut blasphemiæ in uno loco, non in alio. *Gousset.*

dunt mala adprecari animabus defunctorum; sed exprobrare vivos, ad quos maledictiones ad instar injuriæ referuntur (*S. Alph.*, l. III, n. 130).

7) Maledicere *toti mundo* verius est mortale (nisi intelligatur ille mundus, qui virtuti adversatur, ut plerunque intelligunt rudes): in ipso enim totaliter sumpto specialiter elucet Dei bonitas, sapientia ac potentia. Adeo verum est, ut jurare per cœlum et terram habeatur ab omnibus uti firmum juramentum (1).

8) *Maledicere rebus irrationabilibus*, v. g. fulguri, *in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum, et per consequens illicitum,* nempe veniale est ex d. Thoma, 2, 2, q. 76. Imo nullum peccatum est si creaturis irrationabilibus maledicatur propter aliud, v. g. tempestati, quia devastavit vineas: sic David sine peccato maledixit montibus Gelboe, scilicet propter cædem populi quæ in eis contigerat (*S. Alph.*, l. III, n. 129; et *Scavini*, l. II, nn. 265 et seqq.).

796. *Casus.* Cum Pirro relatum sit ejus infantem obiisse eo quod in Baptismo adhibita fuit aqua nimis frigida, exclamavit: *Maledicta sit illa aqua et consuetudo, necnon qui eam invenit.* R. Si maledictio tantum cadat in aquam uti talem, abstractione facta ab aqua benedicta et a materia Sacramenti, ut apparet ex maximo mœrore patris ob mortem filii, non erit blasphemia. Item non erit illi maledicere qui hanc consuetudinem invexit si ex ignorantia vel subita ira pater arbitrabatur illum esse homicidii auctorem. Secus si probe noscat illam a Domino esse præscriptam, et id advertenter pronuntiaverit. *Episc. Bersani.*

797. **Blasphemiæ remedia.** Ad extirpandum hoc execrabile vitium propter quod venit ira Dei super gentes et nationes, nulli est parcendum labori. Porro quoties quis blasphemat confessarius utiliter illi præcipiet, ut toties ad pedes Crucifixi genuflectat et veniam petat ipsum osculando. Item ex corde sæpe proferat salutationem: *Laudetur Jesus Christus.* Serio etiam perpendat et gravitatem blasphemiæ, quæ est damnatorum propria, et ingens quod præbet audientibus scandalum, et immanem quam Deo irrogat injuriam. En peccatum grande nimis, quod calce abjicit Deum et munera sua; quæque nisi ab initio eradicetur, erit certum reprobationis signum (2).

Art. 2. — De Sacrilegio ac Simonia.

798. **Sacrilegium.** Sacrilegium est *violatio sacrorum*, sive *est loci, personæ aut rei divino cultui dicatæ indigna tractatio.* Est peccatum ex genere suo lehtale, quia ex se gravem Dei

(1) Maledicere *diabolo* raro est mortale; quia ipse fere semper solet maledici, uti auctor malorum vel Dei inimicus; quo sensu, abstrahendo ab impatientiæ actu, neque veniale est (*S. Alph.*, l. III, n. 131).

(2) Item curet ut adscribatur Societati pro blasphemiarum reparatione institutæ et pluribus indulgentiis ditatæ a Pio IX (*Scavini*, l. II, n. 268. Sarnelli, *Opera contro la bestemmia.* Della bestemmia, *considerazioni famigliari ed esempi*; Prato, 1870. La bestemmia, *avvertenza al popolo*, Torino, 1856).

injuriam semper involvit; cum sacra referantur ad Deum, ut ait d. Thomas (2, 2, q. 99). — Sed notandum: ut aliqua actio sit sacrilegium, debet violari locus, vel persona vel res quatenus sacra est; unde si quis male loquatur de aliquo qui votum castitatis habeat, istius detractio non induit naturam sacrilegii formalis. Quia iste est Deo sacer quoad corporis et animæ munditiem, non vero quoad famæ integritatem (*Scavini,* l. II, n. 269).

Potest tamen esse veniale ratione parvitatis materiæ, vel defectu plenæ advertentiæ (*S. Alph.,* l. III, n. 34).

799. *Divisio.* Sacrilegium aliud est *personale,* aliud *locale,* aliud *reale.* Sunt tres species distinctæ in Confessione aperiendæ; cum alia sit sanctitas loci, alia rei, alia personæ (*D. Thomas,* 2, 2, q. 99, a. 3).

I. *Personale* respicit violationem, sive indignam tractationem personæ sacræ; persona porro Deo sacratur vel per sacram Ordinationem, vel per Statum religiosum, et probabilius etiam per votum simplex castitatis. Quæ violatio præcipue committi potest: *a*) Violentas inferendo manus in clericum. *b*) Ecclesiasticos subjiciendo foro laicali, nisi legitime cessaverit privilegium exemptionis. *c*) Luxoriose violando personam Deo per votum castitatis dicatam.

II. *Locale* respicit violationem loci Deo sacri, qui ad divina officia et mortuos tumulandos destinatus est. Multipliciter potest evenire; nempe: *a*) Fores Ecclesiæ publicæ effringendo, evertendo altaria, bona eripiendo, vel hominem violenter sine permissione ab Ecclesia publica etsi interdicta et polluta extrahendo. *b*) Polluendo Ecclesiam modis descriptis t. II, n, 551. *c*) Exercendo in Templo actionem profanam, quæ adversetur loci sanctitati, ut sunt mercatus, publica convivia, ludi histrionum; item rixari, inebriari, non tamen mentiri, detrahere, etc. Aliqua moderata deambulatio in Ecclesia aut privata comestio etiam sine necessitate non videtur grave, remoto scandalo.

III. *Reale* est indigna tractatio rei sacræ distinctæ a loco et persona. Res dicitur sacra *vel* quæ sanctitatem producit, ut Sacramentum; *vel* quæ sacrum significat, uti verba Scripturæ; *vel* quæ sacra repræsentat, uti imagines Sanctorum, et cæremoniæ sacræ; *vel* quæ est Sanctorum particula, ut Reliquiæ; *vel* quæ ad cultum et Ecclesiæ ornamentum pertinet, uti sunt bona ab Ecclesia jam possessa; *vel* quæ ad ministrorum sustentationem deputata sunt, sed natura sua (ut ait *d. Thomas,* 2, 2, q. 99, a. 3), uti est ecclesiasticum beneficium. Hinc erit sa-

crilegium reale bona ecclesiastica usurpare; item uti verbis S. Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, etc. (Tridentinum id vocat *temeritatem ac violationem Verbi Dei).* Item ad Sacrificium adhibere vasa sacra, aut corporalia enormiter immunda, vel permittere, ut in pyxide corrumpantur Particulæ *(S. Alphonsus,* l. III, n. 35) (1).

800. **Furtum in Ecclesia.** Legitur in Jure canonico: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Dubium esse potest de furto rei, quæ per accidens in Ecclesia reperiatur, ut si quis alterius crumenam vel horologium subtiliter in Ecclesia surripiat. Alii negant hoc furtum sacrilegium esse; quia nihil Ecclesiæ interest de alterius crumena vel horologio. Alii probabilius affirmant; cum semper verificetur, quod talis furetur non sacrum sed in sacro (2).

801. Vasa sacra et vestes item sacræ, absque sacrilegio in usum profanum converti possunt; attamen, si totaliter immutentur, ita ut ad communem materiam possint deduci, ut si calix reducatur ad massam argenteam. Secus autem si totaliter non immutentur: hinc non licet ex veteri casula vestes profanas reficere, nec ornamenta sacerdotalia ad usus profanos applicare; sacra enim sunt. Quæ tamen non benedicuntur, ut tapeta, candelabra, etc. licite venduntur, uti sunt *(S. Alph.,* l. III, n. 41).

802. Calices aliaque vasa sacra unctione consecrata sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda vel fundenda, non debent a sacerdote execrari, id est ictu manus aut instrumenti quasi despici, ut hoc modo rejecta habeantur. Ex S. R. C. 20 apr. 1822.

Casus. Alanus parochus fontem baptismalem ex supina negligentia ab immunditia longo tempore non custodit, laceras Albas, Casulas, et sacra Vasa fracta refici non curat; purificatoria et corporalia sordibus obducta ad Missam adhibet. De sacrilega irreverentia admonitus respondet, hæc tantum esse levia peccata omissionis; ideo nec sacrilegia — R. Pessime sensit Alanus: quamvis enim plerunque sacrilegium sit peccatum commissionis; in dictis tamen casibus vere est peccatum omissionis; quia omissio debitæ curæ non minus cedit in irreverentiam gravem rerum sacrarum, quam quævis alia indigna tractatio earundem. Hic c. *Reliqui noluimus,* l. III, t. XLIV de cust. Euch. habetur: *Præcipimus ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta prædicta munda et nitida conserventur; nimis*

(1) Item sacrilegium est uti casula vel planeta in comœdiis ad fingendam personam sacram. Item c. 40 *de cons. dist.* 1 vetitum est cadavera mortuorum involvere sacris indumentis, nisi agatur de altaris ministris. *S. R. C.* 12 *nov.* 1830.

(2) Non est sacrilegium furtum in claustris nec in oratoriis privatis. Esset tamen ut recte putat Sanchez, furtum in Oratoriis seminariorum, hospitalium, quia habentur ut publica; etsi non benedicta ab Episcopo *(S. Alph.,* l. III, n. 39).

enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Voit.

803. **Pœnæ in sacrilegos.** Præter perpetuam inhabilitatem ad Missam post criminis declarationem contra abutentes Missæ sacrificio ad sortilegia ex Benedicto XIV, hæ latæ sunt pœnæ in sacrilegos a Pio IX Constit. *Apostolicæ Sedis:*

1) Est excommunicatio specialiter reservata Pontifici tum in offendentes proceres Ecclesiæ; tum in usurpantes Ecclesiæ bona ad ecclesiasticos pertinentia ratione suorum ecclesiasticorum beneficiorum aut ecclesiarum; vel ad Principatum romanæ Ecclesiæ *(vide supra* nn. 573, 583, 588).

2) Est excommunicatio simpliciter Pontifici reservata tum in clericorum percussores; tum in usurpantes alia bona Ecclesiæ, quæ ad ecclesiasticos non pertinent ratione suorum beneficiorum ecclesiasticorum aut ecclesiarum (*vide* nn. 596, 629).

3) Est excommunicatio lata, sed nemini reservata in alienantes et recipere præsumentes bona Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico *(de qua vide* nn. 625 et seqq.).

804. **Simonia.** *Nomen simoniæ a Simone mago acceptum est, de quo legitur* Actorum III, *quod obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, ut scilicet quibuscumque manus imponeret, reciperent Spiritum Sanctum* (s. Thomas, 2, 2, q. 100). Hinc patet quid sit simonia: est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale vel spirituali adnexum.* Emptio et venditio necesse non est, ut executioni mandentur: sufficit ut malitiose intendantur; voluntas enim peccatum facit, ideo dicitur *studiosa voluntas.*

805. **Simoniæ divisio.** Multiplex distinguitur simonia:

I. *Mentalis:* est datio rei spiritualis pro temporali (vel temporalis pro spirituali), quin exterius appareat intentio illa prava. Hujus simoniæ reus est qui Episcopo præstat temporale famulatum, ex intentione occulta obtinendi Canonicatum.

II. *Realis:* est pactio simoniaca ex utraque parte completa, saltem inchoative, uti si pars pretii temporalis, etsi minima, jam soluta fuerit, et res spiritualis ob id jam tradita.

III. *Conventionalis:* est pactio exterius inita dandi vel accipiendi rem temporalem pro spirituali: uti si quis de præstando famulatu conveniret cum Beneficii ecclesiastici patrono, addito pacto expresso, ut ad idem Beneficium suo tempore nominetur. Si pactum a neutra parte sit executum, dicitur: *pure conventionalis.* Si ab una tantum parte, *conventionalis mixta,* quia participat aliquid de reali.

IV. *Confidentialis* est, qua quis alteri confert aut procurat ecclesiasticum beneficium sub expresso vel tacito pacto simoniaco. Hoc evenit quatuor modis ex Pio IV, et Tridentino: 1) *Per accessum*, uti cum prælatus volens alicui per ætatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri eo pacto, ut incapax factus capax ad illud accedat, illudque consequatur. 2) *Per ingressum*, si ecclesiasticum Beneficium collatum, sed nondum possessum, quis resignet, puta Petro sub pacto, ut ipsum Beneficium ingrediatur idem resignans, si Petrus moriatur vel illud dimittat. 3) *Per regressum*, cum quis Beneficium ecclesiasticum a se possessum renuntiat in favorem alterius in manu Episcopi, sed cum certa confidentia et pactione quod postea vel ad ipsum renuntiantem vel ad aliam personam beneficium sit regressurum. 4) *Per stipulationem pensionis*, quando quis procurat alteri ecclesiasticum Beneficium sub pacto expresso vel tacito, ut hic sibi vel alteri a se designando, omnes ejusdem Beneficii fructus, vel partem tribuat, aut pensionem solvat.

V. Simonia alia est *juris divini* seu potius contra jus divinum; alia tantum *juris ecclesiastici*, seu contra jus canonicum. Prima est commutatio rei temporalis pro spirituali qua talis est. Secunda est pactio quælibet, quæ ab Ecclesia sub simoniæ labe prohibetur ob periculum illius (*S. Alph.*, l. III, n. 49).

806. **Principia.** I. Simonia est peccatum gravissimum, et si sit juris divini et naturalis materiæ parvitatem non admittit; nam res quaslibet spirituales æstimare instar rerum temporalium est semper grave in Deum vilipendium. Hinc d. Petrus ad Simonem Magum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei æstimasti pecunia possideri.* Et in Jure canonico appellatur *execrabile flagitium, nequitia, pestis, exitiale monstrum.* Et opponitur non solum Religioni, sed etiam justitiæ; nam res spiritualis æstimatur temporali pretio, cum sit supra omne pretium. Imo quædam species sacrilegii est; cum irreverenter res sacras pertractet. Sic esset simonia Juris divini temporale dare vel accipere præcise uti pretium Sacramentorum, Sacramentalium, Reliquiarum, vel pro potestate spirituali Ordinis aut jurisdictionis, pro applicanda Indulgentia, pro divinis Officiis recitandis, pro concione pronuncianda, etc. (1).

(1) S. Congr. Indulgentiarum 21 dec. 1878, probante Leone XIII, districte præcipit, ne christifideles sub quolibet prætextu etiam redimendi sacras reliquias et Sanctorum exuvias capsulæ, reconditas et sigillo munitas emere vel mercari præsumant.

Item vendere ecclesiastica beneficia, probabiliter etiam solum jus præsentandi ad beneficium etc. *(D. Thomas 2, 2, q. 100)* (1). At probabiliter non est simonia vendere jus sepulturæ, vel sepulturam in loco sacro; nam locus ille habet valorem antecedenter ad consecrationem (2).

II. Si simonia sit juris humani datur parvitas materiæ, quia ista simonia non ideo interdicitur, quasi pro re spirituali detur temporale pretium; sed prohibetur tantum ad cavendum omne simoniæ et avaritiæ periculum. Hoc sensu prohibetur ne quidquam etiam gratis et sponte detur aut accipiatur occasione examinis ad parœciam (pro ipso examine esset simonia juris divini). Item vendere officia Procuratoris, sacristæ, defensoris Ecclesiæ; vendere oleum vel chrisma benedictum etiam sponte oblatum occasione collationis Ordinum, etiam primæ Tonsuræ (excipe candelas et emolumenta, quæ permittuntur a S. Sede); Beneficium ecclesiasticum cum alio ecclesiastico commutare sine licentia, etc. *S. Alph.,* l. III, nn. 49 et seqq. (3).

807. Nomine *rei spiritualis* in simonia intelligitur omne, quod vel ex se, vel ex institutione Dei aut Ecclesiæ pertinet ad ordinem bonorum spiritualium. Alia porro sunt spiritualia *in se ipsis et natura sua,* v. g. dona Spiritus Sancti et gratia sanctificans. Alia *causaliter*, quatenus sunt causa donorum spiritualium, v. g. Sacramenta et Sacramentalia, orationes publicæ et privatæ. Alia *effective,* quæ a causa spirituali procedunt, ut dispensatio votorum, jurisdictio pro confessariis, relaxatio censuræ. Hæc autem tribuere ut talia sunt pro pretio temporali simonia est proprie dicta, seu divini juris.

808. Per illud *vel spirituali adnexum*, intelligitur quidquid

(1) Item est dare spirituale principaliter ob temporale, vel contra: esset si Titius avarus donaret ingentem summam Sempronio, qui ad ecclesiasticum Beneficium nominare debet: esto quod videatur liberalis donatio; at considerata qualitate personæ donantis, quæ est avaritiæ dedita, ac qualitate rei donatæ quæ apta est ad mentem alterius pervertendam, si postea fere statim Beneficium detur, merito censetur datum principaliter ob pretium temporale.

(2) Parentes et hæredes non habent jus eligendi proprio arbitrio ecclesiam pro funere suorum defunctorum. Si defunctus nihil disposuerit, præsumitur se accommodasse ad juris communis dispositionem, ut nempe sepeliatur in ecclesiæ parochialis cœmeterio. *S. Concilii C.* 28 *jan.* 1764; *jan.* 1870.

(3) In simonia juris ecclesiastici ideo datur parvitas materiæ, quia in hac non fit proprie injuria rei sacræ; sed tantum Ecclesiæ præceptum violatur. Imo sunt qui docent posse dari parvitatem materiæ etiam in simonia juris divini, ut si dentur patrono fructuum primitiæ; cum id rationem pretii habere nequeat. Quod tamen alii communiter negant. Cæterum omnes excipiunt, si agatur de examinatoribus pro ipso concursu ad parœcias; cum tunc interdicatur, *ne quidquam prorsus* recipiatur *(S. Alph.,* l. III, n. 50).

cum re spirituali conjungitur. Temporale autem spirituali adjungitur: 1) *Antecedenter;* et est quod ordinatur ad spirituale, uti sunt vasa et olea sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum confectionem et usum, corona deprecatoria, ædes sacræ — 2) *Concomitanter:* et est quod intrinsece conjungitur cum re spirituali, quod proinde ab ipsa separari non potest, v. g. labor corporalis qui necessario insumitur in Missæ celebratione, aut alia re sacra peragenda — 3) *Consequenter:* et est cum præsupponitur aliquid spirituale tanquam causa seu radix: sic jus percipiendi reditus ecclesiasticos præsupponit officium ecclesiasticum uti sui causam. *D. Thomas, 2, 2,* q. 100, a. 4.

Resolve: I. Per se licitum est vendere temporale, quod *antecedenter* adnexum est spirituali, ut argentum calicis. Nam illa res semper retinet suum valorem intrinsecum a re spirituali independentem; nulla tamen in pretio habenda est ratio consecrationis (1). Dixi *per se;* jure enim ecclesiastico excipitur Beneficii ecclesiastici commutatio; item Chrismatis, atque olei benedicti venditio.

II. Quæ sunt adnexa rei spirituali *concomitanter*, nequeunt vendi: secus res spiritualis venderetur; cum sint ab ea inseparabilia atque intrinseca. Hinc tempus, quod stricte necessarium est ad Missæ celebrationem, non est pretio æstimabile. Quod si pro tali Missa pretium tribuitur, id est ratione stipendii, ac mercedis: *Quis enim militat suis stipendiis* (I Cor. IX)? Esset tamen pretio æstimabilis Missæ cantus, locus, tempus ad celebrandum specialiter indictum: cum sit quid extrinsecum, neque necessario cum Missa conjunctum (2).

III. Pariter nec ea, quæ *consequuntur* rem spiritualem, vendi possunt; quod enim est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit et se habet veluti illius accessorium: si ergo principale nequit vendi, neque quod ex illo necessario sequitur. Hinc simonia est vendere jus vivendi de bonis monasterii, ut-

(1) Ad rem d. Thomas: *Vasa sacra nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate ecclesiæ possunt vendi ex parte ejus quod in eis non est spirituale, scilicet materia auri et argenti. Et tunc si venduntur ecclesiasticæ personæ possunt integra vendi; si autem venduntur aliis non ad usum ecclesiæ, debent prius frangi præmissa ratione, ne sancta ab aliis tractentur quam a ministris Ecclesiæ* (In 4, dist. 25, q. 3, a. 1, q. 3).

(2) Item quæ dantur quasi stipendia non immerito æstimantur ex re quoque spirituali quæ datur, ut in Bullis beneficiorum vel testimonialibus Ordinum collatorum. Scilicet æquum est ut in substentationem ministrorum plus conferant qui plus lucri vel dignitatis habent. *D'Annibale.*

pote adnexum consequenter ad professionem religiosam, quæ spiritualis est.

809. Per illud *emendi vel vendendi* comprehenduntur omnes contractus onerosi sive temporale detur ut pretium rei spiritualis, sive ut principale motivum ad acquirendum spirituale, sive tanquam gratuita rei spiritualis compensatio, ut definivit Innocentius XI *(propositione* 45 *damnata)*. Hinc nihil dari vel accipi potest pro actibus jurisdictionis spiritualis, non solum pertinentibus ad forum conscientiæ, ut est absolutio a peccatis, et Sacramentorum administratio: sed etiam ad forum externum, ut est dispensatio in votis, in juramentis, ab irregularitate, a bannis, ab impedimentis matrimonii, a jejunio, a festis, a censuris, etc. Nam hujusmodi actus sunt spirituales tum ex parte causæ efficientis, quæ est ecclesiastica potestas; tum ex parte finis, cum ordinentur ad salutem animæ. Potest tamen aliquid exigi per modum mulctæ ad causam piam, vel sustentationis.

810. Nomine *pretii temporalis* intelligitur quidquid gravamen temporale importat, quod reduci solet cum d. Thoma (2, 2, q. 100, a. 5) ad munus a manu, a lingua, ab obsequio.

I. *Munus a manu* est pecunia, seu bonum quodcunque temporale pretio æstimabile, quod quasi manu tribuitur. Esset munus a manu, si darem aliquam rem spiritualem cum pacto, ut alter remittat mihi debitum; vel etiam, ut mutuum mihi suppeditet. Usus enim pecuniæ aliis concessus est prætio æstimabilis ob temporalem quam mutuatario affert utilitatem *(S. Alphonsus,* l. III, n. 56).

II. *Munus a lingua.* Hoc nomine intelliguntur laudes, favores, commendationes, preces, etc.; quia hæc solent communi sensu temporaliter æstimari. Esset munus a lingua in Episcopo si dicat alicui: *Non conferam tibi Beneficium, nisi talis me roget;* conferret enim motus favore humano, qui æstimabilis est. Secus si simpliciter conferret ad preces alterius, nullo habito respectu ad favorem acquirendum *(S. Alph.,* l. III, n. 63).

III. *Munus ab obsequio* est omne, quod pertinet ad servitutes, quæ exhibentur ad finem obtinendi quidpiam spirituale. Uti esset si Prælatus Beneficium ecclesiasticum famuli filio conferret, ut famulus gratis sibi serviat; vel ut ejus famulandi munus sic compensetur. Pariter clerici, qui temporaliter inserviunt Episcopo, ut in munere œconomi temporalis, expectantes pro retributione aliquid spirituale, simoniaci sunt. Secus si serviant in spiritualibus, v. g. in munere prædicatoris, vicarii ge-

neralis, cancellarii, cæremoniarii, etsi stipendium accipiant; nam *ecclesiasticis utilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere (S. Alph.,* l. III, n. 61).

811. **Resolutiones**: 1) Non est simonia, si temporale pro spirituali vel contra, detur omnino gratis, et sine ullo neque implicito pacto tam ex una, quam ex altera parte. Nam ex jure: *illud gratanter recipi potest, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Excipe tamen ex jure canonico quod recipitur occasione examinis ad Parochiam, vel Ordinum collationis.

2) Non est simonia si aliquid temporale detur Ecclesiæ ministris per modum stipendii pro sacris functionibus, Missis, funeribus, benedictionibus, etc.; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et licet sacerdos mediante stipendio, se obliget ad celebrandum, ad funerandum, benedicendum (qui secus recusaret), non ideo commutat temporale in spirituale; sed in pactum deducit tantummodo justum stipendium, non vero pretium rei spiritualis. Spiritualia enim debent administrari gratis; ita tamen ut non excludatur jus sustentationis *(D. Thomas,* 2, 2, q. 100, a. 2 et 3).

3) Non est simonia si tribuas aliquod temporale ad obtinendum quod tibi ex justitia debitum est; hoc enim est se redimere ab injusta vexatione, ut si quis tribuat pecunias homini malevolo, ne ab ipso injuste infametur et a beneficio, ad quod jus habere potest, iniquiter arceatur *(D. Thomas,* loco cit. a. 5).

4) Non est simonia alicui beneficium conferre ob parentelam, nisi (excipit d. Thomas) conferendo intendat bonum aliquod sibi vel familiæ obventurum, v. g. ut ditescat: *Si aliquis,* ait, *aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca; quia nihil accipit, unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis in quo fundatur simonia.* Item non committit simoniam qui obtinet beneficium per fictam pecuniæ promissionem non impletam, quia non adest studiosa voluntas emendi, etsi graviter peccat.

5) Non est simonia ex eodem Angelico (etsi res periculosa sit) eleemosynas monasterio erogare, ut facilius, sed ex gratitudine in illud admittatur; nam nullum jus prohibet bene mereri de eo, qui nobis aliquando benefacere potest. Item neque dare pauperi eleemosynam ut oret pro nobis; non enim intendimus sic orationes emere, sed allicere tantum ut gratis oret. Item neque ita allicere pueros ad doctrinam frequentandam. Neque promittere puellæ dotem si ingrediatur in monasterium; quia hæc est simplex donatio licet sub conditione, quæ non addit onus. Secus si imponeretur obligatio ingrediendi.

6) Non est simonia aliquid accipere pro explicanda Sacra Scriptura aut tradenda doctrina christiana, si fiat ratione sustentationis; vel si instructio sit mera scientifica: tunc per se non ordinatur ad animæ salutem, sed ad illustrandum intellectum; omnis enim doctrina, qua doctrina est, aliquid est naturale, quippe quæ materialiter comparatur et traditur. Hinc si super casibus conscientiæ consultus respondeas, mercede accepta, simonia non est. Item per se simonia non est aliquid exigere pro Missa supra taxam, si exigat ratione stipendii, etsi peccet contra obedientiam.

7) Non est simonia alicui dare aliquid temporale, ut is pro seipso spirituale aliquid præstet, v. g. si servum libertate donem ut mona-

chus fiat, alias in servitutem recasurum. Nam et qui dat, gratis dat; et qui accipit, nihil reddit; ideo est donatio sub modo in commodum solius accipientis. Item neque ducere mulierem, si profiteatur catholicam fidem; capite damnato pœnam remittere ea lege ut baptizetur. Limitant tamen modo non imponatur stricta obligatio hæc præstandi *(S. Alphonsus,* l. III, n. 59).

8) Neque simoniam est, si parochus impeditus ad officia parochialia implenda deputet alium sacerdotem statuta mercede; id enim non est tribuere temporale pro spirituali; alioquin neque ipse parochus posset temporalia accipere pro spirituali parœciæ regimine. Id est stipendium laboris; qui enim operam suam præstat, est mercede dignus; nemo sane militat suis stipendiis unquam.

812. E contrario simoniacum esset:

1) Pecuniam dare competitori, ut desistat a tecum concurrendo, ut contra nonnullos recte docent cum d. Thoma (2, 2, q. 100, a. 12): *sic enim* (ait) *per pecuniam pararetur via ad rem spiritualem obtinendam.* Imo excommunicatio incurritur latam in reos simoniæ realis; ratio est, ait Lessius, quando datur pecunia ei qui potest prodesse, vel justum impedimentum ponere, nempe simul concurrendo, censetur illum inducere ad non opponendum quod juste posset opponere, et ita illi directam et propriam viam sternere ad beneficium ob temporale bonum: quod simoniacum est in re beneficiaria. Quamvis autem ex sola traditione pecuniæ non habeatur nisi simonia conventionalis pro qua nulla pœna; attamen semel ac beneficium tribuitur, simonia ex utraque parte completa est, et realis evadit; quæ ideo statim censura mulctatur. *Grüeber.*

2) Obire vel omittere præcise ob pretium temporale munia ecclesiastica, v. g. pro absolvendo vel non absolvendo aliquem a censuris. Item temporale tribuere superiori ad illum sibi conciliandum intuitu beneficii obtinendi, ideo intendendo beneficii consecutionem.

3) Item si quis ad rem spiritualem obtinendam his formulis utatur: *Ero tibi gratus, gratias reales tibi referam:* si per ea verba exprimatur intentio sese obligandi ad temporale pro spirituali erga alium, vel obligandi alium sibi ad spirituale pro temporali *(S. Alph.,* l. III, n. 53, etc.; *Scavini,* l. II, nn. 271 et seqq.).

§ UNICUS. — De Pœnis quibus Simonia punitur.

813. Solam simoniam juris divini esse obnoxiam censuris, verius videtur; quippe hæc sola propria significatione simonia est. Imo certum est nullam incurri pœnam ob simoniam *pure mentalem* juris etiam divini; quia culpæ mere internæ legibus Ecclesiæ non subjiciuntur.

Item nulla incurritur pœna ob simoniam *mere conventionalem,* cum actum non satis perfectum contineat; neque ob simoniam *conventionalem mixtam,* quum hæc quoque actum plene consummatum non præseferat, et suffragatur stylus Curiæ romanæ *(S. Alph.,* l. III, n. 105) (1).

(1) Excipe nisi conventionalis simonia committatur in electione romani Pontificis; cum pœnas ideo latas a Julio II, Pius IX in suo robore reliquerit.

814. Ex Constit. *Apostolicæ Sedis* Pii IX punitur tantum: 1) Simonia juris divini sive realis sive confidentialis, quæ admittitur in beneficiis ecclesiasticis (1): ideo pœnas non subeunt, licet gravi culpa non vacent, qui vendunt pensiones, officia, simplices coadjutorias, etc. — 2) Simonia item juris divini, quæ committitur ob ingressum in religionem, quæ vota solemnia habeat. Quare hodie nulla adest censura in collatione et receptione simoniaca Ordinum; si excipias suspensionem, quam incurrunt per triennium a collatione Ordinum Episcopi aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus ab ipso Episcopo non petat alimenta (v. *supra* n. 640).

815. **Pœnæ in simoniacos latæ.**

Primo: contra reos simoniæ realis in ecclesiasticis beneficiis quibuscunque est: 1) Ex Pio IX *excommunicatio* ipso facto Pontifici simpliciter reservata — 2) Ex Pio IV, et V *nullitas* electionis, præsentationis et canonicæ institutionis, ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus Beneficii facere suos — 3) *Inhabilitas* perpetua ad idem Beneficium obtinendum. Quæ pœnæ respiciunt etiam complices simoniæ realis; id est qui procuraverint seu mediatores extiterint, ut simonia fiat. Sed necesse est, ut ea perfecta sit, id est ut aliquid pretii sit persolutum et res tradita *(S. Alph.,* l. III, n. 112).

Secundo: rei simoniæ confidentialis seu *fiduciariæ* (quicunque sint) in beneficiis ecclesiasticis, ultra pœnas impositas contra reos realis simoniæ, incurrunt privationem omnium ecclesiasticorum Beneficiorum antea etiam obtentorum: non tamen probabiliter ante sententiam saltem criminis declaratoriam (2). Beneficium autem ecclesiasticum sic collatum et acceptatum manet Sedi apostolicæ reservatum, ex eodem Pio IV et V (3).

Tertio: propter simoniam realem ob ingressum in religionem incurritur ipso facto excommunicatio Papæ item simpliciter reservata ex Pio IX. Huic censuræ omnes subjiciuntur qui simo-

(1) Nomine ecclesiasticorum beneficiorum veniunt etiam Parœciæ, licet modo revocabili conferantur, uti in Gallia; nam ad rationem beneficii, ait Pirhing, satis est, ut in se ita sit perpetuum ut semper maneat, etsi transeat de uno in alium beneficiatum *(S. Alph.,* l. III, n. 693).

(2) Si tamen simonia sit commissa ab ipsis examinatoribus synodalibus, qui occasione examinis ad Parœciam aliquid recipiant, ipsi privantur ante omnem sententiam Beneficiis jam obtentis ex Tridentino, cum *nequeant e simonia absolvi nisi dimissis Beneficiis* (sess. XXIV, c. 18 *De Ref.*). Verum hæc pœna cum tanto rigore aut non est recepta, aut absolevit. [illegible]

(3) Si simoniacum pactum notorium fiat et juridice probetur, incurritur etiam infamia juris, ideoque irregularitas ex *Extrav.* [illegible]

niacum pactum ineunt, si illud utraque pars compleat circa ingressum in religionem cum votis solemnibus; sive dantes, sive accipientes, sive viri sive fœminæ, sive religiosi sive laici.

Ingredientes religionem duo consequuntur, nempe statum religiosum et alimenta. Pro *statu* pecuniam dare et exigere est simonia juris divini, ob quam censura incurritur, semel inita professione (per hanc enim proprie habetur et consummatur in religionis ingressum), et tributa pecunia. *Alimenta* autem exigere a novitiis, simonia non est; a professis, est simonia juris humani: ideo verius excommunicationi minime obnoxia. Et potest aliquid accipi ex d. Thoma, si recipiendus sit infirmus, senex, tum pro carentia servitutis, tum pro incommodo extraordinario sustinendo. Imo quoad moniales ubique, quoad viros vero pluribus in locis hæc quoad alimenta prohibitio non amplius obtinet; dantur enim titulo dotis, sustentationis, liberalitatis.

Ex capite autem penult. *de Electione* omnes electiones simoniacæ ad Generalatum, Rectoratum et quodlibet officium spirituale in Religione irritæ sunt ipso jure. Sed professio simoniace facta ex d. Thoma adhuc valida est *(S. Alph.,* l. III, n. 108).

816. Simoniace promotus, si ipso ignorante ab alio patrata fuit simonia, v. g. a patre, qui simoniace filio procuravit beneficium, non incurrit excommunicationem, cum hæc supponat culpam. Est tamen nulla ex jure ejus provisio, et ipse inhabilis fit ad illud beneficium. Excipe tamen: 1) Si beneficiatus sciens contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit Beneficium — 2) Si tertius commiserit simoniam ad hoc, ut illum redderet inhabilem ad Beneficium — 3) Si pacifice seu bona fide tres annos in Beneficii possessione fuerit. Nec obstat regula Cancellariæ, quæ requirit, ut Beneficium obtineatur *sine ingressu simoniaco:* nam intelligitur de eo, qui culpabiliter ingreditur *(S. Alph.,* l. III, n. 112).

817. **Absolutio a pœnis in simoniacos.** Quoad *excommunicationem* ob collationem Beneficiorum, vel ob admissionem in Religionem solus Papa ex jure potest absolvere, si simonia publica sit. Si occulta, possunt etiam Episcopi ex cap. *Liceat.*

Quoad *inhabilitatem*, si agatur de dispensando ad habenda alia beneficia, potest Episcopus ex Tridentino dispensare, modo simonia non sit confidentialis, ex s. Pio V: neque deducta sit ad forum contentiosum, quia tunc adesset notorietas infamiæ; et est recurrendum ad Datariam. Si vero agatur de dispensando quoad beneficium simoniace habitum, adhuc poterit Episcopus

dispensare, si simonia sit commissa, beneficiario ignorante. Et quidem in illa vacatione, si Beneficium sit simplex et antea renuntietur; in alia vacatione, si Beneficium ecclesiasticum sit majus, curatum, vel dignitas *(S. Alph.,* l. III, n. 118).

818. **Simoniace percepta**. Restituenda sunt generatim loquendo; cum omnis contractus simoniacus sit suapte natura nullus; idque jure firmatur. Non est tamen restituendum ante sententiam judicis, nisi agatur de materia beneficiaria in qua datum et acceptum lege ecclesiastica restitui debet ante omnem sententiam *(D. Thomas,* 2, 2, q. 100, a. 6) — Quo posito dicimus:

I. *Pretium temporale simoniace acceptum* (si excedit quod poterit a ministro exigi pro sua sustentatione, loquendo de Sacramentis) jure naturæ restituendum est danti, qui est adhuc dominus pretii soluti; cum dederit ex titulo falso. Hoc tamen intellige ante traditionem rei spiritualis; nam si jam res spiritualis tradita sit, tunc juxta alios pretium adhuc reddendum est danti ob nullitatem contractus; juxta alios Ecclesiæ in pœnam (1); juxta alios potest dari pauperibus (etiam sibi applicari, si vere egenus sit). Quæ sententiæ cum sint satis probabiles, simoniacum pretium poterit reddi uni ex dictis.

II. *Spirituale simoniace acceptum,* si sit Beneficium ecclesiasticum, ipso facto est dimittendum sive crimen sit occultum, sive publicum, simul cum fructibus injuste perceptis eos restituendo vel ecclesiæ beneficii, vel pauperibus, vel successori in beneficium; sed potest etiam obtineri compositio a Papa, sicque legitime retineri a possessore. At semper detrahendi sunt fructus respondentes labori; item neque fructus bona fide consumpti restituendi sunt, nisi qui eos consumpsit, ideo factus sit ditior (2).

III. Si spirituale simoniace acceptum sit diversa res a beneficio, nihil restituendum. Ratio quia cætera vel restitui nequeunt uti sunt Sacramenta; vel non sunt restituenda ante sententiam, uti Reliquiæ sacræ; cum id non præcipiatur.

IV. Acceptum pro admissione in Religionem, non est restituendum ei qui dedit, nisi post sententiam. Et interim potest retineri pro alimentatione communitatis (*S. Alph.,* l. III, n. 113).

(1) Id est ecclesiæ in cujus injuriam pecunia data fuit, ita tamen ut quantum fieri potest, qui peccaverint commodum non consequantur. Si vero Prælatus et totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris vel pauperibus vel alteri ecclesiæ erogari. *S. Thomas*, l. cit.

(2) Item valde probabiliter non sunt restituendi fructus percepti ratione stolæ et aliarum functionum, v. g. exequiarum, concionum, administrationis Sacramentorum; quia isti non dantur uti reditus beneficii, sed uti officii stipendia *(S. Alph.,* l. III, n. 111).

TRACTATUS SEXTUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

819. **Virtus theologica.** Est virtus infusa, quæ habet pro objecto immediato Deum uti auctorem gratiæ; per illam enim homo disponitur, elevatur et rectificatur circa ultimum finem supernaturalem. *Infusa,* quia nobis gratuito elargitur Deus.

Virtutes theologicæ tres numerantur ab Apostolo I *Corinth.* XIII: fides, spes et caritas. *Fides* qua Deum cognoscimus; *spes* qua nos Illum obtenturos aliquando speramus; *caritas* qua Ipsum amamus — Ratione originis primum locum tenet *fides,* cum sit initium omnis justificationis. Ratione præstantiæ *caritas,* dicente Apostolo: *major horum est caritas;* est enim perfectio cæterarum. Hinc pulchre Augustinus: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur* (Vide d. *Thomam,* 2, 2, q. 4, a. 7).

DISPUTATIO PRIMA

De Fide

820. **Fides.** Fides sumitur generatim *pro assensu quem adhibemus dictis alterius ob ejus auctoritatem:* si est ob auctoritatem hominis, fides est humana; si ob auctoritatem Dei, est fides divina.

821. *Definitio.* Fides prout est virtus, ad rem nostram com-

muniter definitur: *Virtus theologica* (nempe divinitus infusa) *qua movemur seu inclinamur ad libere ac firmiter assentiendum iis omnibus, quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis, et per Ecclesiam nobis credenda proposita* (1).

Dicitur *Divinitus infusa:* quia fides nostra, cum sit donum supernaturale divinum, naturales animi vires excedit; ideo ad illam requiritur gratiæ divinæ auxilium juxta illud Philipp. I: *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis.*

Dicitur: *Propter auctoritatem ipsius revelantis*, nempe Dei; fides enim, ut habet Concilium Vaticanum, virtus est supernaturalis, qua Deo aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Dei igitur auctoritas est motivum seu ratio formalis ob quam credimus. Hinc Apostolus: *Fides ex auditu, auditus autem* (seu assensus) *per verbum Christi.*

Additur ultimo: *Et per Ecclesiam nobis credenda proposita*: quia divina revelatio nobis infallibiliter non manifestatur, nisi per Ecclesiæ propositionem. Non enim illa facile dignosci potest ex ipsa S. Scriptura, cum tot extent controversiæ circa multiplicem ejus sensum, et in ea plura sint difficilia intellectu; quæ ideo *multa opus habent investigatione*, ut ait d. Chrysostomus. Neque ex spiritu privato, cum ille sit multiplex, varius et fallibilis. Neque ex privata revelatione, quam unusquisque fingere potest et fingit. Hinc d. Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas* (Scavini, l. II, n. 800) (2).

822. **Divisio.** Fides multiplex dividitur:

I. In *habitualem* et *actualem*. Prima est qualitas superna-

(1) Dictum est *prout est virtus* seu habitus; nam prout est actus fidei definitur: *Assensus firmissimus ac liber rebus a Deo revelatis propter Dei ipsius revelantis auctoritatem*. Quæ revelatio in nova lege per Ecclesiam nobis manifesta fit; in veteri lege vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi, ex quibus testimonia Dei credibilia facta fuerunt nimis.

(2) Apostolus sic fidem divinam describit, ut sit: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (Hebr. XI). Dicitur *substantia*, idest basis et inchoatio: quidquid enim aliis supponitur et substernitur, nomen substantiæ, quod a *substando* dictum est, sortitur. *Sperandarum rerum*, cum fides ea respiciat quæ non videntur: porro ex eodem Apostolo *quod non videmus, speramus* (Rom. VIII). Additur *argumentum non apparentium*, id est juxta textum græcum *convictio* firma rerum, quæ non videntur, quæ tamen verissima creduntur, ac si manifestis demonstrationibus essent nobis nota *(S. Alph.*, l. II, n. 2). *V. d. Thomam*, 2. 2, q. 4.

turaliter infusa, animam permanenter habilitans ad actus fidei eliciendos. Posterior est actus quo intellectus ex imperio voluntatis per gratiam excitatæ, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis. Qui actus si ad extra prodeat, exterior; si in animo lateat, interior appellatur.

II. In *explicitam* et *implicitam. Explicita* illa est, qua alicui speciali ac determinato articulo assentimur, ut si dicas: *Credo in Spiritum Sanctum.* Fides vero *implicita* ea est, qua aliquid creditur in alio, in quo illud continetur; ut si dicas: *Credo omnia quæ docet Ecclesia catholica esse credenda.*

III. In *formatam,* quæ dicitur etiam *fides viva;* et in *informem,* quæ dicitur etiam *fides mortua.* Fides *viva* est quæ gratiam habitualem, sive caritatem sibi conjunctam habet: talis est fides hominis justi. *Mortua* est quæ caret justitia et caritate: talis est fides hominis in statu mortalis culpæ constituti. Fides autem informis cum sit imperfecta, non pertinet ad perfectam rationem virtutis; nam virtus est perfectio quædam ex d. Thoma, 2, 2, q. 4, a. 5.

IV. In *catholicam* et *divinam.* Fides *catholica* complectitur universas veritates, quarum revelationem testificatur Ecclesia, et quæ in omnibus fidelibus eadem sit oportet. *Divina* versatur circa veritates, non expresse ab Ecclesia propositas, sed quarum revelatio alio medio certo innotescit (v. cl. Cardin. Franzelin, *De Traditione).*

823. **Objectum fidei**. Objectum fidei *materiale,* nempe id quod materialiter cognoscitur, sunt omnes veritates a Deo revelatæ in Scriptura vel Traditione contentæ, quæ quidem ab omnibus sunt de necessitate credendæ. Etsi autem plura sint objecta seu dogmata fidei, fides tamen una est juxta Apostolum Eph. IV: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Una tum ratione rerum quæ creduntur, quatenus omnes unum et idem credere debemus; tum ratione motivi quod nos movet ad credendum, scilicet una Dei auctoritas *(S. Alph.,* l. III, n. 4).

Objectum vero *formale* fidei, seu ratio propter quam credimus atque assensum firmum præstamus illis veritatibus, est auctoritas Dei infallibiliter loquentis. Nempe semel posita cognitione veritatum fidei per ipsam Ecclesiam habita, nos tunc illico credimus non propter auctoritatem Ecclesiæ, sed propter auctoritatem Dei (*D. Thomas,* 2, 2, q. 1).

En autem analysis seu resolutio principiorum quæ ad assensum fidei divinæ nos determinant: 1) *Cur credis quæ revelata sunt?*

Credo propter veracitatem Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest. 2) *Unde scis ea fuisse a Deo revelata?* Ab Ecclesia. 3) *Cur credis Ecclesiæ tibi revelationem proponenti?* Quia in ea proponenda non fallitur. 4) *Id vero unde nostis?* Novi ex tot signis manifestissimis, ex quibus indubitanter edocemur, Deo adjuvante, Ecclesiam catholicam habere per se omnia credibilitatis motiva; *Deus enim*, ut ait Concilium Vaticanum, *per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra Verbi revelati ab omnibus posset agnosci* (v. Scavini, l. II, nn. 804, 905; et infra n. 832. Gaume, *Catechismo di perseveranza)* (1).

Ex his patet eorum fidem non esse divinam, qui credunt solummodo propter dictum parochi vel parentum; propterea animarum pastores et confessarii id sedulo attendere debent eos docendo, ut credant propter auctoritatem Dei qui revelavit Ecclesiæ. Attamen non ideo statim isti condemnandi sunt; sufficit enim ut aliquid respondeant quod aliquo modo contineat motivum fidei, v. g. si dicant se scire et credere, quia pastores ita de fide credenda docent: quod satis est et passim evenit.

Casus. Demetrius docet inter fidei catholicæ dogmata esse admittendas veritates in S. Scriptura contentas, non expectata speciali Ecclesiæ definitione. R. *Bene docet Demetrius, si veritates illæ in S. Scriptura, Traditione et Ecclesiæ sensu expositæ, clare et evidenter sint expressæ, quia tunc adest sufficiens Ecclesiæ propositio. Cum enim Ecclesia Scripturam credendam proponat, censetur etiam sufficienter nobis proponere quæ in eadem clare et manifeste continentur. Hujusmodi sunt quæ in Scripturis de Christi ortu, vitæ genere, morte, resurrectione et ascensione exhibentur. Item veritates quæ totius religionis sunt fundamentum, ut Trinitas personarum in Deo, Christi Divinitas ab eoque facta hominum Redemptio. Hinc etiam anteaquam de iis definitio ab Ecclesia edita esset, merito ut hæretici habiti sunt qui eas negabant. Ecclesia enim definiendo in libris sacris Verbum Dei contineri, has veritates sufficienter proposuerat uti revelatas ac fide catholica credendas.* Episc. Eula.

824. Ab Apostolis usque ad nos quoad substantiam, quasi aliquid novi fuerit revelatum, fidei objectum non crevit; nam Spiritus Sanctus docuit Apostolos *omnem veritatem* (Joan. v). Unde nec nova nec perfectior revelatio attendenda; igitur jure Pius IX in Syllabo prop. 5 damnavit incredulorum effatum: *Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat* — Sed dogmata creverunt quantum ad explicationem, ut ait d. Thomas (2, 2, q. 1, a. 7), et eorum explicitam declarationem. Ecclesia nempe dogmata non creat; sed ea uti a Deo revelata nobis proponit, aperit ac tuetur tempore oppor-

(1) Scilicet S. Scriptura et divina Traditio sunt fontes, quæ fidem continent; Ecclesia vero est medium, quo a Deo revelatæ veritates et in Scriptura vel Traditione contentæ certo nobis innotescunt. En igitur *regulæ* nostræ fidei, Scriptura, Traditio et Ecclesia (*Scavini*, l. II, nn. 803, 897 et seqq.).

tuno, ad Dei gloriam, ad religionis exaltationem, ad fidei tutamen, et ideo urgente necessitate errores damnandi. Hisce autem decretis adhærendum est statim ac quacunque ratione certo cognoscuntur; neque necesse est ut promulgentur ad obligandum, sicuti leges; leges enim humanæ a suo legislatore pendent qui vult eas promulgari; at hic res est de veritate Dei, quæ immutabilis est et omnes omni tempore ligat.

An vero dogmata fidei ab Adamo ad Apostolos inclusive creverint non tantum quoad illorum explicitam declarationem, sed etiam quoad substantiam, negant veteres scholastici. Verum recentiores recte affirmant. Sane Sacramenta et plura quæ per Prophetas, Christum et Apostolos revelata sunt, haberi non possunt tantum uti primævæ revelationis explicationes (*Scavini*, l. II, n. 802).

825. **Privatæ revelationes.** Etsi certæ sint, attamen non eis debetur assensus fidei catholicæ, cum non innitantur divino testimonio ab Ecclesia proposito; sed testimonio humano, id est personæ cui revelatio facta est. Hæc tamen persona illas credere debet fide divina, si habeat motiva evidentia credibilitatis. Ex eo autem quod privatas revelationes Ecclesia approbet, non ideo illas proponit fidelibus fide catholica credendas: sed tantum vult declarare in iis nihil esse quod catholicæ fidei, bonis moribus aut christianæ disciplinæ adversetur; imo fide humana pie ac prudenter credi posse et ad fidelium ædificationem conducere (v. Benedictus XIV, *De Canoniz. Ss.*, l. II, c. 32).

Hinc S. Rituum Congregatio interrogata quoad apparitiones seu revelationes B. Virginis sub titulo de Lourdes, de la Salette, etc., respondit 12 maji 1877: *Ejusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque reprobatas vel damnatas ab* Apostolica Sede *fuisse, sed tantum permissas tanquam pie credendas, fide solum humana* (1).

Cæterum confessarius admodum caute procedat maxime cum mulieribus, quæ sibi a Deo factas revelationes affirmant; eas enim et diabolus, et plerumque imaginatio, vanitas, levitas potest fingere (*S. Alph.*, Praxis, et *Scavini*, l. I, n. 901, regulas tradunt).

826. **Subjectus fidei.** Per fidei subjectos intelliguntur qui fidei capaces sunt. Tales erant Angeli antequam admitterentur

(1) Item quæsitum fuit: An possit ab Ordinariis permitti vel saltem tolerari, ut ad publicam fidelium venerationem exponantur in ecclesiis Imagines seu simulacra B. M. Virginis sub titulo *de Lourdes, de la Salette*, etc.? Eadem S. Congr. eodem die respondit affirmative; servatis tamen cautelis præsertim decreto Tridentini sess. XXV de *invoc. Ss.* præscriptis, et Urbani VIII Constitutione 15 maji 1642 confirmatis. Id est ut non sint cum alio habitu et forma, quam catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo consuevit.

ad intuitivam Dei visionem; tales sunt homines generatim. Sed discurrendo de singulis:

1) In beatis fides non remanet; cum ipsi Deum videant *facie ad faciem*, quem nos videmus per speculum in ænigmate.

2) In animabus purgantibus adhuc fides manet; cum adhuc beatitudinem expectent, et nondum Deum videant sicuti est.

3) Item fides remanet in christianis peccatoribus, nisi etiam infidelitate peccent. Definitum est a Tridentino (*sess.* VI, c. 28); attamen hæc fides utpote sine caritate non prodest ad vitam æternam (*Scavini*, l. II, nn. 808 et 904).

4) Infideles ut ipsum nomen sonat, fidem non habent. Item neque hæretici et apostatæ qui fidem sufficienter cognitam rejiciunt. Quod verum est, etsi aliqua tantum dogmata rejiciant; nam qui nonnulla credit et nonnulla rejicit, agit ex proprio judicio; ideoque non ex fide, ut argumentatur d. Augustinus. Hinc Apostolus (I Tim. I) de quibusdam, qui tantum negabant corporum resurrectionem, generatim ait, quod *circa fidem naufragaverunt* (D. Thomas, 2, 2, *q*. 5, *a*. 3) (1).

CAPUT PRIMUM

De Fidei proprietatibus.

827. Plures sunt fidei supernaturalis proprietates. Præcipuæ: *præstantia, obscuritas, certitudo, credibilitas, necessitas* (2).

828. **Fidei præstantia**. Fides clavis est quæ cœlum aperit, et gratiam obtinet ad omnia potentem; nam *omnia possibilia sunt credenti* (Matth. IX). Hæc est bonorum omnium fundamentum, sine qua nemo ad numerum filiorum Dei potest pervenire: quia sine ipsa neque in hoc sæculo justificationis gratiam, neque in futuro vitam consequitur æternam (*S. Fulgentius*) (3).

829. **Obscuritas fidei**. Certum est objectum fidei per se obscurum esse; etenim revelatio illius existentiam infallibiliter

(1) Non loquor de damnatis neque de dæmonibus, qui certo fidem divinam non habent. Damnati nihil amplius sperare possunt nec ad beatitudinem tendere, ad quam vera fides ordinatur. Quod si *dæmones* (ex evidentia compulsi) *credunt et contremiscunt*, eorum fides est coacta, dæmoniaca, non christiana, nec sperandarum substantia (*D. Thomas*, 2, 2, q. 5, a. 2).

(2) V. Scavini l. II. nn. 809 et seqq. de fidei dotibus et rationabilitate.

(3) *Nihil magni sine fide;* Cousin — *Fides magis potens est ad persuadendum quam ratio;* Voltaire — *Fides est prima hominis necessitas; infelix qui nihil credit:* Victor Hugo. Absit ergo ut fides sit rationalis hominis indigna. Homo qui vivit de fide humana, respuere poterit fidem divinam?

aperit, sed naturam ejus non manifestat. Hinc ex Apostolo *est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Id tamen non impedit ut fides habeat omnimodam certitudinem, et ideo sit lucerna pedibus nostris, ne a veritate declinemus; obscuritas enim non est ex parte Dei revelantis, sed ex parte rei revelatæ. Neque mirum; nam *si difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* (Sap. IX) (1).

Imo fides catholica est veluti rectrix stella, qua prælucente, vel ipsi naturalium disciplinarum cultores a syrtibus et erroribus cavere possunt. Deus enim fidei auctor est quoque scientiarum Dominus, fons veritatis, imo ipsa Veritas; porro se ipsum destrueret aliquid per fidem nos docendo quod veræ scientiæ oppositum sit. Hinc frustra increduli contendunt demonstrare ex geologicis observationibus, ex physica scientia, ex ratione naturali falsa esse quæ in S. Scriptura a Deo revelata sunt. Et fides et ratio a Deo est: hinc Tertullianus *Res Dei ratio* (De Pœn., § 1).

Ad rem Concilium Vaticanum: « Divina mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem (II Corinth. V). Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere (2). Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat: fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. »

(1) *Non est contemnere mentem humanam supponere quod ipsa capax non sit exhauriendi subjectum infinitum;* Jackson de secta protestantica. Et Pascal: *Postremus rationis actus est, ut recognoscat quod adest rerum infinitas quæ ejus intelligentiam superant.* Et Gioberti: *Ad nihilum humanum intellectum redigere coram Mente infinita, summa sapientia est.*

(2) « Dicendum quod (ait d. Thomas) per Apostolos et Prophetas nunquam divinum dicitur aliquid quod sit contrarium his quæ naturalis ratio dictat; dicitur tamen aliquid, quod comprehensionem rationis excedit, et pro tanto videtur rationi repugnare, quamvis non repugnet: sicut et rustico videtur repugnans rationi, quod sol sit major terra.......; quæ tamen sapienti rationabilia apparent. » Quocirca: « homo dum credit, rationem non abnegat quasi contra eam faciens; sed eam transcendit altiori dirigenti innixus, scilicet Veritati primæ. » (*Quæst. disp. de ver.* q. 14, a. 10; *Contra gent.*, l. I, c. 7).

« Ideo quæ fidei sunt, non sunt tentanda probare nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt; apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod prædicat fides.... Quod si ad ea probanda aliquæ inducuntur rationes, eæ non sunt nisi argumenta, quæ positis mysteriis, illorum congruentiam demonstrant » (1. *q.* 32).

(Constit. *De Filius*). Fides igitur lucem non timet; incredulitas est, quæ ignorantia nutritur (1).

830. **Fidei certitudo.** Tanta est quanta est ipsa Dei revelantis auctoritas: huic enim fides innititur. Atqui Dei auctoritas in revelando certissima est. Imo assensus fidei est certior ipsa cognitione naturali; nam fides innititur veritati divinæ, cognitio vero naturalis rationi humanæ. Hinc Angelicus (2, 2, q. 4, a. 8): *Multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest.*

831. **Fidei credibilitas.** Est evidentia illa, propter quam rebus revelatis assensum nostrum exhibemus. Duplex est: alia rem ostendit evidenter esse veram, et dicitur *evidentia veritatis;* alia ostendit evidenter rem esse credibilem, et dicitur *evidentia credibilitatis.*

Illud autem est *evidenter verum,* quod ab intrinsecis rei principiis evidenter cognoscitur: hoc modo certum est duo et duo efficere quatuor. Illud est *evidenter credibile,* quod probatur argumentis seu motivis extrinsecis, nempe testibus ac monumentis tam fide dignis, ut in dubium non sit revocabile. Hoc modo certi sumus existere Romam, licet ibi non fuerimus.

Fides nostra non innititur evidentiæ intrinsecæ veritatis; secus fides frustra diceretur ab Apostolo *argumentum rerum non apparentium.* Convenit tamen ei evidentia credibilitatis, qua

(1) Ecclesia ab initio pugnare debuit contra tyrannidem, dein contra hæreticam perfidiam. Cum tamen hisce armis nihil profuerint inimici in ea, hodie alia arma apprehenderunt, id est scientiam quam cum catholica fide stare non posse contendunt. *Inaniter* tamen ex dictis, cum scientia et fides unum principium agnoscant, nempe Deum qui nec decipi nec decipere potest; primum enim repugnat ejus infinitæ sapientiæ, secundum ejus sanctitati. *Inaniter,* quod enim divinum est, permanet in æternum; inde tamen enascitur gravis in clero studii necessitas ut concordiam fidei cum scientia demonstrando sciolos confundat; notum est enim quod multa scientia ad religionem conducit, parva scientia ad incredulitatem: et multo magis si falsa sit, quæ est ipsa ignorantia pejor; ignorantia enim campum dixeris rudem et solidum qui facile eruncatur ac seminatur: sed fallax scientia campus est graminibus plenus, calculosus, quam nonnisi ingentes boves et fortissima aratra perfringunt. V. Rossignoli, *Dell'Officio dei dotti nei tempi presenti. La Scuola catt.*, t. XI: La conciliazione della fede cattolica colla vera scienza. Huc spectat *Academia philosofico-medica s. Thomæ Aquinatis ad scientias cum fide catholica conciliandas, earumque incrementum obtinendum*, Bononiæ erecta, et a Pio IX 26 julii 1874 approbata. Item Diarium, *La scienza e la fede,* quod jam a trigesimo octavo anno Neapoli ad fidei catholicæ tutamen strenue adlaborat. Giovannini, *Di un malinteso intorno alle parole:* Progresso-Libertà-Civiltà. *Bologna*, 1878.

Quare nonnisi absurdissime quædam florentinæ Ephemerides, quibus a *Nova Anthologia* nomen est, in hac sæculi deciminoni luce ausæ sunt affirmare: *La Chiesa ha paura della scienza.* O plenam impudentiæ vocem! indignabundus exclamat clariss. Novelli, *De catholica Ecclesia scientiarum et bonorum artium sospitatrice, Oratio* etc. Derthonæ, 1878.

fit rationabile obsequium nostrum: *Non enim crederet* (homo), ait Angelicus, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi* (2, 2, q. 1. a. 1). Sic evidentia credibilitatis cognoscimus mysterium Ss. Trinitatis fuisse nobis a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum, quin mysterii naturam perspiciamus; nempe certo cognoscimus existentiam, etsi non modum existendi. Hinc Vaticanum Concilium (*sess.* III, *c.* 3, *can.* 3): *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujuscunque experientia aut inspiratione privata, homines ad fidem moveri debere, anathema sit.*

832. Motiva credibilitatis fidei nostræ plurima sunt:

1m *Prophetiarum,* quæ Religionem nostram respiciunt, adimplementum. At futura contingentia prædicere est solius Dei.

2m Numerus prope infinitus *Miraculorum* (præcipue Christi resurrectio), quæ in Religionis nostræ confirmationem patrata sunt, coram ingenti multitudine, et vel ipsis christianæ religionis adversariis, ac persecutoribus. Hinc Vaticanum Concilium (sess. III, c. 3, can. 4): *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes etiam in S. Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, anathema sit.*

3m *Sanctitas* et *excellentia doctrinæ* catholicæ Religionis; puritas enim decurrentis aquæ puritatem scaturiginis testatur.

4m Omnium doctissimorum et ipsorum adversariorum *Testimonium,* qui fidem scrutantes defecerunt in investigationibus suis.

5m *Martyrum* constantia et multitudo, qui Religionem catholicam proprio sanguine obsignarunt. Hinc dicere possumus: *Facere et pati fortia catholicorum est.*

6m Catholicæ Religionis in orbem universum *Propagatio;* facta summa cum celeritate, maximis obstaculis contra nitentibus, et instrumentis ex se omnino ineptis ad tantum finem.

7m Nunquam interrupta ejus *Perseverantia* tot inter procellas et persecutiones. Error impugnatus stabilitatem non habet (1).

833. **Fidei necessitas.** Duplex distinguitur necessitas respectu æternæ salutis: *medii,* ac *præcepti.* Necessarium *necessitate*

(1) Consulantur Apologistæ. Huc autem accedit vel ipsorum libertinorum confessio, qui morti proximi veritatem catholicæ religionis ultro cognoverunt. Horum catalogus vide apud *Scavini,* l. IV, *Append.* 29. It. v. Opusc. *Voltaire? ricerche e conclusioni esposte al popolo;* Padova, 1877.

Etsi autem tot argumentis a ratione petitis ad catholicam Religionem adducamur: tanta tamen est imbecillitas intellectus humani, ut nemo divina fide credere actu valeat, nisi lumine etiam supernaturali ejus mens illustretur; et ita fides nostra theologica evadat. Nam cum credibilitatis motiva extrinseca sint et ab hæreticis impugnata, non penitus tollunt rei credendæ obscuritatem: neque ideo tantam pariunt evidentiam, ut intellectus illico ac necessario rapiatur ad assentiendum. Quare requiritur illustratio intellectus ex gratiæ auxilio juxta illud quod de Lydiæ conversione legitur: *Dominus aperuit cor* (Lydiæ) *intendere his, quæ dicebantur a Paulo* (Act. XVI). Vide Syllabum proposit. 8, 9 et 10.

medii illud est, sine quo etiam inculpabiliter omisso. finis obtineri nequit, et dicitur etiam necessitas finis. Necessarium necessitate præcepti est illud, quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest, et dicitur etiam *necessitas moralis*. Porro catholicam fidem necessariam esse ad æternam salutem et medii et præcepti necessitate indubium est ac definitum. Hinc Pius IX in Syllabo damnavit hanc sub n. 16 propositionem: *Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire, æternamque salutem assequi posse.*

Necessarium autem necessitate *medii* aliud tale est *absolute et simpliciter;* aliud tantum *hypotetice* et *secundum quid*. Primum est illud quod omnino est necessarium in se, et ideo suppleri nequit; sic gratia sanctificans est medium absolute et simpliciter necessarium ad salutem. Secundum est illud quod est necessarium vel in re vel in voto, ac proinde suppleri potest per aliud urgente causa; sic Baptismus aquæ, si nequeat obtineri, suppletur per contritionem cum voto baptismi.

Hic non loquimur de *fidei habitu;* fidem habitualem ad salutem omnibus esse necessariam necessitate medii clarum est: nemo enim potest salvari sine gratia sanctificante; at gratia sanctificans est a fide habituali inseparabilis. Quæstio hic est de *fidei actu* respectu adultorum; nam infantes illius sunt incapaces, qui salvantur per fidem habitualem ob Baptismum illis collatam. Hoc item valet de spe et caritate, quæ simul cum fide parvulis in sacramento Baptismi divinitus infunduntur ex Tridentino (sess. VI, c. 7): *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et caritatem; nam fides nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Hinc patet quanta sit harum virtutum necessitas in ipso puero.

ART. 1. — De Necessitate Fidei quoad actum internum et externum.

834. **Actus fidei internus**. Certum est omnibus adultis ratione utentibus aliquem actum supernaturalem internum fidei necessitate medii necessarium semper fuisse, adeo ut sine eo et inculpabiliter omisso, justificatio obtineri nequiverit. Hinc Tridentinum: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire* (1). Et ab Inno-

(1) Cæterum etsi fides sit fundamentum omnis justificationis, ac sine illa salus non obtineatur; non ideo tamen prima gratia dici debet: prior enim est gratia illa, quæ *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem*. Ita infideles et hæretici sæpe gratias sufficientes recipiunt, quibus alliciuntur ad fidem ipsam amplectendam. Contraria autem doctrina damnata est Bulla tum *Unigenitus*, tum *Auctorem fidei*, ut de hæresi suspecta [illegible] 22).

centio IX damnatur propositio: *Fides late dicta* (idest) *ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.*

Necessarium est etiam necessitate præcepti, ut actus fidei internus quandoque in vita eliciatur juxta illud I Joannis III: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Et Alexander VII damnavit propositionem: *Homo nullo nunquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et Innocentius XI aliam proscripsit: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.*

Dices: *Si ita est, ergo homo in sylvis educatus, qui de rebus fidei nec audivit unquam, nec audire quidquam potuit, æternis inferorum suppliciis addiceretur ob omissionem actus, qui fuit ipsi impossibilis; atqui hoc repugnat divinæ bonitati.* Respondendum cum d. Thoma: cum nemini Deus in necessariis desit, neque deserat, nisi prius deseratur, si homo ille per ea quæ facta sunt Deum omnium creatorem agnoscat dictamen rationis sequendo in appetitu boni, et fuga mali, curabit Deus gratuita sua bonitate ei per internam inspirationem revelare quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem prædicatorem ad eum dirigere, sicuti fecit cum Cornelio, mittendo ad eum Angelum, ita ut nemo pereat ob defectum fidei sibimet impossibilis *(De verit.,* q. 14, a. 11, dist. 25, a. 2) (1).

Neque negari potest quod etiam ab illis qui sunt omni revelatione destituti, lex naturalis valeat observari; cum hanc *scriptam* habeant *in cordibus suis* ex Apostolo *Rom.* II; item quod rationali hominis naturæ potentia inest, et quidem activa ex rebus creatis ac visibilibus ad invisibilem Deum omnium creatorem assurgendi, adeo ut fiat inexcusabilis qui illum non glorificat *(Rom.* II). Imo ex d. Thoma *nos aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus* (quæst. dist. de veritate, q. 18, a. 8). Hinc Concilium Vaticanum: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum Nostrum per ea quæ facta sunt, naturali ra-*

(1) « Nè questo medesimo sarà estraneo alla vera Chiesa di G. C. in cui solo può ottenersi salute; poichè, come abbiam inteso dall'Angelico, Iddio provvederà per vie anche straordinarie, che chi ha osservato la legge naturale venga in cognizione delle verità necessarie; e così faccia parte almeno dell'anima della vera Chiesa. » *Civ. catt.*, ser. 7ª, t. VII: Risposta ai principali argomenti in favore dell'indifferenza religiosa. » V. Encycl. Pii IX *Quanto conficiamur* an. 1863, et *Singulari* 1854 (Scavini, l. II, n. 816).

Et addit eximius Suarez de hoc casu: *Pie creditur si homo in illo statu faciat quod in se est, Deum sua providentia effecturum ut ei sufficienter proponatur fides vel exterius per homines vel interius ministerio Angelorum. Id conceditur ex universali redemptione Christi et generali voluntate Dei. Et ideo in illo casu necessitatis hoc genus providentiæ non reputatur miraculosum, sed pertinens ad ordinariam supernaturalem providentiam et legem Dei* (De fide, d. 12, sect. 2).

tionis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit (v. Scavini, *l.* I, *n.* 300; *l.* IV, *n.* 153) (1).

836. Præceptum autem fidem interius eliciendi obligat per se: 1) Fideles omnes post usum rationis ad incipiendam vitam christianam. Unde peccant mortaliter id omittendo, nisi excusentur ob inadvertentiam aut invincibilem ignorantiam. Item peccant magistri, parentes et qui eorum loco sunt, si pueros non doceant in Deum affectus suos dirigere — 2) Infideles. quando res fidei nostræ sufficienter iisdem sunt propositæ — 3) Obligat in mortis periculo; nam tunc maxime urget obligatio in finem ultimum nos dirigendi per fidem — 4) Sæpius in vita; *justus enim ex fide vivit* (Hebr. x). Hinc Innocentius IX damnavit hanc propositionem: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Porro juxta plures semel obligat in mense, juxta alios sat probabiliter semel in anno. Cæterum generatim loquendo sufficienter adimpletur hoc præceptum ab illis, qui jam didicerunt veritates fidei tenendas per actus implicitos, nempe exercendo alios actus religionis, orando, crucis signum formando, Sacramenta recipiendo, etc. *(S. Alph.,* l. II, n. 7; *Scavini,* l. II, n. 817) (2).

Obligat autem per accidens, nempe ratione alterius præcepti: 1) Quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter superari nequeat (attamen scrupulosi facilius superant tentationem convertendo mentem ad alia objecta) — 2) Quando tentatio urget etiam contra alias virtutes, ut vinci nequeat, nisi per actum

(1) Hæc verba non solum confodiunt *traditionalismum crudiorem,* qui necessario requirit supernaturalem revelationem ad Dei notitiam comparandam; verum etiam profligat *errorem* nunc late serpentem, quo docetur Dei existentiam nullis firmis argumentis probari, nec proinde humanæ rationis lumine certo cognosci posse. Tangit quoque licet indirecte traditionalismum *moderatum,* qui ad Dei existentiam cognoscendam necessariam putat institutionem aliquam, quæ e societate habeatur atque a primitiva revelatione originem ducat. Ciasca, *Examen critico-apologeticum super Constitutionem dogmaticam de Fide catholica editam in sess. tertia Ss. œcumenici Concilii Vaticani.* (V. Ferré, *La Costituzione Dogmatica* Dei filius *sulla fede cattolica sancita e promulgata nella sessione terza del Concilio Vaticano ecumenico.* Ballerini, *Esposizione della prima Costitutione dogmatica del Concilio Vaticano,* ecc. Sanseverinus, *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata.* Card. Zigliara, *Saggio sui principj del razionalismo).*

(2) Parochi et sacerdotes, qui in ecclesiis ruralibus in festis Missam celebrant meminerint eorum, quæ Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* 1742, sancivit: *Post Missam die festo celebratam statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce, dictos virtutum actus* (fidei, spei et caritatis) *eliciant, et præire satagant populo verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles, sensim illos memoriæ mandabunt, et assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in pia exercitatione versari* (v. Scavini, l. II, n. 916; et l. IV, n. 3, ubi legere est monita maximi momenti ad *catechistas).*

fidei; nam quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum; ideo tunc est de necessitate actus fidei — 3) Quando facienda est professio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, quæ fidem supponat. Sic si accedas ad Communionem, requiritur actus fidei saltem implicitus erga præsentiam Christi in Eucharistiam.

837. **Actus fidei externus.** Extat præceptum fidem exterius profitendi: *Duplex officium,* inquit Augustinus, *a nobis exigit fides, cordis et linguæ.* Hoc est fidem, quam intus in corde tenemus, exterius etiam profiteri lingua debemus: *Corde... creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (Rom. x). Hinc idem Augustinus: *Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre quod corde conceptum est?* (Serm. de Apost. Paulo).

I. Præceptum fidem exterius eliciendi uti *affirmativum,* de jure naturali-divino urget, ut docet d. Thomas (2,2, q. 3, a. 2), *quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, vel utilitas proximo impendenda.* Ex primo capite qui videt, v. g. Eucharistiam contemni obstare debet, si valeat; ex secundo capite qui aliquid agit, ex quo proximus putet ipsum negare fidem, tenetur se abstinere aut illum instruere, ne ei offendiculum ponat.

De jure vero positivo-ecclesiastico præter hæreticos ad fidem redeuntes, et baptizandos per se vel patrinos, ad fidem profitendam tenentur: 1) Episcopi ante consecrationem et ante expeditionem literarum propriæ provisionis (ex Sisto V Const. *Romanus).* Item superiores Regularium — 2) Provisi de beneficio cum cura animarum intra duos menses a die adeptæ possessionis coram Episcopo vel ejus Vicario generali, alioquin non facerent fructus suos — 3) Canonici Cathedralis Ecclesiæ, qui etiam in capitulo id facere tenentur; secus non facerent fructus suos, etsi distributiones lucrari valeant pro eorum chori adsistentia ex S. C. C. 1726 *(Tridentinum,* sess. XIV, c. 12 *de R.)* (1) — 4) Ad Synodum convenientes; item novi confessarii, aliique juxta generalia vel particularia statuta *(S. Alph.,* l. II, n. 41).

II. Præceptum vero fidem exterius profitendi uti *negativum* prohibet: 1) Fidem negare, etiam solum exterius; unde Apo-

(1) Ex mandato Pii IX prodiit Decretum S. C. C. 20 jan. 1877, quo consuetæ formulæ professionis fidei editæ a Pio IV hæc addenda præcipiuntur post verba *Tridentina Sinodo,* nempe: *Et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili Magisterio.*

stolus Matth. x: *Si negaverimus* (Christum), *et ille negabit nos* — 2) Fidem occultare, quoties urget præceptum illam profitendi, ut si quis a potestate publica de fide in ejus odium interrogetur: constat ex propositione 18 ab Innocentio XII damnata — 3) Falsam religionem profiteri; esset enim veræ religioni valedicere — 4) Falsam religionem simulare; esset enim facto ostendere, se esse ex illius sectatoribus, uti si quis externe tantum genua flectit ante idola. Attamen etsi non liceat simulare quod est; licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis et indifferentibus ob justam causam; nec adsit necessitas fatendi *(S. Alph.,* l. II, n. 10; *Scavini,* l. II, n. 910).

838. **Fuga in persecutione.** Tempore persecutionis fugam arripere licet: habemus exempla Sanctorum, et Christus ait Matth. x: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Sane qui fugit, fidem non negat; cum ideo fugiat, ne gravi periculo exponatur illam negandi.

Excipe nisi aliud Dei honor populique necessitas, aut bonum expostulet. Hinc id ordinarie non convenit Episcopis et animarum Rectoribus: imo grave esset piaculum, cum Ecclesia tempestatibus agitatur, se exhibere pusillanimes, nisi contra ipsas personas persecutio tantum dirigatur *(S. Alph.,* l. II, n. 14; *Scavini,* l. II, n. 912).

839. **Resolutiones**: 1) Graviter peccat contra fidem qui interrogatus de sua Religione, respondet (non ex joco) se esse turcam vel judæum, aut gentilem; quia hoc ipso negaret se esse christianum. Nec excusat timor mortis; cum id intrinsece malum sit.

2) Si princeps mandet omnibus sub pœna conciones hæreticorum audire, non licet obtemperare, uti constat ex Paulo V ad Anglos: *Non licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus ac vestræ salutis.* Quod valet, etsi princeps protestetur, se non exigere nisi obedientiam civilem; nam hæc de se apta est ad catholicos paullatim pervertendos.

3) Benedictus XIV, Constitutione *Ex quo* declaravit, non licere Sinensibus christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem.

4) « An liceat monialibus et capellano addictis Hospitalibus ubi recipiuntur etiam acatholici, vocare ministrum hæreticum si petant ad religiosa auxilia recipienda? Et an eadem danda sit solutio, ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit; utrum scilicet catholicus ministrum hæreticum advocare licite possit? S. Officii Congregatio 15 martii 1848 respondit: *Non licere; sed passive se habeant.* »

5) Si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant, gestato tali signo, ad id fideles non tenentur; cum nemo teneatur

verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe nisi tales sint circumstantiæ, ut hoc ipso quod se non prodant, videantur fidem negasse.

6) Cum non rogaris de fide, sæpe melius est ad Dei honorem et utilitatem tui, et proximi illam tegere quam fateri. Uti si latens inter hæreticos ex confessione plus mali sequeretur, v. g. turbatio, exacerbatio tyranni, pericula defectionis.

7) Qui interrogatur, an sit sacerdos, religiosus, episcopus, non tenetur id confiteri, uti communiter docent; quia illius qualitates tacendo non censetur fidem negare. Imo qui negaret, se esse sacerdotem, cum talis sit, nonnisi mendacium officiosum per se committeret. Aliud esset, si se Papistam negaret, si per papistam intelligatur catholicus.

8) Sacerdos ex rationabili causa iter agens inter hæreticos vel infideles ad occultandum suum statum et fidem uti potest vestibus sæcularibus. Cæterum curandum ne occultando fidem videamur ipsam aperte negare, ut esset si iis utamur signis, quæ ex usu vel hominum institutione fidei negationem indicent.

9) Si grave periculum immineret vitæ vel bonorum, licet ad fidem tegendam vesci carnibus diebus prohibitis. Quia cum abstinentia a carnibus non sit instituta ad professionem Religionis, iisdem vesci die prohibito non est fidem negare.

10) *An catholicis liceat pecuniam pro ædificando templo hæretico contribuere?* Sacra Pœnitentiaria anno 1822 respondit: « Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberandum. » *Aliæ resolutiones* penes s. Alphonsum, l. II, n. 16; *Scavini*, l. II, nn. 911 et 958).

Art. 2. — De iis quæ Sciri debent et credi necessitate Medii et Præcepti.

840. **Scienda et credenda de necessitate medii.** Certum est ab omnibus omni tempore duo fuisse absolute scienda ac credenda de necessitate salutis, seu medii: 1) Fide explicita Deum existere et justos esse remuneraturum; ait enim Apostolus (Hebr. XI): *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (1). Hinc propositio:

(1) *Quia est,* nempe prout est non solum auctor naturæ, sed et gloriæ largitor, nam de existentia Dei ut auctoris naturæ, plures nequeunt habere fidem; cum ratio naturalis evidenter eam jam demonstret. Hinc Deum esse, non dicitur articulus fidei; sed præsupponitur ad articulos; seu est fidei præambulum, ut ait Angelicus (1 p. q. 11, a. 2), sive conditio, sine qua fides non existeret. Quanquam non repugnat, quod firmus præbeatur assensus Deo revelanti sive objectum sit clarum, sive obscurum. Et tunc duplex distingui potest actus adhæsionis, unus evidentia innixus, et pertinet ad scientiam naturalem; alter in revelatione fundatus, qui ideo est actus fidei — Imo ipse Angelicus (2, 2, q. 4) probat *necessarium esse homini accipere per modum fidei non solum ea quæ sunt super rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt, et hoc propter tria:* 1. Ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat sine labore et studio. 2. Ut cognitio Dei sit communior, multi enim in studio scientiæ proficere non possunt. 3. Propter certitudinem, nam ratio humana in ipsa naturali investigatione est multum deficiens, magis autem in rebus divinis.

Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris, ab Innocentio XI damnata est — 2) Fide implicita Messiam esse venturum, id est erat credendum (ut communius dicunt), Deum genus humanum salvaturum esse per media sibi nota. Id enim videtur proportionatum imbecillitati hominum lumine revelationis positivæ destitutorum; hoc porro medium est Christus (v. *Scavini,* l. I, n. 302; l. II, nn. 822 et 913).

841. Post Evangelii promulgationem seu nunc, an insuper absolute necessaria sit necessitate medii fides explicita in mysterium Incarnationis (id est assumptionis humanitatis in Deum), communius affirmant et videtur probabilius; nam cum non detur salus nisi per Christum, necessario cognoscendus est ut Salvator noster; *omnia et in omnibus Christus* (Coloss. III). Idem est de Trinitatis mysterio; nam cum Baptisma, quod est salutis fundamentum conferri debeat in nomine trium divinarum Personarum, necessario supponere debet explicitam Trinitatis notitiam *(D. Thomas,* 2, 2, q. 2, a. 8) (1).

Verum alii cum Suaresio satis probabiliter negant; nam Christus explanavit, non difficiliorem reddidit viam salutis. Quidquid sit, puto absolutionis esse incapacem, qui illa ignorat. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Ss. Trinitatis et Incarnationis.* Ratio quia absurdum est quod quis Sacramentum suscipiat ubi Salvatoris merita communicantur quin debeat erga illa explicite suam fidem exercere. Ideo qui hæc mysteria ignorans, bona fide mortale peccatum confessus sit, videtur teneri ad confessionem iterandam postquam de illis fuerit instructus; nam valde dubius est valor Sacramenti; et ideo necessitate urgente, nonnisi sub conditione illud est administrandum *(S. Alph.,* l. II, n. 2; *Scavini,* l. II, n. 914) (2).

(1) Benedictus XIV Rescripto *Postremo mense* id confirmat ex Congr. S. Officii 2 maji 1703, in quo habetur non sufficere ut moribundus promittat se instrui in fidei mysteriis si convaluerit; sed necessarium esse ut ei, si capax sit, *explicentur mysteria fidei quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt præcipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*

(2) Hinc confessarius ne se gravi peccato commaculet Sacramentum exponendo periculo nullitatis, sub gravi tenetur pœnitentem interrogare de scientia fidei, si habeat rationabile motivum dubitandi, quod sit ignarus: quod colliget ex modo confitendi ipsius pœnitentis, ex conditione, statu, etc.

Celebris ille et doctus Missionarius s. Leonardus industrium edocet modum, quo agendum est cum pœnitentibus civilis conditionis, qui res fidei ignorant; sed con-

842. **Scienda de necessitate præcepti.** Alia sciri debent ad recte credendum; alia ad recte agendum.

I. *Scienda ad recte credendum.* Quilibet fidelis, cum ad usum rationis pervenerit, præter ea quæ scire debet necessitate medii, tenetur necessitate præcepti et sub mortali credere explicite ac scire crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam, nisi invicibilis ignorantia excuset: *Symbolum Apostolorum*, quod quidem exigit vel ipsa professio christiana; quia in eo compendiose continetur quidquid de Deo, de Christo et de Ecclesia est præcipue credendum. Idque confirmat praxis fidelium et Catechismus Romanus.

De Deo autem quatuor sunt scienda et credenda, id est quod Deus sit: 1) *Unus* in essentia — 2) *Trinus* in personis æqualibus, et realiter inter se distinctis — 3) *Prima* omnium causa, seu conditor — 4) *Remunerator* et *vindex* actionum nostrarum.

De Christo quinque credenda sunt: 1) Quod sit Filius Dei naturalis, et ideo *verus Deus* — 2) De Spiritu Sancto, et Maria Virgine *conceptus* — 3) Pro nobis *passus, mortuus*, et propria virtute *redivivus* — 4) In cœlum *ascendens* rex gloriæ æternalis — 5) Rediturus ad homines *judicandos* in fine mundi.

De Ecclesia tria sunt credenda, nempe quod ipsa sit: 1) *Unica* in terris sub uno capite visibili — 2) *Gubernata*, et *conservata* Spiritus Sancti adsistentia — 3) Ab omnibus, de necessitate *audienda, obedienda*, ad salutem consequendam. Quod autem *infallibilis* sit in rebus fidei et morum, est utique certum de fide, id tamen explicite non continetur in Symbolo.

II. *Scienda de præcepto ad recte agendum.* Ad recte agendum quilibet fidelis cum ad usum rationis pervenerit scire debet crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam (nisi invincibilis ignorantia excuset: 1) *Orationem Dominicam;* nam omnes fideles scire debent Deum esse orandum, ab eoque bona corporis et animæ esse postulanda; porro Oratio Dominica continet omnia a Deo petenda. Addunt *Salutationem Angelicam* ex usu fidelium; sed sub levi ex communi sententia — 2) *Præcepta Decalogi;* item *Ecclesiæ*, quorum observatio ad omnes fideles pertinet: et *officia* proprii status, ut enim observentur, cognoscenda sunt. — 3) *Sacramenta* maxime necessaria, ut sunt Baptisma, Eucharistia et Pœnitentia; reliqua vero cum quis ea suscipere velit,

tumeliæ haberent se de iis interrogari directe: ait enim decere confessarium, ut invitet et una simul cum pœnitente christianos actus eliciat, videlicet ostendendo utilitatem, notando indulgentias ac meritum, etc. (*S. Alph., Praxis Conf.*, n. 22).

ut rite recipiat *(De fidei Symbolis et Catechismis* v. Scavini, l. II, nn. 826, 918, etc.) (1).

Dixi: I. *Cum ad usum rationis pervenerit;* tunc enim incipit obligatio ea addiscendi, quia tunc incipit gravis obligatio se ad finem ultimum dirigendi.

Dixi: 2. *Crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam* ex d. Carolo; non enim omnes tenentur sub mortali prædicta scire memoriter, aut iis verbis, quibus proponuntur in Catechismo. Sed quoad Symbolum, præcepta Decalogi et Ecclesiæ ac Sacramenta sufficit, si quis rogatus de singulis sufficienter respondeat. Quoad Orationem Dominicam sufficit, si sciat omnia bona petenda esse a Deo; et non est nisi veniale ea memoriter non habere, modo interrogatus sciat in genere respondere.

Dixi: 3. *Nisi invincibilis ignorantia excuset* (aut impotentia). Sic excusantur quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia addiscendi *(S. Alph.,* l. II, n. 3).

Resolve: 1) Si quis, notat Valentia, adeo sit rudis, ut fidei mysteria percipere nequeat, excusatur ratione impotentiæ, et comparatur infantibus. Unde absolvi poterit in necessitate, tamen sub conditione.

2) Aliud est credere, ait Sanchez, aliud memoriter scire mysteria, nempe rationem de eis reddere, seu respondere. Unde censent, adultos teneri necessitate medii hujusmodi mysteria credere; necessitate vero præcepti ea scire (sed excusant mente obtusos). Et concludunt: *Rudibus sufficere quod singulos articulos explicite credant, dum eis proponuntur.*

3) Ut illa mysteria explicite credantur, non requiritur perfecta eorum notitia quoad eorum circumstantias. Ita sufficit, ait Sylvius, *quod rudiores credant Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant quod sit una essentia in tribus personis. Et similiter sufficit quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem; passum et mortuum pro nobis; etiamsi non noverint distinguere, quod sint duæ naturæ et una tantum persona.*

4) Si pœnitens ignoret necessaria necessitate præcepti, debet confessarius interrogare de negligentia in iis addiscendis, quia per eam plurimi peccare solent. Si doleat cum proposito discendi, neque alias monitus fuerit, poterit illico eum absolvere;

(1) Notat d. Thomas ex Dionysio Areopag.: *Superiores homines ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, et magis explicite credere* (2, 2, q. 6).

tunc enim recte præsumitur ipsum velle *operam impense dare, qua divinæ gratiæ præsidio ea discat,* ut ait Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime.* Si secus, prius discat; et postea absolvatur *(Scavini,* l. II, n. 823).

5) Confessarius advertens pœnitentem ignorare quæ sunt de necessitate medii (quod in pueris et rusticis frequens est), tenetur eo modo quo hic et nunc est capax, eum instruere: non quidem doctrinaliter, ut ea omnino et intelligere et memoriter recitare valeat. Sufficit eo in casu ut ei proponat articulos credendos, ita ut ad illos singulos actum fidei exerceat; obligationem tamen ea statim discendi urgeat (1).

6) *Si pœnitens sit in mortis articulo,* et ignoret quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, debet confessarius eum breviter de illis edocere; ac sic curare, ut Dei opitulante gratia, in eo excitetur dolor peccatorum cum proposito non peccandi de cætero: cum aliter non sit capax absolutionis. Si vero ignorantia respicit quæ scitu necessaria sunt necessitate præcepti, non debet impendere tempus in eo instruendo: sed potius ad dolorem excitet, et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et caritatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum præteritæ negligentiæ pœniteat, et promittat discere, si convaluerit *(S. Alphonsus,* l. II, n. 2*)*.

Casus. Adalberto Parocho adducitur Ezechias judæus morti proximus, simulque tam rudis, ut nec Deum remuneratorem sciret, nec de eo quiddam capere posset; nihilominus illum jamjam moriturum, baptizat, ac paulo post mortuum sepelit ritu Ecclesiæ. *An recte?*

Recte egit Adalbertus; talis rudis habetur ut parvulus vel amens. Sic s. Xaverius baptizavit Japonem præ senio jamjam moriturum. quamvis tam stupidus esset, ut nec sciret Deum esse, nec ulterius instructionis capax esset. At præstat si mora permittat, actum fidei (in similibus) cum tali rude elicere cum spe et dolore de peccatis. Sunt tamen qui dicunt baptizandum esse sub conditione: *si capax,* ad salvandam Sacramenti reverentiam. *Voit.*

(1) V. g. credis, quod Deus unus sit in essentia et tres personæ etc. sicut Ecclesia credit? *Credo.* Credis quidquid credit sancta Romana Ecclesia et vis mori in ipsa? *Credo; volo.* Credis quod secunda persona Trinitatis Filius Dei factus est homo, mortuus, etc.? *Credo.* Credis quod Deus puniet malos, et bonos remuneret? *Credo.* Doles ita ignarum esse et negligentem fuisse etc.? *Doleo.* Proponis firmiter nactus occasionem opportunam, quod curabis te instrui, et velis diligenter discere quæ sunt ad salutem necessaria? *Utique.*

Si hos actus exerceat, sufficit ad instructionem hic et nunc (per interim) præstandam, et ad dispositionem sufficientem ad Sacramentum. Et non esset bonum consilium similes ignaros dimittere ut ab aliis edoceantur; nam nullus obtinebitur fructus, sed ignari remanebunt *(S. Alph.,* Praxis).

APPENDIX PRIMA

843. *De puerorum ac puellarum instructione speciatim.*

Si jugiter hæc instructio curanda est, hodie maxime; idque exposcit non modo religiosæ educationis defectus, sed etiam ingens perversionis periculum quod undequaque patitur in præsens juventus. Ministri Domini auribus percipite verba Supremi Pastoris, qui vos omnes in tanta calamitate urget clamando: *Auxilium offerte juventuti.* Ad hoc autem confert maxime: 1) Ut masculi a fœminis separati distribuantur in varias classes pro eorundem ætate ac idoneitate: eorum nomina in catalogo describantur et iisdem ascensus non permittatur ad classem superiorem ni tradita et explanata in classe, cui adscripti erant, accurate prius didicerint — 2) Catechesis (cui nulla feria, sed omnibus diebus festis fieri debet) signo crucis inchoetur recitatione vel cantu orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ et aliquoties Symboli, Dei et Ecclesiæ præceptorum — 3) Lecta interrogatione, responsio iterum iterumque exponatur ad literam; atque verborum sensus brevi et ad audientium captum accommodato modo explicetur — 4) Tum responsum tum hujus sensus a pueris exquirantur, nec ad ulteriora procedatur priusquam priora ad literam pueruli didicerint — 5) Catechismo expleto, Parocho vel alio sacerdote præeunte, recitentur actus fidei, spei caritatis et contritionis. Quoad pueros rudiores aut pene nullius ingenii, eos parochi instrui satagant quo melius fieri poterit sive publice sive etiam privatim, ut veritates saltem ad salutem necessarias ediscant; speciatim autem eos commendent parentibus vel aliis personis piis. Hactenus *Synodus Aquensis* anno 1876, cui consonant omnes synodales præscriptiones.

Uno verbo nulli parcant labori animarum pastores, ut excutiatur tanta in rebus fidei inscientia ac neglectus, pueros præmio alliciendo, ad æmulationem excitando et identidem cum solemnitate publica experimenta habendo. Item multum confert, experientia teste, si opera utantur piorum laicorum, qui opportune et importune, ut ita dicam, urgeant parentes ut ad catechesim jugiter mittant filios suos, si eos morigeros, obedientes ac probos habere velint. Huc præcipue spectat litera ad Cardinalem vicarium Leonis XIII 26 junii 1878. Et in præfatione ad catechismum ab ipso editum pro Perusina diœcesi: *Come l'istruzione religiosa è quella che salva l'individuo, la società; così la mancanza di essa è quella che acceca i popoli, ed accecandoli li rovina* (v. Podestà, *Il sacerdote e i fanciulli; saggi pratici pel giovane clero;* Chiavari, 1878).

APPENDIX SECUNDA

844. *Brevis Symboli Apostolici expositio ex Gury* (1).

Art. 1. **Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ**: 1) *Credo in Deum,* idest credo Deum existentem unum in essentia et trinum in personis, Deum finem ultimum; credo Deo loquenti — 2) *Patrem,* pri-

(1) Symbola illustriora sunt: Apostolicum, Nicænum, Costantinopolitanum, Athanasianum: *quæ,* ait Angelicus, *in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia* (2, 2, q. 1). V. Scavini, *l.* II, *nn.* 826, 918.

mam personam Ss. Trinitatis et omnium rerum principium — 3) *Omnipotentem*, principale ejus attributum, sequentibus verbis etiam inclusum — 4) *Creatorem cœli et terræ*, idest omnium rerum quæ extra Deum existunt.

Art. 2. **Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum**: 1) *In Jesum Christum,* eodem modo et eodem sensu ac credo in Patrem — 2) *Filium ejus unicum*, creditur explicite, Christum esse Filium Dei naturalem, secundam personam Ss. Trinitatis et proinde Deum — 3) *Dominum nostrum*, credendum est Christum esse omnium Dominum.

Art. 3. **Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine**: 1) *Conceptus est de Spiritu Sancto;* explicite credendum Christum ut hominem, conceptum præter ordinem naturæ esse Spiritus Sancti operatione — 2) *Natus ex Maria Virgine;* explicite credenda nativitas ex Maria, Virgine ante partum et Virgine in partu et post partum.

Art. 4. **Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus**: 1) *Passus*, passio Christi explicite credenda et sub gravi — 2) *Sub Pontio Pilato*, circumstantia hæc ad fidem explicite tenendam non pertinet. Ita omnes — 3) *Crucifixus,* probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim Apost. I Cor. I, 23: *Prædicamus Christum crucifixum* — 4) *Mortuus*, mors Christi explicite credenda est; I Cor. XV, 3: *Tradidi vobis imprimis... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris* — 5) *Sepultus*, sepultura Christi explicite credenda est, sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. Lugo.

Art. 5. **Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis**: 1) *Descendit ad inferos,* probabilius hoc non est explicite credendum nec sub levi juxta Suarez; quia a fidelibus non facile intelligitur; sed contradicit Lugo — 2) *Resurrexit a mortuis*, sub gravi explicite credendum est, quia est religionis fundamentum — 3) *Tertia die*, illa temporis circumstantia non est explicite credenda. Ita communiter.

Art. 6. **Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis**: 1) *Ascendit in cœlum,* secundum humanitatem explicite et sub gravi credendum — 2) *Sedet ad dexteram Patris,* probabiliter juxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite quoad honorem, potestatem domininiumque supremum. Suarez — 3) *Omnipotentis*, idem ac in articulo primo; significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Dei omnipotentis sedet.

Art. 7. **Inde venturus est judicare vivos et mortuos**: 1) *Inde venturus est judicare*, explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines judicandos — 2) *Vivos et mortuos*, idest omnes homines mortuos ab origine mundi et vivos qui ultima conflagratione morientur. Ita communius; sed hæc verba *vivos et mortuos* juxta Lugo, non sunt explicite credenda ob varietatem explicationum.

Art. 8. **Credo in Spiritum Sanctum**. 1) *Credo*, eodem modo ac in Patrem et Filium, ut supra — 2) *In Spiritum Sanctum;* credendum explicite quod sit tertia persona Ss. Trinitatis, æqualis Patri et Filio et proinde Deus — 3) Processio a Patre, Filioque non est credenda explicite necessitate præcepti a singulis fidelibus etsi de fide sit; multa enim de fide explicite non ab omnibus sciri debent. Lugo, Suarez et alii communiter.

Art. 9. **Sanctam Ecclesiam catholicam; Sanctorum communionem**: 1) *Ecclesiam*, credendum explicite quod sit una vera Ecclesia, etc. ut supra — 2) *Sanctam*, sufficit scire et credere esse sanctam ob caput, doctrinam, sacramenta et sanctos canonizatos, quia de cæteris diversi diversa sentiunt — 3) *Catholicam*, sufficit obedientiam ipsi in persona Capitis visibilis profiteri — 4) *Communionem Sanctorum;* an credenda explicite, et quoad aliquam communicationem orationum tantum? an tantum implicite in unitatem Ecclesiæ? an sub gravi vel sub levi? non conveniunt. In praxi omnes videntur illam sufficienter agnoscere, cum sæpe dicant: *Ora, orate pro nobis*, Sanctosque frequenter invocent.

Art. 10. **Remissionem peccatorum** : 1) Credendum explicite quod Deus remittat peccata omnibus rite dispositis — 2) Item potestatem peccata remittendi in Ecclesia esse — 3) Credendum pariter explicite nullam esse peccatorum remissionem pro iis qui scienter extra veram Christi Ecclesiam esse volunt.

Art. 11. **Carnis resurrectionem** : *Resurrectionem ;* explicite credenda omnium mortuorum resurrectio — 2) *Carnis*, non vero hominis, ut ostendatur solum corpus corrumpi, dum anima remanet incorruptibilis et immortalis.

Art. 12. **Vitam æternam** : 1) Explicite credenda de necessitate medii beatitudo æterna justorum — 2) Pœna æterna damnatorum, quam indirecte profitemur credendo vitam æternam justis concedendam.

Gravissima alia fidei puncta in Symbolo non habentur, idque ratione et catechumenorum et infidelium, tum ob eorum infirmitatem, tum propter abusum qui tunc timebatur, tum etiam ex Augustino, *ut tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur.* Hac etiam ratione in illo Religionis initio plura tacebantur mysteria, ac nonnisi sensim sine sensu tradebantur. Quæ quidem prudentissima *arcani,* seu *silentii* disciplina nostris hisce temporibus videtur, ab ecclesiasticis præsertim in familiaribus cum vulgo colloquiis adhibenda, ne sacra profanorum impietati exponantur contemnenda. Neque dicant nos lucem timere; veritas lucem non timet; sed timemus ne adultorum cibo gravetur ad mortem parvulus. Hanc œconomiam docuit Christus cum discipulis ajebat: *Adhuc multa habeo vobis dicere quod non potestis portare modo* (I Joan. I).

CAPUT SECUNDUM

De Vitiis Fidei oppositis.

Art. 1. — De Infidelitate, Hæresi et Apostasia.

845. **Infidelitas**. Est *carentia fidei in subjecto capaci.* Triplex distinguitur: 1) *Pure negativa*, seu materialis; et est carentia fidei in illo, cui fides nullo modo, vel non sufficienter est annuntiata — 2) *Privativa;* et est carentia fidei in illo, cui annuntiata est fides, sed iste omittit credere ob negligentiam aut aliam culpabilem causam — 3) *Positiva* seu formalis; et est carentia fidei in illo, qui veritatem fidei sibi sufficienter propopositam negat aut errorem contrarium asserit.

I. Infidelitas *pure negativa* non est peccatum, sed tantum pœna peccati; nam Dominus ait: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Atqui Christus infidelibus negativis non est locutus neque per se, neque per suos ministros; ergo peccatum non habent. Merito hinc damnata fuit illa Baji propositio: *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Non ergo hac de causa

infideles damnabuntur ad pœnas sensus in inferno, nisi etiam sint actuali et gravi peccato maculati.

II. Infidelitas *privativa* peccatum est grave ex genere suo, quia voluntarie homo per eam omittit credere quod potest et debet credere sub mortali. Hinc Joan. III: *Qui non credit jam judicatus est.*

III. Infidelitas *positiva* est peccatum gravius infidelitate privativa; ob gravem injuriam atque contemptum Divinæ Auctoritatis (*S. Alph.*, l. II, n. 17).

846. **Infidelitatis species**. Ad infidelitatem, uti species ad genus suum revocantur præcipue: paganismus, judaismus et mahumetismus: 1) *Paganismus:* infidelitas illius, qui fidem non suscepit; sed plures falsos Deos admittit (proinde et *polytheismus* vocatur) — 2) *Judaismus:* infidelitas illius qui fidem veram suscepit usque ad adventum Christi Domini; sed eam amisit negando Christum esse verum Messiam — 3) *Mahumetismus:* sic dictus est ab arabo Mahumete illius auctore qui unum Deum creatorem fatetur; at plura fidei, rectæ rationi ac moribus contraria simul tradit in putido suo Alcorano (*D. Thomas*, 2, 2, q. 10, a. 5 et 6; et Sanseverinus, *Philos. christiana* etc.).

Hisce adjungi debent aliæ sectæ, quæ nostris temporibus tam late grassantur: quæ quidem a Pio IX tum in Syllabo tum in Vaticano generali Concilio damnatæ fuerunt: nempe *Atheismus* qui nullum Deum admittit. *Deismus*, qui omnem revelationem rejicit, licet in unum Deum credat. *Pantheismus*, qui dicit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam. *Rationalismus*, qui docet humanam rationem esse unicam omnis veri fontem: quem vere dixeris *individualem idololatriam*, nam Ecclesiæ auctoritatem rejicit, ut erigat se suasque pravas affectiones in auctoritatem. *Semirationalismus*, qui nihil in supernaturali revelatione admittit absque placito et examine rigoroso humanæ rationis. *Naturalismus*, qui in regno puræ naturæ sistit; cui affinis est *Materialismus*, qui nullam dari substantiam spiritualem docet (1).

847. Huc etiam venit absurdissimum systema de communi origine hominis ac brutorum; tanta insania in hac sæculi luce vix credi potest. Attamen duce Darwin, illam profiteri non erubescunt magistri in scholis, juvenes in circulis docentes quod brutorum animantium species passim transformantur, et aliæ in alias convertuntur, et sic

(1) V. Scavini, *l.* IV, *nn.* 145 *et seqq. ubi omnes hi errores confutantur.* Card. Alimonda, *I problemi del secolo XIX*, passim. Pizzardo, *L'Emilio ossia l'incredulità.* Item *Riccardo, ossia il razionalismo;* Bologna.

successive usque ad ipsum humanum genus, cui tanquam proximum stipitem simiam assignant; ac propterea nullam dari substantiam spiritualem, sed omnia morte finire.

Stultissimus error nulla vel apparenti ratione fulciri potest. Ac 1) Conversio specierum et falsa, et absurda est, et omni experientiæ repugnans. Audiendus clar. Liberatore: Naturæ consideratio evidentissime patefacit entia organica quotquot sunt in mundo ad aliquas reduci classes; quæ licet multifariam variari in se possint pro adjunctorum diversitate, tamen ita intra certos terminos concluduntur, ut eos transilire non valeant. Sic canis etsi pro diversitate præsertim locorum, multiplicem varietatem offerat, unde in multas stirpes dispescitur; semper tamen eandem formam, eandem structuram, eosdem instinctus, eandem fidelitatem respectu domini, eandem perspicaciam plus minus exhibet.

2) Etiamsi conversio specierum pro regno vegetali et animali prorsus non esset absurda, sed probabilis, ea tamen homini applicari nullomodo potest. Nam homo longe aliter se habet; sic enim constat corpore organico, ut etiam constet anima intellectiva et rationali, quæ per se subsistit; quæque proinde cum a materia sit independens quoad *esse*, oportet ut ab ea sit etiam independens quoad *fieri*. Homo enim vi intelligentiæ operatione gaudet, quæ a composito materiali exoriri nequit (porro nemo dat quod non habet); sed necessario profluit a principio simplici et a materiæ conditionibus plane libero. Hinc etiam fit ut universalia concipere possit et rerum essentias deprehendere et bonum immetatum appetere, et nulla vi corporea quoad animam cogi; et scientiis atque artibus ornari et jugi incremento quoad perfectionem gaudere. Quod de belluis dici nequit, nam omnia brutorum phœnomena carentiam intelligentiæ ubique patefaciunt; aperte enim ostendunt ea carere conceptibus universalibus, unde et scientiis et artibus excogitandis et sermoni articulato adhibendo sunt prorsus inepta; et societatis ineundæ et religionis colendæ, et officiorum et jurium invicem exercendorum nullam capacitatem habent. Quod si aliquam ratiocinii aut industriæ aut loquelæ aut mutuæ conjunctionis umbram præbent, hæc non ab intelligentia, sed a mero naturæ instinctu procedere patet cum perfecta determinatione ad unum, sine ulla progressus facultate. Quod evidenter ostendit bruta privari prorsus ideis universalibus, quemadmodum intelligentia reposcit (*D. Thomas, Lib.* I *Polit.*, *lect.* 1).

3) Quanquam neque ex parte corporis homo potest belluis assimilari seu simiis; si enim in aliquibus est consensus, in aliis maxima est discrepantia: quod potissimum cernere est quoàd cerebrum, quoad sceletum, manus ac pedes, uti demonstrant periti. Dissimilitudo autem est talis ac tanta, ut omnino præseferat diversum typum. Certo certius ipsæ simiæ quæ magis homini conformes esse videntur, organismo gaudent omnino proprio animalis repentis, cum contra solus homo organismum habeat animalis recto incedentis (V. Liberatore, *Institutiones philosophicæ*. Alberi, *Il problema dell'umano destino*. Card. Alimonda, *Conferenze*, passim. Scavini, *l.* I, *n.* 892) (1).

(1) Et C. Cantù: « Le bestie sono legate all'istinto; fanno quel che han sempre fatto; lo fanno senza averlo imparato. Il baco da seta si chiude nel bozzolo; divenuto farfalla, lo rompe; ne esce, s'accoppia e muore. La gallina cova le uova senza neppur accorgersi se sono le sue, o della pernice o dell'oca. L'anitricolo appena sbocciato dal guscio, corre all'acqua; le bestie hanno conoscenza di sè; possono fare e non fare atti, cercano quello di che abbisognano, scelgono fra due

848. **Communicatio cum infidelibus.** Olim graviter vetita erat communicatio sicut cum hæreticis, ita etiam cum infidelibus hæbreis, aliisque id genus in ipsis rebus civilibus. Nunc vero, notat cl. Vegezzi, ea tantum videtur vigere disciplina, ut scilicet eatenus sit prohibita hæc communicatio, quatenus inde imminere possit scandalum aut periculum subversionis: quod ex nimia familiaritate timeri debet.

Verum communicatio in rebus spectantibus ad religionem graviter omni jure prohibetur; esset enim quædam exterior professio et approbatio falsæ religionis *(S. Alph.,* l. II, n. 18).

849. Si infidelis, qui *paganismum* profitetur, sincere converti velit, motivis credibilitatis existentia divinæ Revelationis eis ostendatur, nec non Ecclesiæ, et quæ sint ejus genuinæ notæ. Quod si *judæi* sint, cum quibus congredi theologus debeat, depromet ex veteris Testamenti libris et vaticiniis in iis contentis quæ Messiæ promissionem, expectationem, epochas, munia prædicant; eaque conferendo cum novi Testamenti libris ac historia, adimpleta in Christo Jesu fuisse patefaciat (v. *Scavini,* l. II, n. 841, ubi normæ et cautelæ indicantur; et *l.* IV, *App.* 28ª, ubi methodus describitur).

850. **Hæresis.** Hæresis *ab eligendo* dicta definitur: *Error voluntarius et pertinax Christiani contra aliquam veritatem fidei catholicæ.* Itaque hæresis in non baptizato non obtinet; christianus vero ut hæreticus dici possit, necesse est ut erret, ut in aliquo fidei articulo erret, ut erret sciens volens, seu pertinaciter. Pertinaciter autem errare non est acriter errorem eligere ac tueri; sed est illum velle retinere etiam postquam contrarium est sufficienter propositum ab Ecclesia (Vid. *d. Thomas,* 2, 2, q. 11).

851. Qui deliberate dubitat de aliquo articulo fidei postquam scit illud esse ab Ecclesia definitum, hæreticus est; nam putat non esse certum quod Deus revelavit. Non ideo esset hæreticus

cibi, fra due strade. Ma questa è spontaneità che si riferisce alla natura esteriore, mentre l'uomo ha anche la libertà e si spinge di là delle cose che vede e tocca; cerca le leggi dei corpi colla matematica, le ragioni del giusto colla morale, le leggi del proprio pensiero colla filosofia, e nelle azioni si propone qualche cosa che è fuori dello spazio e del tempo. O quando la scimia imparò tali cose? chi le insegnò poi a parlare? e il parlare è il distintivo dell'uomo, è lo stromento del suo pensiero. Sentiamo adunque la nostra dignità, e non lasciamola calpestare da costoro, che ci vorrebbero abjettare sino a crederci provenienti da un babbuino, e da una bertuccia. » *(Buon senso e buon cuore:* Conf. 46: *Le bestie).*

si dubitaret, an aliquid sit dogma fidei seu definitum uti tale (*S. Alph.*, l. II, n. 19; l. VII, n. 302) (1).

852. *Divisio.* Hæresis dividitur: 1) In materialem et formalem. *Formalis* est error voluntarius et pertinax circa aliquam veritatem catholicam. *Materialis* est, qua quis aliquid credit fidei contrarium, sed tale esse invincibiliter ignorat, paratus se judicio Ecclesiæ submittere. Hinc qui natus inter hæreticos de vera fide nil cogitat, et de sua religione nunquam dubitavit, est hæreticus materialis.

2) In *mere internam,* quæ ita latet in mente, ut nullo externo signo manifestetur. In *mere externam*, qua quis nonnisi ore vel facto fidem negat, cum tamen eam adhuc in corde retineat. In *internam* et *externam simul,* quæ interius in corde est et etiam exterius manifestatur.

3) In *occultam*, quæ nemini aut paucis innotescit; et in *manifestam*, quæ patet compluribus. Verum hæresis materialis et externa tantum non est vera hæresis.

853. **Principia:** I. Hæresis est gravissimum peccatum; cum expellat fidem, sine qua impossibile est placere Deo. Imo est maximum peccatum in specie infidelitatis; quia est positivus, et maxime voluntarius contemptus Auctoritatis divinæ: et sic est immediate ac directe contra Deum. Imo secundum quod pertinaciam importat, est ex d. Thoma, species peccati in Spiritum Sanctum; quia est impugnatio veritatis agnitæ (*in* 4, *dist.* 13, *q.* 2). Qui tamen lapsus est in hæresim, verius non tenetur explicare qualis ea sit, neque quot fidei articulos uno actu denegaverit; nam objectum fidei formale unicum est, nempe veracitas Dei revelantis.

II. Cum hæresis sit crimen contra Religionem, judex legitimus ad illam cognoscendam ac judicandam non est, nisi Ecclesia. Nempe:

1) Pontifex pro toto orbe, et Congregatio Cardinalium generalium Inquisitorum, ideo maxime instituta.

2) Episcopus pro sua Diœcesi, cui demandatum est gregem suum a venenatis pascuis avertere — Imo ei facta est a jure

(1) Non item de dubitante per meram suspensionem assensus a voluntate imperatam ob motiva contraria, quia talis æquivalenter judicat motiva contraria fidei incertam illam reddere. Dixi *per suspensionem imperatam a voluntate;* nam qui cogitans de rebus fidei, intellectum ad alia divertit, et ita assensum suspendit non ex metu errandi, sed præcise tantum, ut intellectum aliis rebus applicet, non esset ideo habendus ut dubius in fide. *Antoine.*

canonico facultas procedendi in causa hæresis etiam contra Regulares (ex c. 9 *de hæret.)*, etsi exemptos (1).

3) Vicarius capitularis, Sede vacante: huic tamen alii negant auctoritatem procedendi contra exemptos, sine speciali Pontificis delegatione; quia ipse non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ sunt de jure ordinario. Sed alii affirmant, nam sub nomine Episcopi communi sententia veniunt etiam Vicarii capitulares; et hæc potestas generatim habetur ut ordinaria utpote in corpore juris inserta *(S. Alph.*, l. II, *Append.* 2ª, n. 31).

854. **Pœnæ in hæreticos**: quas incurrunt etiam istorum receptatores, fautores, defensores eisque credentes, sunt:

1) Excommunicatio latæ sententiæ speciali modo Pontifici reservata ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (v. *supra n.* 564).

2) Tum inhabilitas ad Beneficia obtinenda: et hæc statim incurritur; tum privatio Beneficiorum, si quæ jam fuerint collata. Quantum ad titulum privatio contingit ipso facto, unde statim fructus cessant, ex jure canonico. Sed quantum ad possessionem requiritur sententia declaratoria saltem criminis ex S. Congregatione Concilii.

3) Privatio jurisdictionis spiritualis quoad nominatim excommunicatos, ac sepulturæ ecclesiasticæ. Illi vero qui mandant seu cogunt tradi sepulturæ ecclesiasticæ hæreticos notorios, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam *(v. supra nn.* 537, 538, 539, 564, 565, 623).

Ut tamen hæ pœnæ incurrantur, oportet, ut hæresis sit formalis cum pertinacia et externata, etsi nemine audiente. Quare illas non incurrit (et ideo potest a quolibet confessario absolvi etsi hæreticus revera sit) qui hæresim intra mentem tenet; qui exterius eam manifestans, intus dissentit; a fortiori qui manifestat hæresim suam ad consilium petendum paratus illam explodere semel id dignoscit *(S. Alph.*, l. VII, n. 300) (2).

855. **Hæreticorum denuntiatio**. Quælibet persona cujuslibet dignitatis et gradus, si sciat aliquem esse hæreticum vel de

(1) Causæ fidei et hæresis definiri possunt tantum per Episcopum, ut eruitur ex decisione S. Officii in causa *Novariensi* 17 sept. 1856. Tantummodo potest Episcopus committere efformationem processus Vicario generali; sed causæ decisio ac sententia ab ipso solummodo Episcopo tanquam Inquisitore nato pronunciari potest.

(2) Quando absolvitur ab excommunicatione, tolluntur etiam aliæ inhabilitates. Id etiam notandum est: quando a superiore datur inferiori facultas ab hæresi absolvendi, addi solet in rescripto: *Servatis de jure servandis*, quæ indicant pœnitentem non tantum esse obligandum ad abjurandam hæresim, sed etiam ad complices denuntiandos (si opus sit), libros hæreticos, cui de jure tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, occasiones fugiendas, etc.

hæresi suspectum, generatim loquendo sub gravi tenetur illum denuntiare Episcopo vel Inquisitori ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III, et ubi non viget hæc Constitutio, saltem ex lege naturali ad avertendum grave ac publicum damnum. Quæ denuntiatio fieri debet nulla præmissa correctione fraterna, etsi hæresis probari non possit; etsi hæreticus jam ab alio sit denuntiatus, vel mortuus, vel emendatus; etsi crimen notum sit sub secreto commisso, et sub juramento. Idque ex pluribus S. Sedis decretis; hæresis enim serpit ut cancer, et semper vergit in damnum commune spirituale; ideoque regulariter non excusat a denuntiatione neque incommodum grave *(S. Alph.,* l. VII, n. 248) (1).

Dixi *generatim loquendo;* nam obligatio cessat: 1) Si quis eam per se facere nequit, vel quin etiam se ipsum hæreticum manifestet — 2) Si nulla spes punitionis eluceat; nam ad opus inutile nemo tenetur. Uti esset iis in locis, ubi hæretici catholicis permixti sunt, vel ubi (ait cl. Alasia) tanta est male sentientium de Religione multitudo, ut eos superior nullimode punire queat, prout hodie in omni fere regione evenit ob infandam illam tolerantiam quam gubernia tuentur (2).

Attamen aliter res est si agatur de ecclesiasticis, qui hæresim profiteri dignoscantur, vel sint de hæresi suspecti, ut sunt inter cæteros scelestissimi illi vere interfectores animarum, qui ut puellas aliosve ad turpia et honesta pertrahant, serio adfirmare non verentur, hæc vel carere culpa, vel malum prorsus esse leve, quæ ideo non oportet confiteri. Qui omnino sub gravi denuntiandi sunt, cum Episcopus bene providere possit et debeat, ut occurrat tanto fidelium spirituali damno. Item est, si agatur de laicis dogmatizantibus, qui Episcopo sunt denuntiandi

(1) Etsi olim plurima crimina hanc suspicionem ingerebant; attamen hodie invaluit consuetudo, tantum uti de hæresi suspectos esse denuntiandos:
1) Confessarios ad turpia sollicitantes vel sigillum frangentes, si tamen (ex communiori ac probabili sententia) per errorem doctrinaliter teneant illud rigorose non obligare. Salmanticenses id extendunt etiam ad sacerdotes pluries in die vel non jejunos celebrantes. 2) Voto solemni obstrictos, si matrimonium contrahant. Item sæculares Missam celebrantes vel Confessiones audientes. 3) Superstitiosos, si superstitio sit cum conscientia peccati, ac veram de hæresi suspicionem fundet, ut evenit si in ea misceantur res sacræ, v. g. Oleum sanctum, Hostia consecrata; vel ex superstitione effectus eveniat; aut qui alios ex professo de superstitione instrueret. Item si intercedat pactum expressum cum dæmone; secus disputant. Item blasphemos hæreticales. 4) Hæreticorum denuntiationem dissuadentes, nisi fiat ex amicitia. Item hæreticos denuntiare negligentes, si teneantur ex officio denuntiare. 5) Duces Sectæ clandestinæ et quidem sub excommunicatione Pontifici reservata; v. supra n. 600 *(S. Alph.,* l. III, n. 27; l. VII, n. 249).
(2) Verum si non potest punire discolos, potest Episcopus providere ne boni pervertantur; ideo non tam facile dicendum est denuntiationis obligationem cessare.

ut provideat gregi, saltem opportunis instructionibus, optimorumque librorum diffusione, et similibus.

856. **Communicatio cum hæreticis**. Si hæreticus est specialiter et nominatim excommunicatus, non licet cum illo in ulla re communicare; exceptis excipiendis a jure, ex dictis de Censuris. Si vero non sit taliter excommunicatus, licet cum illo communicare in rebus civilibus et politicis, secluso periculo scandali ac seductionis. In divinis autem communicare sub gravi prohibitum est; hinc illud Apostoli: *Hæreticum hominem devita;* esset enim quædam approbatio falsæ religionis, etiam remoto scandalo ac subversionis periculo *(S. Alph.*, l. II, n. 19).

Resolve: I. Non licet Sacramenta extra necessitatem extremam ab eis recipere, ut declaravit Congregatio S. Officii. Attamen tolerari potest, ut schismatici comitentur funera nostra, causa honoris civilis tantummodo. Item per se licitum est catholico, secluso scandalo, interesse convivio nuptiali hæreticorum (vel infidelium), aut eorum funera comitari quatenus est officium mere civile. Vel etiam eorum templa adire ad ea simpliciter invisenda, cum nullus celebratur ritus.

II. Non licet, imo sub gravi prohibitum est a Congreg. S. Officii 10 maji 1700, probante Pontifice, etiam per alios fungi officio patrini in baptismate, quod hæreticorum filiis ab hæreticis administratur.

III. Item vetitum est a Rituale Rom. hæreticos, apostatas, et infideles admittere ad officium patrini catholicorum, et vel ipso procuratorio nomine; idque communius dicunt vetitum esse sub gravi tum quia illorum admissio est quasi probatio falsæ religionis, tum quia illi nonnisi de falsa religione sunt sponsuri. Layman tamen id permittit si fiat ex gravi causa, et quin videatur per hoc probari eorum falsa religio, sed solum permittatur seu toleretur ad vitandam gravem offensam. Imo apud Germanos (ut nonnulli asserunt) ubi nempe catholici cum acatholicis mixti sunt, et catholicus infantem hæretici, et hæreticus infantem catholici, interveniente rationabili causa, suscipere solent. Sed non recedendum saltem apud nos a prohibitione Ritualis et C. S. Officii *(Scavini,* l. III, n. 230).

IV. Neque licet regulariter catholicis hæreticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse, cum sit in rebus sacris participare. Dixi *regulariter ;* nam ex usu id permittunt, si fiat sine ullo pravo fine. Cæterum id absolute prohibetur et sub gravi : 1) Si adsit scandalum, quod quidem in frequentia abesse nequit — 2) Si hæretici nostra præsentia firmentur in suis erroribus, putantes nos illos approbare — 3) Si adsit periculum perversionis ; quod maximum adesset si eorum conciones audiantur — 4) Si data sit specialis prohibitio : sane hodie in tanta hæreticorum procacitate et catholicorum morum dissolutione, cum vehemens sit subversionis periculum, merito plures Episcopi sub gravi et sub reservatione prohibent accessum etiam ob solam curiositatem ad protestantium cœtum ubi de religione agitur, etsi in plateis (1).

(1) Quoad hæc omnia normam habemus in Instructione relata infra n. 930. Quoad Italos autem qui se conferunt in regiones hæreticorum hæc specialia præcepit Clemens VII Constitutione *Cum sicut:* 1. Ut nemo habitet in locis hæreticorum, si

857. **Disputatio cum hæreticis.** Disputatio publica cum hæreticis coram populo vel pluribus de civitate fieri nequit sine Pontificis venia; *quia plerunque* (ait Congregatio de Propaganda) *vel ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias populi acclamantis veritas, falsitate prævalente, opprimitur.*

Disputatio vero privata seu coram paucis auditoribus jure canonico laicis est prohibita: sed ut communius docent cum Suaresio, si fiat absque Episcopi venia, cujus est judicare de disputantis peritia, et disputationis utilitate. Ecclesiasticis vero permittitur si sint valde periti, et prudenter judicent hæreticum provocare ad disputationem desiderio cognoscendæ veritatis. Secus debent se abstinere excusando se bonis verbis et illum ad apologistas mittendo, etc. Idque ordinarie conveniens est; qui enim quærunt sincere veritatem, non disputare, sed instrui petunt (1).

858. Si hæreticus velit sincere converti, eum pastor benigne excipiat. Et si sit hæreticus tantum *materialis*, doceat eum necessaria fidei catechismum diœcesanum adhibendo; et ita eum præparet. Dein Episcopum consulat quoad abjurationem emittendam, circa baptismi renovationem si opus etc.

Si sit hæreticus *formalis* vel incredulus, Dei auxilio (quod in omni casu semper implorare debet) difficultates dissolvat, ordine retento quem Tractatu *De locis Theologicis* ferme omnes sequuntur. Agat de unitate et necessitate fidei, de notis Ecclesiæ, de sensus privati absurditate, de dogmate Primatus Pontificis cæterisque in quibus hæretici a nobis discordant. At caveat ne per inanes controversias traducatur, aut libros aut alia objecta magni pretii commodet, ne periculo se exponat ea amittendi; neque sese nimis eidem familiarem exhibeat, quod est maxime observandum cum hebræis. Uno verbo ne faciat quod factum nollet, si hæreticus iste conversionem non perficiat. Quod si convertatur, semel in Ecclesia receptum non deserat, sed in fide confirmet.

859. **Apostasia a fide.** *Est totalis defectio, seu recessus a*

ibi non extet aliqua ecclesia catholica, ubi liberum sit ritus nostros exercere. II. Ne matrimonium cum hæreticis ineant sine Pontificis licentia; ne eorum sepulturis intersint; nec filios eorum, nisi baptizentur a sacerdote catholico, levare præsumant de sacro Fonte; neque vicissim filios proprios levari sinant ab illis. Item neque utantur medicis hæreticis, si adsit copia medici catholici idonei. III. Ut discessuros ad ea loca Parochi admoneant de fide catholica retinenda, præceptis observandis et Sacramentis percipiendis (*Scavini*, l. II, n. 820).

(1) Disputatio vero materialis seu ficta, quæ fit in scholis, licita est, imo promovenda, si cum debitis cautelis; cum conferat ad veritatem magis dignoscendam, et errores refutandos (*Scavini*, l. II, nn. 822 et 926).

fide christiana per Baptismum suscepta. Quamvis pauci sint qui ex professo religioni valedicant; ast frequentissime inveniuntur luctuosis hisce temporibus qui æquivalenter hoc delicto se inquinant, ut sunt increduli, pantheisti, sceptici, carbonarii et alii hujus furfuris, etsi aliqui istorum larvam revelationis fingant agnoscere, ut se christiano sub nomine tegant. Huc maxime revocantur *liberi cogitatores,* qui *dixerunt Deo: Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus* (Job XXI). Porro quia *sine fide impossibile est placere Deo, ideo sublata fide,* ait Angelicus, *nihil remanet in homine quod possit esse utile ad salutem æternam; et propter hoc dicitur Proverb.* VI: Homo apostata vir inutilis (2, 2, q. 12).

Principia: I. Apostasia a fide verius non differt essentialiter ab hæresi: quod enim apostata valedicat toti fidei, hæreticus autem ex parte tantum, non diversificat speciem, sed facit tantum differentiam secundum magis et minus in eadem specie; ideo iisdem subjicitur pœnis (v. n. 564) — Apostatæ autem a fide ad pœnitentiam redeuntes non tenentur ad abjurandum publice coram infidelibus; sed sufficit ut apostasiam abjurent coram fidelibus abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium si protestativum falsæ religionis ex *S. Officii Congregatione* (1).

II. Constitutio *Apostolicæ Sedis* prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto ac speciali modo Pontifici reservatæ aliisque pœnis contra hæreticos, *nomen dare* sectis hæreticorum aut apostatarum, ut est secta luterana, anglicana, etc.; et illorum qui dicuntur *liberi cogitatores;* qui nempe licet baptizati eo perfidiæ deveniunt, ut non solum catholicam fidem, sed omnem religiosam auctoritatem superbe ejiciant.

Prohibentur autem sub excommunicatione simpliciter tantum Papæ reservata, si nomen detur aliis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur (2). Item est de iis qui iisdem sectis favorem præstant (v. *Scavini,* l. II, nn. 819, 921, etc. et supra nn. 564, 600).

Casus. Aurelius irascitur quoties recogitat se baptizatum fuisse. R. *Si in Baptismum quem suscepit, indignatur, quia fastidit nimis*

(1) *De miserando apostatarum fine* v. Scavini, l. II, n. 922. S. Alphonsus notat cum d. Chrysostomo omnem errorem in fide ortum habere tum a superbia tum a luxuria; rebelles enim ab Ecclesia quærunt censum et uxorem. Ad rem Gaume: *Le malattie morali cominciano dal cuore; uno vuol essere libero pensatore non per altro che per essere libertino; l'incredulità è pianta che non mette radice se non nel fango.* (Scavini, l. IV, nn. 196 et seqq.).

(2) V. Ségur, *I framassoni che sono, che fanno, che vogliono;* Roma, 1879.

se obligationibus submittere ex Baptismo provenientibus, verus a fide apostata non est dicendus. Esset autem si ad aliam religionem jam transierit, vel illis verbis et factis suis intendit abjurare vel jam abjurasse totaliter catholicam fidem. Episc. Bersani.

860. Quæres : *An fideles compelli possint ad fidem tenendam et infideles ad illam suscipiendam?* — Audiatur Angelicus (2, 2, q. 10, a. 8) : *Dicendum quod infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et judæi ; et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis est. Sunt tamen compellendi a fidelibus si adsit facultas, ut fidem non impediant, vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus : et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne Christi fidem impediant.* Nam cum Ecclesia potestatem habeat a Deo docendi omnes gentes et prædicandi Evangelium omni creaturæ, jus quoque habere debet curandi, ut illud propagetur, atque sustineatur.

Alii vero (prosequitur d. Thomas) *sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt et eam profitentur, sicut hæretici et quicunque apostatæ; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt.* Verum si hisce temporibus non amplius fas est ad fidem vi compellere, adhuc tamen possumus et debemus, si caritas populi ac zelus domus Dei urget nos, et fideles a periculis infidelitatis amovere, et infideles ad fidem adducere. Quod ut prospere cedat, oportet non tantum orare Dominum, sed etiam obolum curare ad fidei propagationem, et ita thesaurizare nobis thesauros in cœlo (v. *Scavini*, t. II, n. 808 ; l. IV, nn. 283 et seqq. ubi *de piis associationibus ad fidei propagationem;* item *de protestantium missionibus).*

ART. 2. — **De Libris prohibitis.**

861. **Qui prohibentur Libri.** Ii libri subjiciuntur Ecclesiæ prohibitioni, in quibus noxia pascua continentur: vel quibus abuti possumus, uti sunt libri etiam optimi ; qui tamen attentis peculiaribus temporum, personarumve circumstantiis sine nocumento non possunt indiscriminatim permitti, nisi sub datis cautelis, et ideo generatim prohibentur. Ut patet de ipsa Scriptura sacra, *thesauro, quem Spiritus Sanctus* (ut ait Tridentinum, sess. v, c. 1 de R.) *summa liberalitate hominibus tradidit;* nihilominus in linguas vernaculas versa periculosa evadit ob facilem abusum, uti constat ex quotidiano protestantium exemplo; et ideo generatim ita edita merito prohiberi solet (v. *propo-*

sit. 79 et seqq. *Quesnelli;* et *proposit.* 67 et 68 *Synodi Pistoriensis damnatæ;* et infra dicenda n. 870) (1).

Attamen qui ordinarie prohibentur libri, ideo prohibentur, quia pravam in se continent doctrinam. Ex Regulis Indicis prohibetur sub gravi imprimere, retinere, legere, defendere: 1) Libros omnes hæresiarcarum, qui caput sectæ sunt, in odium auctorum — 2) Libros hæreticorum, qui de religione ex professo tractant, id est de his quæ ad religionem quoquomodo pertinent, v. g. si agant de rebus moralibus, canonicis, liturgicis, de historia Ecclesiastica. Item orationes, imagines, carmina, formulas fidei, apologias quibus hæresis vindicatur et sustinetur — 3) Libros, etsi catholicorum, de obscœnis, vel de magia ex professo tractantes (*S. Alphonsus,* l. VIII, nn. 283, 289) (2).

862. **Principia:** I. Ecclesiæ est noxios prohibere libros. Sane si Ecclesiæ Præsulibus fidelium cura a Christo per ea verba concredita est: *Pascite qui in vobis est gregem Dei; attendite vobis et universo gregi,* etc.; consequens ergo est, ipsos potestatem habere independenter ab omni humana auctoritate, bona pascua ovibus designandi easque arcendi a noxiis. Quid autem magis noxium quam pravi libri? libros vocat Basilius *cibos animarum;* ideo *cibos venenatos,* si pravi sunt.

Si dictante Apostolo *corrumpunt bonos mores colloquia prava,* quid de pravis libris dicendum erit, qui semper nobiscum adsunt, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo auctori aditus non pateret? Nil ergo mirum, si Patres horum librorum lectionem jugiter prohibuerint, eosque comburendos præceperint exemplo Apostolorum; si Concilia ac Pontifices Congregationes instituerint ad libros examinandos, et pœnis mulctarint qui pravos publicarent, legerent aut retinerent. Vel ipsi gentiles putida scripta execrabantur, ut ex historia passim constat: Plato ajebat libros impudicos omnino a civitatibus eliminandos; et nil scriptis esse publicandum sine magistratus consensu. Tullius in poetas ira exardescit, qui mollibus versibus, *nervos virtutis elidunt.* Et multoties apud Romanos, ut Livius refert, negotium hoc magistratibus datum est, ut li-

(1) Si hoc sensu periculosa dici potest vel ipsa S. Scriptura, vox *periculosa* non semper uti nota theologica habenda est; et ideo nil vetat ut liber alicujus licet præclarissimi Auctoris periculosus dicatur, etsi theologica censura non sit notandus, si nempe novis formulis instructus, si intellectu difficilis, si obscuritatem, ambiguitatem aliquando præseferat, adeo ut lectores de facili eo abuti possint.

(2) Libri de obscœnis ab antiquis conscripti in textu originali permittuntur, non tamen pueris. *Regula* 7ª *Indicis.*

bros vaticinos, et malos conquirerent ac comburerent (S. Alphonsus, *Dissert. hac de re,* l. I, *Append.* 3.ª Et plura disserit Scavini, l. II, nn. 825, 930; l. IV, n. 186) (1).

II. Libros noxios prohibere spectat ad R. Pontificem pro toto orbe, qui ad hoc ordinarie utitur opera Congregationis S. Officii, et præcipue Congregationis *Indicis* ideo institutæ, et aliquando ipse immediate illos prohibet speciali Constitutione aut Brevi. Pro sua autem Diœcesi Episcopus libros noxios prohibere tenetur; cum ejus munus sit, ut gregem suum sana doctrina pascat. Hac de re S. Indicis Congregatio jubente Pontifice Episcoporum zelum urget (2 apr. 1873). Quæ quidem prohibitio per se obligat sub gravi, cum agatur de re gravi (2).

III. Quod de libris, idem valet de pravis foliis (vulgo *gazzette);* quæstio enim non est de forma, sed de substantia: et ubicumque invenitur error, profligandus est. Et S. C. Inquisitionis interrogata 1832 ab Episcopis Helvetiæ: « Utrum ephemerides seu diaria subjici debeant censuræ Ordinarii (seu examini et approbationi); et an etiam quoad opiniones politicas? An eidem censuræ subjaceant non solum articuli doctrinales, sed etiam

(1) Statim ac per fide dignos vel publicas et probatas ephemerides ad nos pervenit certa notitia prohibitionis, obligat. Præstat tamen, ut Episcopi in Calendario, vel alia arrepta occasione, tum Decreta prohibitionis librorum, tum aliarum Congregationum decisiones ad praxim spectantes publicarent.

Porro nostrum non est rationem prohibitionis proprio marte designando ejus vim enervare, sed nostrum est latam prohibitionem illico acceptare, venerari atque ex corde nos illi submittere. Notum est enim quanta adhiberi solet diligentia, prudentia, longanimitas in trutina librorum; et ideo nemo conqueri potest, si post tam subtile examen ad omnem tergiversationem vitandam liber damnatur, quin publicentur errores. Ad rem Bossuet: *Les condemnations générales sont utilement pratiquées dans l'Église, pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes et souvent même le dernier, suivant l'exigence de cas et le degré d'obstination, qu'on trouve dans les esprits* (v. Scavini, l. II, n. ult.; l. IV, nn. 187 et seqq.).

(2) Congregatio S. Officii ut plurimum libros damnat quæ sunt contra fidem vel mores bonos; hæc ideo prohibitio jugiter stat. E contrario S. Indicis Congregatio damnat libros non tantum quia in se mali, sed etiam quia periculosi sunt, et tunc hæc prohibitio potius disciplinam respicit, quæ quidem mutatis temporibus, hominibus et circumstantiis et ipsa mutari potest. Hac ratione intelligitur quomodo Opera Galilæi, et quoddam opusculum Bellarmini et Segneri olim in Indice posita hodie expuncta sint. At quandiu illa prohibita, nullomodo licet excipere, et prohibitionis vim enervare, conclamando illa esse importuna, non perniciosa; esto quod forsan in posterum sint permittenda, hodie tamen certo sunt reprobanda.

Item aliquando S. Congregatio libros alioquin censura dignos, sine prohibitione *dimittit*, ut factum scimus quoad opera Romagnosi, Muratori et C. Cantù; tum ob illorum auctorum rectitudinem ac praeclarum nomen, tum quia alia plura ediderunt commendatione digna. Vel ipsa *Declaratio cleri Gallicani* a Bossueto confecta licet pluribus scatet erroribus, tamen sine prohibitione dimissa fuit *nedum ob memoriam auctoris ex tot aliis capitibus de religione benemeriti* (ut ait Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniæ Inquisitorem 31 junii 1748), *sed ob justum novorum dissidiorum timorem* (v. Scavini, l. IV, n. 128).

articuli in quibus facta narrantur? Responsum fuit ad omnia *affirmative.* Et Pius IX Encyclica *Nostis* (1849) Episcopos hortando ad fideles avertendos ab omni pestifera lectione, signanter nominat *impios libellos, ephemerides*, *ac pagellas.* Et 1864 24 aug. publicari jussit per S. Indicis Congreg. epistolam ad omnes Episcopos eos gravissime excitando ad noxias lectiones suis in diœcesibus proscribendas propria auctoritate; et quatenus opus ad procedendum in hac re etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, facultatem fecit (*Scavini,* l. II, n. 931).

IV. A solo autem R. Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii aut Indicis licentia impetranda est legendi libros per ipsum Pontificem vel Congregationes prohibitos: generatim enim illius est permittere cujus est vetare; et ideo ab Episcopo licentia petitur pro legendis libris ab ipso vetitis (1).

863. **Resolve**: 1) Sub custodia libros prohibitos, si eos legendi facultatem habemus, caute custodiamus providentes insuper, ne post nostram mortem in hæredum manibus veniant; cum id esse nequeat sine maxima animarum pernicie, experientia teste.

2) Libri prohibiti non sunt domino reddendi, si eos retinendi facultatem non habeat, etsi illos petat, ne detur occasio transgrediendi legem. Excipe si nequeant denegari sine gravi incommodo, ut si inde rixæ, blasphemiæ, lites; tunc ipse dominus videat. Attamen levis contristatio vel timor dissolvendæ amicitiæ non censetur ratio de se sufficiens, saltem plerumque.

3) Non tutus potest legere qui licentiam obtinuit, si satis firmus non sit in bono proposito; quia lex naturæ est, ut nemo se peccandi discrimini committat. Si tuti esse velimus, non curiositas, non oblectatio nos impellat ad impetrandam librorum prohibitorum licentiam eosque legendos; sed necessitas vel gravis sane utilitas, habita ratione muneris nostri et status. Puriores

(1) Quilibet potest ad S. Indicis Congr. recurrere pro obtinenda licentia; sed regulariter proprii Episcopi attestationes requiruntur, et causam hujusce petitionis indicare oportet. Qui autem licentiam a S. Congregatione obtinuit, non ideo potest legere aut retinere diaria, quæ forte a proprio Episcopo nominatim prohibita sunt; nam S. Sedes ab iis non dispensat quæ Episcopi in sua diœcesi proscribunt, nisi id expresse declaraverit.

Cum autem nonnulli hac de re contrarium sentirent, a S. Cogregatione quæsitum fuit: « Utrum Christifidelibus sive laicis sive presbyteris, qui facultate gaudent apostolica legendi et retinendi libros in Indicem relatos, liceat tuta conscientia aut legere aut retinere ephemeridem (cujus titulus *Il Corriere di Crema)* ab Episcopo Cremensi nominatim in sua diœcesi prohibitam? In Congregatione Indicis generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 3 febr. 1879. E.mi Patres rescripserunt: Ad dubium uti proponitur, *Negative.* » Hæc responsio data fuit cl. Valdameri Rectori Seminarii episcopalis Cremensis.

habemus fontes ad hauriendas aquas salutares, quin fodiantur cisternæ dissipatæ et fœtentium aquarum (1).

4) Qui moraliter certus est, nullum sibi imminere perversionis periculum, adhuc legere nequit absque licentia libros prohibitos. Est sententia communissima et sequenda; justis enim legibus parendum est, et nostrum non est disputare circa leges, sed obedire. Adde, finis prohibitionis non solum est, ut damnum evitetur conscientiarum, sed etiam ne detur hæreticis aut aliis improbis scriptoribus ansa perniciosissima malos libros evulgandi; unde nunquam cessat omnino finis adæquatus prohibitionis. Adde hallucinationis periculum; nam nemo quantumvis pius ac doctus tuto potest confidere, quod nullum detrimentum capiat ex tali lectione, maxime si elaborato stylo ac captioso (ut solet) liber sit conscriptus, et zelum ac caritatem ostentet. Luctuosa experientia testis est; sic Eutyches invictus antea fidei confessor ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi mutatus est in infandum hæreticorum caput. Sic Bulincerus doctor catholicus olim piissimus, librum legit Melancthonis, et cecidit. Sic Avitus presbyter legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret eorum confutationem, imo et per Hieronymum, ut sibi caveret monitus esset, virus tamen lethaliter absorbuit.

5) Qui Diaria irreligiosa vel ex solatio legunt, etsi firmi in virtute sint, attamen sensim sine sensu, ut non raro lugendum est, illorum induunt spiritum in male judicando, in Ecclesiæ præcepta parvipendendo, etc. Adde scandalum quod dant cæteris tali lectioni vacando; idque fortius dicendum est de ecclesiasticis (2). Væ qui propria pecunia concurrunt ad talia impia scripta

(1) « La legge naturale impone a tutti stretta obbligazione di evitare il pericolo prossimo di un grave danno spirituale; e a tal pericolo espongono senza dubbio l'universale dei lettori i cattivi giornali, siccome quelli che o direttamente o indirettamente insidiano alla lor fede; o alla men trista guastano nelle menti anche più sane il criterio religioso, e vi fanno a poco a poco penetrare i falsi principj del liberalismo. Adunque la lettura de' cattivi giornali deve intendersi per legge naturale universalmente proibita. » Civ. catt., ser. 8, t. II: *dubbj di un nostro associato intorno alla lettura dei cattivi giornali.*

Hic toti esse debent parochi et confessarii in denegando absolutionem iis qui habitualiter tales ephemerides legunt. Neque facile relinqui possunt in bona fide; tum ob concursum quem illarum diffusioni præstant, tum ob scandalum quod præbent, tum ob certum perversionis periculum quod incurrunt: nam ut dixi, et confirmat Ségur: *Nulla è tanto più pericoloso di un giornale non cattolico; questa lettura ripetuta ogni giorno s'insinua profondamente e prontamente nelle menti più sode, e finisce col falsarne il giudizio* (La rivoluzione, c. 23). Scavini, l. II, n. 931.

(2) « Lontano dalla casa d'ogni ecclesiastico quadri, stampe, effigie meno oneste; il merito dell'artista, la comune usanza non possono scusare il pericolo e lo scandalo. Via eternamente i romanzi, i racconti, gli album, i musei, i periodici, i giornali che disprezzano la Chiesa, che bistrattano i suoi ministri, che insegnano la licenza.

sustinenda, propaganda! Væ qui tales ephemerides vel coram ipsis sæcularibus legunt, vel in ipsis publicis officinis; et quod lacrymis dignum est, risu excipiunt illorum contra Deum, religionem ac personas sacras cachinnos atque calumnias (1).

6) Non licet dominis hospitiorum (vulgo *caffè, bazar, trattorie)* folia publica hospitibus legenda exhibere si evidenter, directe et ordinarie sunt Religioni et moribus adversa, ac ideo ex professo et intrinsece mala, insidiosa et subversiva; etiamsi propterea hospites ad ipsos confluere desinant. Agitur enim de damno gravissimo, spirituali ac publico: unde publicæ eorum diffusioni cooperari non licet, quacunque de causa — At admittere possunt ex Gury quæ de rebus politicis tractant, nec videntur teneri ad ea rejicienda, eo quod interdum aliquid minus rectum aliquando illa diaria contineant. Quod currit etiam de privatis qui tales ephemerides sibi comparant, si revera nullum periculum subeant; sed caveant ne earum lectio libera sit filiis, servis, etc. Quanquam quoad possunt, a tali lectione omnes amovendi sunt; nam venenum semper venenum est, quacunque cautela adhibeatur (2).

7) Privati debent confessarii mandatis obsequi in his quæ lectionem librorum vel ephemeridum respiciunt. Sacra enim Officii Congregatio 1832 ad Helvetiæ Episcopos interrogantes: *An fideles salva conscientia legere possint ephemerides vel libros qui censuram Ordinarii non subierunt?* respondit: *Recurrant ad confessarium* (nempe ut sciant, an talia diaria vel libros tuto legere valeant). Confessarius vero debet Episcopi directionem sedulo inquirere; et semper præ oculis habere monitum s. Alphonsi: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi;* nam lectio subvertit cor.

8) Libri partim boni, partim mali generatim nequeunt typis mandari et vendi; nam nitimur in vetitum.

che insultano al pudore, che spengono la fede. Per quanto si possa essere cauto nel maneggiare tali brutture, qualche cosa resta sempre; senza dir nulla del gravissimo scandalo che si porge a' frequentatori della casa. Tesorizziamo meglio il denaro del povero e nostro. Sta sì che si sappiano gli errori che si spargono per premunirne il popolo; ma a ciò basta un buon giornale religioso, a cui però è bene che un ecclesiastico si associi » (Apud *Scavini*, l. IV, n. 7).

(1) Generatim diariorum etiam bonorum lectio nobis pauca et prudens sit, ne studiis sacris ac ministerio nostro deficiamus. Loca autem in quibus leguntur scripta, libri, diaria probatæ simul et vetitæ lectionis *(casini di lettura)* ne adeamus, neque illis nomen demus. V. Synodus ultima Viglebanensis et Aquensis.

(2) Ipse Pius IX agens de Diariis pravis a se Romæ prohibitis dixit: *Illis utatur faber, sed ut ignem accendat; sutor sed ut picem involvat; sartor sed ut cum ipsis vestes mensuret* (v. Berardi, *De occasionariis* hic).

9) Si opus prohibitum in plures tomos sit distributum, an omnes sint prohibiti, si error in uno eorum dumtaxat contineatur, disputant; sed videtur dicendum cum Lugo: si operis argumentum divisionem recipiat, ut historia, dictionaria, negative. Secus affirmative; nam in primo casu diversi tomi ab invicem diversi sunt, et singuli eorum videntur subsistere per se; non vero in secundo casu *(Scavini,* l. II, n. 931).

10) Qui diariis impiis se sociant generatim loquendo peccant, cum concurrant ad erroris propagationem: imo si agatur de diariis, quæ hæresim propugnant, incurrunt in censuram specialiter reservatam, si sit cum animo eam sustinendi, propagandi (vide n. 566) (1).

864. **In edentes libros aut scripturas sine approbatione.** Qui sine Ordinarii approbatione imprimunt vel imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes ex Constit. *Apostolicæ Sedis* excommunicationem illico incurrunt, at nemini reservatam (de qua supra n. 628) — Qui vero cæteros libros aut scripturas edunt sine proprii Ordinarii licentia, aut Ordinarii loci ubi libri typis eduntur, non videntur excusandi; nam urget canonica lex, quæ omnibus vetat ne libros aut scripturas cujusvis argumenti in lucem edant, vel edendas mandent, aut concedant ut edantur, sine prævia approbatione ecclesiastica. Hujus legis origo initium habet a Concilio Lateranensi sub Leone X; quæ quidem (quidquid sit de civili libertate) ipsam conscientiam ligat, et confirmata fuit a regula decima Indicis; atque adeo semper in viridi est, cum Index librorum apud omnes jugiter obtineat, et obliget universos; et nuperrime (1872) jussu Pii IX, fuit de novo editus pro toto christiano Orbe. Quod si per Constitutionem *Apostolicæ Sedis* limitatæ fuerint censuræ; non tamen prohibitio, ut omnibus notum est (2).

(1) Quoad irreligiosa Diaria nulli parcendum labori, ut populus ab eorum lectione arceatur; per hæc enim hisce maxime temporibus lugemus totius societatis subversionem, religionis contemptum, suicidia, proditiones, et tot animarum ruinam. « Il 4 giugno 1874 a Vincennes è stato messo a morte certo Emilio Bonnard, il quale nel tempo della Comune di Parigi si era fatto reo di assassinio. Meno snaturato di altri suoi pari nella carcere si pentì de' suoi falli.... Nel viaggio doloroso dalla carcere al luogo del supplizio coi due pii sacerdoti che lo confortavano parlò sempre delle sante verità di fede, e raccomandò alla loro carità il figlio e la madre. Toccò ancora dei giornali, di questi infami giornali che ingannano il popolo e lo infiammano al delitto. *Voi vedete in me l'opera loro,* ripeteva; *sì, quando mi vedrete cadavere, dite pure e ripetetelo*: ecco l'opera dei giornali cattivi. Sono i giornalisti, questi infami avvelenatori del popolo che meritano la morte; sono essi i veri colpevoli; ed io, povero padre di famiglia, io sono pur troppo una delle vittime loro. » *Il Conservatore.*

(2) Statim ac quis dignoscit suum librum a S. Sede esse damnatum, oportet ut sine tergiversatione, sed ex corde ac palam se submittat et librum rejiciat. *Ex corde*, solum enim externum obsequium ac submissionem præstare jansenianum est, nec justificat. *Palam*, ne coram publico videatur reluctari contra Ecclesiæ leges cum magno fidelium scandalo; ac ideo etiam debet dedignari et repulsare pravorum laudes atque plausus, et colligere atque extinguere si in ejus facultate sit, exemplaria damnati operis, ne venenum pergat nocere.

Hic maxime laudandus episcopus Fenelonius; ex quo accepit suum librum *Mas-*

865. Quod si laici aliquatenus excusari valeant edentes libros sine tali licentia utpote ad prohibitionem non attendentes, neutiquam excusatione digni sunt ecclesiastici, qui legem scire debent. Hinc Episcopi Vercellensis provinciæ in epistola ad Clerum 18 novembr. 1849, pro omnibus hanc præscriptionem urgentes *persuasum habent omnes de librorum impressione sanctiones ab ecclesiasticis maxime viris religiosissime servatum iri* (1).

866. **Pœnæ in edentes, legentes et retinentes libros vetitos.** Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicæ libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, ex Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, præter gravem culpæ reatum incurrunt in excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam.

Qui vero edunt, legunt vel retinent cæteros libros quacumque alia ratione prohibitos, peccant tantum, at mortaliter; quia transgrediuntur gravissimum Ecclesiæ præceptum cum maximo spirituali suo detrimento. Hodie igitur libri prohibiti dividuntur in duas classes, nempe in libros prohibitos sub culpa et pœna, atque in libros sub culpa solummodo vetitos (v. nn. 566 et seqq.).

867. **Libri romanienses** *(Romanzi)*. Hac de re præ oculis hæc habenda sunt:

I. Qui componunt libros graviter obscœnos, mortaliter peccant; multis enim præbent occasionem ruinæ spiritualis. Item mortaliter peccant librarii, qui eos exponunt et occurrentibus vendunt. Libros autem hujus generis etiam ex levitate, curiositate vel recreationis causa legere, est regulariter mortale; quia ex se nati sunt sensus commovere, et flammas impuras accendere. Hac de re magistri, genitores, superiores communitatum sedulo invigilent; pravorum enim librorum consectaria in juvenibus immedicabilia sunt (2).

sime dei Santi fuisse a S. Sede damnatum, non solum statim et ex toto corde prohibitioni adhæsit laudabiliter se subjiciendo; sed damnatum librum publice et solenniter e suggestu damnavit, reprobavit, proscripsit, omnia exemplaria summo studio colligens et comburens; et Ostensorium conficiendum curavit, in quo angelus erat insculptus, qui pedibus suum librum proculcabat.

(1) Et Episcopi provinciæ Taurinensis 2 oct. 1852 statuerunt: *Dovendo gli ecclesiastici... precedere i laici nell'esercizio d'ogni cristiana virtù ed in ispecie della obbedienza alle prescrizioni della Chiesa... dichiariamo che sono obbligati a sottoporre qualunque loro produzione sia in nome proprio che in nome altrui, alla revisione del proprio Ordinario od almeno di quello del luogo ove s'intende stampare la produzione stessa.* Hoc pro omnibus norma esse potest.

(2) « Occhio aperto (ad rem monet genitores Diar. *Il buon pastore* anno 1872) sui libri che s'imprestano alle vostre ragazze; se anche vi dicono che è un libro

II. Alii sunt libri amores licitos vel illicitos describentes, qui ad libidinem graviter non excitant, nec sensus adeo commovent; ideo qui, secluso scandalo, illos ex sola curiositate legunt, mortaliter non peccant. Imo neque venialiter qui ob causam legitimam, v. g. ad discendum id faciat. Attamen si agatur de ecclesiasticis raro istiusmodi lectioni vacare possunt sine gravi peccato; nam inde (experientia teste) tædium pietatis, studiorum neglectus, extinctio spiritus ecclesiastici et ingens scandalum.

III. Qui libros non graviter obscœnos componunt, sæpe mortaliter peccant; quia multis præbent occasionem ruinæ, sine ratione sufficienti. Non ita semper graviter peccare videntur qui eos vendunt; cum enim multi eos absque peccato saltem mortali legere possint, eo ipso ementes, exceptis excipiendis, supponi possunt habere justam causam tales libros emendi (v. plura monita apud *Scavini*, l. II, nn. 831 et 932 etc.).

868. Qui habet libros prohibitos juxta Bullam Julii III *Cum meditatio*, et Constitutionem Pii IV *Dominici gregis*, tenetur eos, sub gravi, tradere quamprimum Inquisitoribus vel Episcopis (sufficit etiam tradere habenti licentiam prout in usu est). Et Alexander VII damnavit propositionem: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri.*

Dictum est: *Tradere:* nam licet communiter a censura (si quæ lata est contra retinentes) excusetur qui librum vetitum comburit, quia sic cessat illum habere; præceptum tamen est, ut tràdatur. Verum hodiernis moribus rem accommodando plures concludunt: si libri prohibiti tales sint, ut evulgentur passim qui ideo a superioribus satis dignoscuntur, poterunt flammis tradi. At si non ita cogniti habeantur, et nimia pravitate redoleant, omnino sunt consignandi; nam maxime interest, quod superiores sciant quæ fidelibus nova propinentur venena, ut antidotum præparent, Cæterum non sufficit librum in folia discerpere, obvolvendo medicinas, salsamenta, etc.; sed vel tradendus vel comburendus (v. *Scavini*, l. II, n. 930).

869. *Casus* I. Licinius cupiens legere librum prohibitum sub clausula *donec corrigatur*, petit a parocho versato in tali libro, ut ei

di Chiesa, che è la vita dei Santi, non vi fidate. Seppi di una giovinetta che in Collegio teneva le sue superiore alla cieca in questa materia; avea messo per frontispizio ad un libro che essa leggeva, il frontispizio delle Opere di s. Teresa. Le superiore guardavano, e visto quel frontispizio, dissero alla ragazza: *Leggi pure, e approfittane.* Dopo qualche anno esse si accorsero, che erano i sucidi romanzi dei Sue. » *Scavini*, l. II, n. 932.

adsignet paginas omittendas. R. *Non est privati notare, corrigere et expurgare libros sic prohibitos, sed S. Congregationis Indicis, ut habetur in ipso Indice; sane frustranea esset prohibitio, si quilibet qui se doctum existimat, posset illam declinare per se vel per alios.* Episc. Bersani.

Casus II. Joannes librum de religione lectitans quædam deprehendit quæ a doctrina catholica abhorrere videntur; at styli elegantia illectus legere pergit. R. *Iste graviter peccat legendo in materia notabili librum periculosum; at cum non videatur scienter legisse librum errores contra fidem propugnantem, imo neque clare constet auctorem libri hæreticum esse, excommunicationem latam in Const.* Apostolicæ Sedis *non incurrit.*

Casus III. *Titius identidem sua scripta de rebus scientificis erudite ac rite tractantia mittit, ut inserantur in impia Ephemeride; putat se tuto agere, cum ita aliquid boni suppeditet lectoribus. Quid?* R. Severe improbandus est; nam sua agendi ratione ad impii Diarii diffusionem operam confert; et certe apud cordatos id ægre auditur; cum ille videatur factus quasi unus ex sociis ejus. Adde: proximam seductionis occasionem, quam ipse præbet; qui enim sua scripta legit ad alia in eodem folio legenda allicitur; nitimur enim in vetitum. Aliunde nimium dedecet, ut optimus cibus in immunda paropside porrigatur; bonum enim ex integra causa; et nulla potest esse societas lucis ad tenebras. *Scavini.*

ART. 3. — De Biblismo, Catholicismo liberali, moderno Progressismo, Indifferentismo, Protestantismo.

870. **Biblismus.** Nemo ignorat per totum orbem audacissime vagari quasdam hominum societates, quas *Biblicas,* vel etiam *Biblismum* appellant. Quæ contra Ecclesiæ regulas libros sacræ Scripturæ vulgaribus quibusque linguis translatos et sæpe etiam perversis explicationibus præditos, non cessant ubicumque diffundere sine numero, vel gratis elargiendo vel minimi vendendo — Quorsum hæc? Non alio fine, quam ut omnes fideles hæreticorum hominum vestigiis inhærentes (ut ait Pius IX) suprema Ecclesiæ auctoritate omnino despecta, sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato, proprio pravoque sensu interpretari, invertere, detorquere assuescant; cum tamen solus Christus et qui ab ipso positus est in Ecclesia sua legitimus interpres, aperire nobis valeat sensum, ut intelligamus Scripturas (*Lucæ* XXIV). Sicque *de Evangelio Christi fit hominis Evangelium, aut quod pejus est diaboli,* ut scribit d. Hieronymus (1).

(1) Neque nos incusent protestantes, quod fidelibus prohibemus Verbum Dei; non Dei verbum, sed verbum ab hominibus corruptum prohibet catholica Ecclesia. Optamus ut omnes diu versent manu S. Scripturam, si tamen genuina sit, non adulterata, verba usurpantes ipsius Foscolo ad Sylvium Pellico: *Prendi questo li-*

In Biblicas societates eliminandas toti fuerunt Pius VII, Leo XII, Gregorius XVI et Pius IX : qui omnes declarant gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, qui alicui earundem societatum dare nomen, aut operam sua commodare seu quomodocumque eis favere præsumserit. Quo quidem gravi peccato etiam se commaculant omnes talia Biblia legentes. Et Congr. S. Officii aug. 1846 ait: *Quæcunque sive contra Ecclesiam tantum sive tantum contra legitimas potestates aliquid moliuntur, sectæ sunt; adeoque societas biblica, societas clerico-liberalis huc pertinent.*

Versio autem Bibliorum in lingua vulgari, si facta sit a doctis et catholicis viris, et simul cum adnotationibus desumptis a sanctis Ecclesiæ Patribus, permittitur; nullum siquidem tunc est falsæ interpretationis periculum. Si vero agatur de versionibus licet genuinis, sed sine debitis adnotationibus, prohibentur. Hinc ad quæsitum : *Utrum permittenda impressio versionis antiqui et novi Testamenti exaratæ per Rev.*[m] *Antonium Martini sine textu latino, et sine notis*, S. Indicis Congregatio respondit: *Negative* (6 junii 1836).

Est autem notandum libros S. Scripturæ et eorundem adnotationes et expositiones sine approbatione Ordinarii evulgari prohibitum esse sub excommunicatione latæ sententiæ nemini reservatæ ex Const. *Apostolicæ Sedis* (v. n. 628).

871. **Catholicismus liberalis.** En illorum conatus, qui conciliare vellent falsam cum vera libertate, principia anni 1789 cum principiis Evangelii, revolutionem cum Syllabo. Hæc pugnantia sunt; veritas enim ad compositionem non descendit, cum maneat in æternum; *quæ enim*, ut clamat Apostolus, *quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial* (II Cor. V)? Vide *Syllabum* § 4; et Pius IX Brevi 6 martii 1873.

Huic est affinis modernus *liberalismus* (systema morale, non politicum), cujus *formula* est libera cogitatio ab omni auctoritate divina independens; cujus *finis* est exclusio revelationis ab omnibus socialibus institutionibus, adeo ut religio non sit nisi libera res individuorum; cujus *fructus* sunt matrimonium civile, scholæ laicæ, publicæ beneficentiæ opera sæcularizzata, et ita porro (v. *Civ. catt.*, serie 10ª, t. IX).

Item venit modernus *progressismus* ac recens *civilitas*, quæ cuique licentiam tribuit scribendi, ac docendi omnia absurda, et cuique acatholico cultui favet, et juxta diversas circumstantias ei adhæret cum illo, qui Londinii anglicanam, Genevæ calvinisticam, Lipsiæ lutheranam, Petropoli schismaticam, Constantinopoli mahumetanam, Romæ

bro, bacialo, perchè è il volume degli eterni veri, e contiene gli insegnamenti di un Dio (Pellico, *Poesie*, t. I). V. Scavini, l. IV, *Append.* 30ª, ubi plura *de Bibliorum lectione, ac versione Diodati.*

catholicam religionem profitebatur. Progressum etiam catholicus admittit, sed in virtute, in bonis artibus, in scientiis optimis (1).

Ad falsam civilitatem reduci potest etiam moderna societas inita *pro toto christianismo uniendo;* qua nihil absurdius; nam supponit veram Christi Ecclesiam constare posse partim ex Ecclesia romana, partim ex schismate Photiano et ex Anglicana hæresi; cum tamen unus sit Dominus unaque fides (v. *Scavini,* l. IV, nn. 154 et 169) (2).

872. **Indifferentismus** (alio nomine *tolerantismus).* Alius est *civilis* et *politicus,* quo scilicet princeps diversas religiones in sua ditione tolerat. Alius *religiosus* seu *theologicus,* qui omnes religiones æque bonas tuetur (vide *Scavini,* lib. IV, n. 155).

Primus potest permitti ad majora cavenda mala: *Quamvis infideles,* ait d. Thomas, *in suis ritibus peccent, tolerari possunt;* non tamen eos probare aut fovere. Quod item valet de hæreticis, quos lex Status permittere seu tolerare potest in necessitatis casu, ut cum catholicis in eodem civili consortio convivant. Dixi *ad majora cavenda mala et necessitatis casu;* nam ob periculum perversionis Ecclesia suos filios arcere non destitit ab istorum consortio. Ideo catholicus princeps videat, ne in religionis perniciem tolerantiam plus æquo extendat; cum sit erroribus viam aperire *(D. Thomas,* 2, 2, q. 10, a. 11).

Secundus qui in Religionis negotio facit unicuique libertatem, ut quæ sibi magis arridet sententia, eam teneat, absurdissimus est: cum enim veritas una sit et indivisibilis, quicunque cum ipsa non est, falsitatem sectatur. Et habemus ex ipsius Salvatoris testimonio, eos *esse contra Christum, qui cum Christo non sunt.* En pestiferus nostræ ætatis error, *horrendus* (ut verbis utar Pii IX in Encycl. *Qui pluribus),* et *vel ipsi naturali rationi maxime repugnans;* repugnat sane bonum et malum, verum et falsum æqualiter consociare, tanto magis æque tueri (3).

(1) In Concilio Vaticano c. 4 *de ratione et fide* legitur: *Tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo eas quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectæ sunt, ita si rite pertractentur ad Deum, juvante ejus gratia, perducere* (v. Civ. catt., ser. 10ª, t. I, c. 2: *Esame critico della storia del conflitto fra la religione e la scienza).*

(2) Quid nunc de ecclesiastico, si liberalismi nota esset inquinatus? lux conversa esset in tenebras. De hoc non suspectus auctor audiatur: « Un sacerdote non può essere liberale, se non a patto di essere cattivo prete. Uno strano abuso di parole commettono i patrioti a chiamare preti buoni i ribelli alla Chiesa, e preti cattivi i fedeli alla loro professione. Il linguaggio di quasi tutta la stampa pecca di una simile immoralità. » Ausonio Franchi, *La religione del secolo XIX* (v. Scavini, l. IV, n. 289). Hinc Rénan: *Catholicismus et liberalismus sociari nequeunt.*

(3) V. *Il Monitore ecclesiastico anno* 2°: I due poteri. *La Civ. catt.,* ser. 10ª, t. III: *Della libertà di religione e di culto.* Signoriellus, *Philosophia moralis,* p. 2.ª

873. **Protestantismus.** Notus est pravorum conatus, qui diabolicum iniere consilium de italis populis ad protestantismum traducendis. Huc respiciunt Bibliorum in lingua vulgari diffusiones, evulgatæ ephemerides ac liberculi, pecuniarum elargitiones, theoretica prædicatio etiam privatis in domibus, matrimonia mixta, calumniæ ac dicteria, etc. Pius IX anno 1849, Encycl. *Nostis* ad tam grave periculum eliminandum Præsulum curas excitat, et remedia suggerit; nempe:

1) Populum de paratis sibi insidiis edocere, et diligentissime in doctrina christiana instruere. Animarum autem curatores illud speciale dogma singulis inculcent, *sine fide catholica impossibile esse placere Deo, et æternam consequi salutem.*

2) In orationibus publicis fideles laicos una cum Clero peculiares identidem Deo gratias agere pro accepto catholicæ Religionis beneficio, suppliciter Eum exorando, ut illud in *regionibus nostris tueri et inviolatum conservare dignetur.* Et præstat, ut omnes Confirmationem tempestive suscipiant ad fortiter pugnandum; itemque, ut sæpius Pœnitentia atque Ss. Eucharistia sese muniant.

3) Ordinariæ prædicationi adjungere interdum extraordinaria spiritualium Exercitiorum et Missionum subsidia. In quibus satagant blasphemiarum horrorem inspirare, et alia graviora scelera cum magno scandalo conjuncta eliminare, uti sunt concubinatus notorii, violatio dierum festorum et præcepti ecclesiastici circa jejunia et similia.

4) Viros sana doctrina præstantes inflammare, ut contra libellos impios, ephemerides et pagellas *mendacii, calumniarum et seductionis plenas,* alios facilis evulgationis et sanæ doctrinæ libros et diaria cum Episcoporum approbatione diffundant (1).

5) Tandem venerationem et observantiam fovere erga supremam Petri Cathedram, ubi sedet Christi Vicarius, totius Ecclesiæ Caput omniumque christianorum Doctor infallibilis (2).

(1) Præstet ut ecclesiastici et maxime parochi aliquam catholicam ephemeridem sibi comparent, scribant, diffundant, in qua veritas strenue defendatur, et refutentur errores qui passim disseminantur (*Scavini,* l. I, n. 614).

Diaria curare hodie, ut ita dicam, est de necessitate ad catholicam causam sustinendam: vix leguntur libri; multum et ab omnibus Diaria devorantur; quot scripta venenata in dies eduntur et pervulgantur contra Ecclesiam ejusque ministros et societatem! Nostrum ergo esse debet promovere, adjuvare, propagare catholicas ephemerides ad tantum malum propulsandum; nil opportunius anthidotum præstari potest hac nostra ætate.

(2) De aliis fidei impedimentis v. Scavini, l. II, n. 834; et maxime l. IV, *Append.* 21ª, 22ª, 23ª, ubi de *cæsarismo, atheismo, materialismo, naturalismo, rationalismo, liberalismo, pantheismo, traditionalismo, progressismo, socialismo, radicalismo, gallicanismo, jansenismo, tamburinismo, sansimonianismo,* etc.

APPENDIX

Syllabus.

874. **Syllabus.** Pius IX, perniciosissimis nostræ ætatis erroribus jam notatis et proscriptis in Allocutionibus, Encyclicis aliisque Literis, voluit ut eorundem errorum Syllabus seu elenchus conficeretur mittendus ad omnes Sacrorum per orbem Antistites una simul cum Literis apostolicis *Quanta Cura* datis die 8 dec. 1864. In eo octuaginta propositiones diris devotæ sunt, quarum aliæ fidei et bonis moribus adversantur, v. g. propositiones 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9; aliæ Ecclesiæ disciplinam et jura pessumdant, uti propositiones 20, 23, 30, 31, 32; aliæ genuinam hominis libertatem ac civilitatem, et æterna justitiæ principia quæ omnium civilium legum omniumque societatum fundamenta sunt et tutela, penitus subvertunt, ut propositiones 58, 59, 60, 61, etc.

Hinc mirandum, quod tot inconsulti homines illum gladio linguæ incursent; at plures jurantes in aliorum verba blasphemant quod ignorant; alii propositiones malitiose detorquentes Syllabum societatis bono adversari prædicant. Sic ex eo quod prop. 80 decernat *Romanum Pontificem non posse nec debere cum recenti civilitate Sese reconciliare et componere*, statim ore fremunt, ac inde turbæ et iræ furentes. At numquid Pontifex omnem civilitatem impetat? non sane; sed *recentem* tantum. Porro recens civilitas nota est omnibus, ea est quæ veram religionem vult subvertere, quæque omnem in docendo, in scribendo, in agendo licentiam animat, alit et fovet, ut videre est in Encycl. *Jamdudum*, ex qua illa propositio excerpta est. Ad rem Leo XIII adhuc Perusiæ episcopus Litera pastorali 10 febr. 1878 ajebat: « *Se coloro che destramente si servono del* Syllabo *per piantarlo come uno spauracchio in faccia al mondo, avessero posto mente che non basta essere* abili, *ma che convien ancora e più essere* onesti, *non si sarebbero tenuti paghi di offrire all'odio altrui una proposizione staccata da un discorso formato; ma avrebbero cercato di coglierne il vero senso dall'insieme dei documenti dove si trova, e ch'erano opportunamente indicati. Procedendo di questo tenore si sarebbero agevolmente convinti, che non la Civiltà vera, la quale rampolla come il fiore ed il frutto dalla radice del cristianesimo, venne riprovata dal Pontefice; ma la spuria che di civiltà non tiene altro che il nome e della legittima è la sfidata ed implacabile nemica.* Sane catholica Ecclesia est (addit nunc in sublimi Principis apostolorum cathedra sedens infallibilis magister), *quæ servitutis calamitate sublata, ad pristinam naturæ nobilissimæ dignitatem homines revocavit; quæ in omnibus terræ plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adductis aut suo tectis præsidio, optimis caritatis institutis, queis omnis generis ærumnis consultum est fundatis et in tutelam receptis, ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitæ formam, humanæ dignitati ac spei consentaneam omni studio composuit* (Encycl. *Inscrutabili*, 21 aprilis anno 1878).

Esto ergo quod ad percipiendum genuinum sensum, sub quo pro-

positiones damnatæ fuerunt (tamen sunt quæ ex ipsa sola annuntiatione satis dignoscuntur); item ad habenda valida illarum damnationis argumenta, ad loca recurrendum sit, unde illæ excerptæ sunt. At illarum sensu semel arrepto, Syllabus qui propositiones refert, sua in nostro sensu, plena ex se potitur auctoritate, ac firmat jam prolatam damnationem in Pontificiis Actis; tum quia ipse Summus Pontifex jussit, ut conficeretur, confectus ut publicaretur, et publici juris factus ut reciperetur tanquam Romani Pontificis actus, imo haberetur a totius orbis Ordinariis tanquam regula docendi. Constat: 1) Ex epistola, qua Cardinalis Segretarius Status Syllabum ad omnes Episcopos mittebat Encyclicæ *Quanta cura* adjunctum: *Summus Pontifex voluit, ut eorundem errorum* (nempe in Pontificiis Actis jam dam natorum) *Syllabus ad omnes universi catholici orbis Sacrorum Antistites mittendus conficeretur, quo iidem Antistites præ oculis habere possint omnes errores ac perniciosas doctrinas, quæ ab ipso reprobatæ et proscriptæ sunt. Mihi vero in mandatis dedit, ut hunc Syllabum typis editum ad Te, Illustrissime et Reverendissime Domine, perferendum curarem* etc. — 2) Ex Brevi Pii IX die 11 dec. 1876 ad sacerdotem Vernhet catholici Diarii rectorem: *Cum Nos in totius Ecclesiæ documentum, præcipuos præscripserimus errores qui hodie societatem humanam universam conturbant, id certe non fecimus ut lucerna lateret sub modio, sed ut luceret omnibus qui in domo sunt. Quamobrem nequimus non probare, vos Syllabi Nostri sententias propugnandas explicandasque suscepisse* etc. — 3) Tandem ipse Pius 17 junii 1867 coram Cardinalibus ac perpluribus Episcopis aperte declaravit vivæ vocis oraculo: *Encyclicam* Quanta Cura, *necnon et* Syllabum *coram vobis nunc confirmo, et vobis iterum tanquam regulam docendi propono* — Quid nunc amplius requiritur, ut Syllabus per se tanquam genuinum Pontificis documentum habeatur? Illius jussu confectus fuit, illius voluntate evulgatus, illius auctoritate roboratus. Nil ergo mirum si Episcopi Syllabum tota mentis ac cordis adhæsione receperint ac promulgaverint tanquam supremi pastoris ac magistri oraculum, et catholicæ scholæ, et quæ in dies eduntur opera de catholica philosophia, de re dogmatica ac morali illum passim tanquam firmam ac tutam morum regulam habeant atque propugnent.

Adde: cum nonnulla documenta, ex quibus Syllabi propositiones excerptæ sunt, ad particulares missa fuerint, dubitari poterat an Pontifex definitivam sententiam edicere voluerit, qua adstringeretur tota Ecclesia. Sed hodie, ex quo Syllabus ad omnes catholici orbis Episcopos missus fuit uti norma docendi, omnis dubitatio cessat.

Syllabus damnat utique propositiones in sensu a suis auctoribus intento; at ex eo quod quæro, quinam fuerit illorum auctorum sensus, Syllabi auctoritas non evanescit: quæro sensum, ut certo sciam in quod cadat jam lata damnatio. *Regulariter* (ait s. Alphonsus, l. III, n. 760, loquendo de pluribus damnatis propositionibus a Romanis Pontificibus) *propositiones intelligendæ sunt ut jacent et in sensu rigoroso, atque ab auctoribus illarum intento;* sensum ergo propositionum scrutando damnationis valor non infirmatur. Ignoro sensum propositionum, illum quæro; nosco a Syllabo latam damnationem, illam veneror, et ex toto animo illi adhæreo.

Esto quod 80 illæ propositiones damnatæ sint sine ulla speciali censura, atque ideo adhuc possit sine errore defendi quod una vel altera non mereatur hanc vel illam notam, ac censuram specialem et determinatam; at certum est quod omnes damnationem merentur

et omnimodam reprobationem, adeo ut qui catholico nomine gloriatur teneatur sub gravi illas omnes et singulas ex corde proscribere et damnare. Item concedimus, quod uti verus hæreticus dici nequeat qui Syllabum respuit (in iis quæ ab aliis documentis uti de fide tenenda non declarantur) cum non habeatur solemnis ex cathedra definitio; sed habemus perentoriam et firmam, irreformabilem et irrefragabilem supremi ac universalis magistri ac judicis sententiam. Qui renuit Romano Pontifici ex cathedra fidei morumque dogmata definienti subesse, exulat a catholica fide, et hæreticus est; qui vero renuit cæteris ejus mandatis et declarationibus adhærere, exulat a catholica obedientia et rebellis est; uterque æternaliter damnandus.

Doctrina nempe, quæ ab Ecclesia vel Pontifice proponitur credenda fide divina propter auctoritatem Dei revelantis, constituit *dogma fidei*, et qui illud negat, hæreticus est. Doctrina vero quæ per declarationem Ecclesiæ vel Pontificis proponitur ut vera, non tamen ut revelata, creditur propter revelatam auctoritatem proponentis et constituit *doctrinam Ecclesiæ catholicæ;* et qui illam negat, rebellis est et contumax. Quæ quidem declaratio infallibilis est, etsi non de fide immediate divina; ad depositum enim fidei custodiendum in tota sua amplitudine, necesse est ut ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis coherent et ad earum custodiam, propositionem, explicationem, defensionem infallibilitas extendatur, prout multis et rite probat Card. Franzelin, *De traditione: Hæc infallibilitatis extensio,* ait, *omnibus theologis consentientibus est theologice ita certa, ut ejus negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam hæresis, quamvis hactenus explicite hæreseos damnata non sit* (1).

Ad rem porro in Encycl. *Quanta cura* habet Pius IX: *Silentio præterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt illis* Apostolicæ Sedis *judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato et absque ulla catholicæ professionis jactura. Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenæ potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatæ universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.*

Præstat concludere cum cl. Prof. Hurter: « Omnino tenendum est ab Ecclesiæ filiis assensu indubio propositiones (Syllabi) esse reprobandas atque cavendas. Sed propterea non sequitur vi hujus reprobationis propositiones contradictorie oppositas esse de fide; cum enim vi Syllabi non damnentur ut hæreticæ, inferri nequit oppositum esse de fide, nisi id aliunde constet. Quare sicut hæ propositiones continent doctrinam ex infallibili Romani Pontificis declaratione aliquo modo noxiam, ita contradictoriæ oppositæ propositiones complectuntur

(1) S. Alphonsus l. I, n. 104 ait: *Omnes propositiones a Pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ temerariæ, aliæ erroneæ, aliæ scandalosæ, etc. tamen accedente Pontificis definitione, tenendum est de fide, quod illæ propositiones vere sint temerariæ vel alia inficiantur nota quam ipsas pati Pontifex declaravit, et ideo esset quidem hæreticus qui easdem tanquam veras et licitas sequeretur aut propugnaret, ut bene ait Viva; perinde enim esset ac dicere* Pontificem errasse.

doctrinam catholicam sanam. » V. *Acta S. Sedis*, t. IV, pag. 635. *La Scuola cattolica*, t. IX: Sul valore del Sillabo. *La Civiltà catt.*, serie 9a, t. VIII: I clericali secondo i liberali; serie 10a, t. III: I chericali alle gemonie. It. Petitalot, *Le Syllabus base de l'union catholique*; Paris, 1877 (Omnes propositiones *vide infra n.* 961).

DISPUTATIO SECUNDA

De Spe.

875. **Spes**. *Est virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem æternam et media illius consequendæ a Deo expectamus.* Ex d. Thoma spei objectum oportet, ut sit *bonum:* sic differt a timore qui est de malo; ut sit *futurum,* non enim spes est de præsenti aut de præterito jam obtento: ideo spes maxime obtinet in juvenibus, qui præcipue vivunt de futuro; ut sit *arduum,* non enim quis dicitur sperare aliquid minimum; ut sit *possibile* adipisci, non sperat qui nequit obtinere (1, 2, *q.* 40).

Divisio. Spes alia est habitualis, alia actualis. Alia viva, alia mortua. *Habitualis* est habitus nobis a Deo infusus actus spei elicitivus. *Actualis* est ea quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus et media ad ipsam. *Viva* est quæ in subjecto conjuncta est cum gratia sanctificante. *Mortua* quæ caret hac gratia.

876. **Objectum spei**. *Materiale primarium,* quod primo sperare debemus, est Deus ipse juxta illud Domini (Gen. XV): *Ego merces tua magna nimis.* Objectum vero *materiale secundarium* sunt suffragia Sanctorum ac merita nostra ex gratia profecta. Hinc d. Thomas docet in solo Deo sperandum esse ut in prima causa beatitudinis nostræ; at licere simul sperare in homine, sicut in agente secundario et instrumentali (2, 2, q. 17 a. 4). Hinc Apostolus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Cæterum non sunt excludenda vel ipsa beneficia temporalia, quæ a Deo expectamus, si animæ expediant juxta illud: *Et hæc omnia adjicientur vobis* (Lucæ XII).

Objectum *formale* sive motivum, propter quod sperare tenemur, alii dicunt esse Dei misericordiam, alii omnipotentiam, alii promissionem et fidelitatem. Censeo hæc simul constituere

objectum spei formale: divina *misericordia* nempe nos movet ad Dei desiderium; *omnipotentia* Dei erigit animum ad prosequendum bonum arduum; *promissio* divina denique et *fidelitas* efficiunt, ut certa cum fiducia salutem æternam ejusque media, expectemus a Deo *(S. Alph.,* l. II, n. 21).

877. **Spei subjectus.** Spes 1) Non est in beatis, cum jam gloriam possideant. Neque dicas beatos sperare corporis resurrectionem; id enim in illis non habet rationem veræ spei. Nam hæc gloria non est quid arduum et futurum beatis, qui illam cum tranquillitate expectant; habentes enim gloriam animæ, habent jam certam nec arduam gloriam corporis — 2) Non est in damnatis; nam *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* (Prov. XI) — 3) Non est in hæreticis, cum fide supernaturali careant, quæ est fundamentum spei. Item neque in infidelibus; unde si isti vitam æternam sperant, id faciunt desiderio naturali et acquisito.

Est tamen spes: 1) In animabus purgantibus; quia etsi de beatitudine obtinenda certæ sint; ea et absens est et ardua obtentu. Id tamen alii negant; nam purgantes animæ de eorum beatitudine revera certissimæ sunt. Habent tantum spem ut citius liberentur — 2) In justis viatoribus, justi enim operantur expectantes beatitudinem — 3) In catholicis peccatoribus; nam spei opponitur sola desperatio ac præsumptio. Hinc ex Tridentino peccatores *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* (D. Thomas, 2, 2, q. 18).

878. **Spei certitudo.** Hoc sensu spes Theologica certa est, quod ex parte Dei innitatur infallibili ejus promissioni. Hinc illud: *Scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est.* Non est autem certa in sensu hæreticorum, quod nempe ex parte hominis excludatur timor ille salutaris et moderatus, qui nascitur ex opinione propriæ infirmitatis, et libero nostro arbitrio quod potest deficere. Hinc clamat Apostolus: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini; qui se existimat stare, videat ne cadat.*

879. *Principia.* Spes Theologica necessaria est in adultis:

1) Necessitate *medii;* nam si agatur de justis, spe indigent, ut possint gratiam ad perseverandum postulare: *Qui enim hæsitat, non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Si de peccatoribus, ea ipsi indigent, ut se ad justificationem disponant.

2) Necessitate *præcepti ;* nam legitur Ps. LXI : *Sperate in eo* (Deo) *omnis congregatio populi.* Hinc Alexander VII damnavit hanc n. I propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei et caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Obligat autem præceptum spei: 1) *Per se,* nempe initio usus rationis, in mortis periculo, sæpius in vita, prout supra docuimus de necessitate fidei (n. 836) — 2) Obligat *per accidens* quando necessarium est sperare vel ad debite orandum, vel ad vitandam tentationem, vel ad aliud simile. In quibus tamen occasionibus sæpe non erit necessarium formalem actum spei elicere; sed satis erit id facere, in quo virtualiter ipsa includitur spes. *Suarez.*

880. **Desperatio et præsumptio.** Duo spei opponuntur: desperatio et præsumptio.

1) *Desperatio.* Est *diffidentia assequendi beatitudinem, et media ad illam necessaria.* Si sit cum plena deliberatione, est mortalis ; siquidem magnam injuriam irrogat divinæ misericordiæ, et homini nocumentum grave adfert, ab ipso subtrahens anchoram salutis. Desperatio ordinarie oritur ex luxuria, melancholia, scrupulis, et præcipue (notat d. Thomas) ex acedia, nempe ex nimia animi dejectione, ex qua homini videtur quod non possit bonum peragere. Præstat ergo, ut confessarius hisce vitiis remedia præbeat, si velit suum pœnitentem liberare a peccato desperationis, quod adeo pericolosum est ; nam semel sublata spe, homines præcipites ruunt. Item plurimum facit consideratio bonitatis Dei, recordatio illorum qui post gravissima peccata fidentes in Deo veniam consecuti sunt; devotio singularis erga B. Virginem, peccatorum refugium, spem miserorum, etc. *(D. Thomas,* 2, 2, q. 20).

2) *Præsumptio.* Est *inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ sine mediis a Deo ordinatis.* Tripliciter præsumptione peccari potest: 1) Si salus obtinenda expectetur propriis viribus ut volunt Pelagiani — 2) Si illa expectetur a Deo sine ulla cooperatione nostra, ut tenent Novatores — 3) Si quis confidat Deum sibi fore propitium, etsi interim nolit emendari; hæc ultima species non videtur tollere habitum spei, quia fundamentum ejus non destruit, etsi gravem inordinationem importet: et in hoc peccant non raro catholici *(D. Thomas,* 2, 2, q. 21 et 130).

Etsi præsumtio veniale peccatum esse possit ex parvitate materiæ, de se tamen mortale est; tum quia præsumptuosus Dei

mandata contemnit nolens ea suscipere; tum quia negligit necessaria salutis. Causæ autem præsumptionis præcipuæ sunt superbia et ignorantia.

881. **Resolve:** 1) Esset peccatum præsumptionis, si quis ideo facilius peccaret; quia tam facile plura remittuntur peccata, quam unicum. Secus autem si quis peccata multiplicaret ex facilitate confitendi; etsi hæc sit prava dispositio.

2) Qui vult in peccato perseverare usque ad mortem sperans fore, ut se illo temporis puncto pœniteat, licet difficulter excusari possit a peccato gravi contra caritatem erga seipsum, cum se exponat evidenti periculo damnationis, imo et contra Deum, cujus amicitiam floccifacit; non peccat tamen contra spem, quia revera spem habet se pœnitendi. Excipe nisi spes ipsa sit motivum peccandi *(S. Alphonsus,* l. II, n. 21).

3) Est grave contra spem cupere perpetuo vivere, sistendo in vita temporali, ut in ultimo fine; cæterum in praxi homines jugiter vivere cupientes facile excusantur, neque enim ideo expresse valedicunt vitæ æternæ. Non est tamen per se contra spem ex tædio mortem exoptare; quia non est recedere ab ultimo fine: hoc generatim non excedit veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem Providentiæ.

4) Confessarius non illico pœnitentes de desperatione reos faciat: sunt enim animæ devotæ, quæ hisce tentationibus exagitantur, quos non credendum graviter peccasse, etsi putent se illis consensum præbere. Timor nimius de periculo salutis ne confundatur cum desperatione proprie dicta; ideo consolandæ sunt et hortandæ, ut pergant in amore Dei et bonis operibus perseveranter.

882. **Numerus electorum.** Hac de re quatuor præcipuæ hypotheses conficiendæ sunt: 1) Si quæstio est de omnibus omnino hominibus, qui sunt, fuerunt ac futuri sunt, est certum, multo plures damnari; quot enim sunt ethnici, judæi, mahumetani, hæretici, indifferentistæ, theistæ, peccatores! Quo sensu habemus illud Christi (Matth. XVII): *arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* — 2) Si sermo est de omnibus christianis sive catholici sint sive non, et tam adultis quam pueris, vel de solis catholicis, videtur certum multo plures salvari; nam exploratum est, adultos et infantes plurimos continuo decedere. Unde infantibus baptizatis, qui salvantur, sunt addendi adulti qui in justitia moriuntur — 3) Si quæritur de solis adultis christianis sive catholicis sive acatholicis, dicunt probabilius plures esse, qui damnantur; nam hæreticis, apostatis ac schismaticis mali catholici adjungendi sunt — 4) Tandem si quæstio est de solis adultis catholicis, duæ sententiæ. Prima docet ex adultis catholicis plures damnari; nam pauci servant tota vita innocentiam, paucique post peccatum agunt dignam pœnitentiam; quæ autem fit in morte admodum dubia est: pro hac sententia non immerito citantur Gregorius M., Augustinus, Chrysostomus, etc. Sed aliis magis arridet sententia eximii Suarez, qui tenet multo plures salvari: hoc quippe Dei clementiæ, Christi meritis, nec non Sacramentorum efficacitati consentaneum est. Et congruit magis verbis Apocalypsis (c. VII): *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et licet major pars adultorum sæpius mortaliter peccet, tamen sæpius resurgit; et in fine vitæ pauci sunt, qui per Sacramenta non præparentur ad mortem *(Scavini,* l. II, nn. 935, etc.).

DISPUTATIO TERTIA

De Caritate.

883. **Amor Dei**. Amor Dei alius est *naturalis*, quo Deus ut auctor naturæ amatur. *Alius supernaturalis* (de quo nunc), quo Deus amatur ut auctor gratiæ et gloriæ — Insuper alius dicitur *amor benevolentiæ*, quo Deus amatur uti bonum in se (qui idem est ac *caritas)*. Alius *amor concupiscentiæ*, quo Deus amatur uti bonum nobis *(D. Thomas*, 2, 2, q. 23).

884. **Caritas**. Definitur: *Virtus theologica, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nos propter Deum.*

Dicitur: *Virtus theologica*, tum quia immediate circa Deum occupatur; tum quia est a Deo infusa juxta illud: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v). — Dicitur: *Qua Deum super omnia diligimus propter se. Super omnia* cum Deus sit super omnia amabilis. *Propter se;* est namque de vera caritate ut Deum non diligamus propter aliud, sed propter se ipsum; *non enim* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 27, a. 3) *ordinatur ad aliud sicut ad finem, sed ipse est finis ultimus omnium* (S. Alph., *l.* II, *n.* 24).

Additur: *Et proximum sicut nos propter Deum.* Caritas ideo erga proximum non diversificatur specie a caritate erga Deum; cum unum semper sit motivum, nempe propter Deum.

885. *Desiderium possidendi Deum* est verus actus caritatis, si tendat ad Dei fruitionem ob gloriam ipsius Dei. Hinc Augustinus vocat *caritatem motum animi ad fruendum Deum propter se ipsum.* Non esset ergo actus caritatis, sed potius actus amoris concupiscentiæ diligere divinam bonitatem tanquam nobis convenientem, si in hujusmodi actu respiciamus nostrum proprium bonum tanquam terminum. Qui tamen concupiscentiæ amor bonus est nec caritati adversatur, sed simul stare possunt; ipse enim Christus nos docuit amare Deum et operari bonum ob mercedem dicens: *Quærite primum regnum Dei;* sed quærere regnum Dei non est aliud quam Deum amare et cupere ob bonum nobis. Et iterum: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (Matth. v): sed si optare mercedem malum esset.

non illum Christus nobis proposuisset. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur, anathema sit* (sess. VI, c. 31 *de Justif*). (1).

886. **Divisio**. Caritas alia est *habitualis,* et est habitus divinitus infusus actuum caritatis permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos. Alia *actualis,* et est ipse actus amoris quo Deus super omnia diligitur propter se, et proximus sicut nos propter Deum.

Alia *appretiative summa,* et ea est qua Deus omnibus omnino creaturis præfertur. Alia *intensive summa,* et est quæ non solum diligit Deum super omnia; sed insuper speciali voluntatis vehementia, et cordis conatu eum diligit.

Alia *affectiva,* quæ in corde tantum sistit; alia *effectiva,* quæ etiam in opera erumpit. Item ut respicit Deum dicitur *caritas erga Deum.* Ut vero respicit proximum, dicitur *caritas erga proximum.*

887. **Objectum caritatis.** Objectum *materiale-primarium* caritatis, quod nempe primo amare tenemur, est Deus juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum; hoc est maximum, et primum mandatum.* Objectum vero *materiale-secundarium* sumus nos ipsi et proximus noster; nam est de ratione perfectæ amicitiæ non tantum amare eum, quocum amicitia habetur; sed etiam illos, qui cum amico relationem habent. Porro creaturæ intellectuales beatitudinis capaces aliquid sunt ad Deum maxime pertinens (2).

(1) Michael Molinas sæculo XVII inter cæteros errores docuit: qui Deum diligit, non debet secum ipse cogitare *nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.* Sed totum se soli divinæ voluntati conformare, et ipsi curam de omni re sua relinquere, ita ut nec habeat rationem tentationum diaboli, nec studium iisdem resistendi. Hoc systema *Quietismus,* vel *Pseudomysticismus* nuncupatum damnatum fuit ab Innocentio XI Constitutione *Cœlestis.*

Franciscus De-Fénelon archiepiscopus Cameracensis, licet amorem concupiscentiæ non diceret malum et damnatum cum Molinos, tradidit tamen caritatem theologicam, ut sit pura et perfecta, venire debere ad eum gradum, ut nullum amplius involvat propriæ salutis desiderium. Quæ doctrina cum ad *Quietismum* accederet, dicta est *Semiquietismus,* et damnatus fuit ab Innocentio XII Brevi *Cum alias;* ac refutatur iisdem ferme argumentis, quibus Quietismus: etenim si ex Christi præcepto oportet nos *primum quærere Regnum Dei,* et dicere *adveniat Regnum tuum;* ergo amor concupiscentiæ non adversatur caritati. Actus enim quo quis suam beatitudinem appetit, refertur ad Deum tanquam ad ultimum finem, siquidem justus per actum spei tendit in Deum ut in bonum, quo consecuto nihil amplius expectat (v. *d. Thomas* apud Signoriellum, *Philosophia moralis).*

(2) *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (Matth. XXII). Sane cum bonum sit vel finis, ut ait Angelicus, vel id quod est ad finem, convenienter de caritate duo præcepta sufficiunt: unum quo inducimur ad Deum diligendum sicut finem; aliud, quo inducimur ad diligendum nos et præximum, sicut propter finem (2, 2, q. 44, a. 3).

Objectum vero *formale* sive motivum diligendi Deum, est ipse Deus, quatenus est bonitas infinita, id est radix seu aggregatio omnium perfectionum juxta illud: *Confitemini Domino, quoniam bonus* (Ps. cv). Hinc est verus caritatis actus dicere: *Deus meus! amo Te super omnia, quia es bonitas infinita; amo Te, quia es summum, infinitum et perfectissimum bonum.*

888. **Amissio caritatis.** Caritas tollitur per unum peccatum mortale; nam per hoc homo fit morte dignus, cum tamen caritas habeat meritum vitæ æternæ; porro unum contrarium per aliud contrarium superveniens tollitur. Non tamen caritas tollitur per peccatum veniale; caritas enim est directe circa finem ultimum; veniale vero peccatum est quædam tantum inordinatio circa ea quæ sunt ad finem, non directe contra finem; porro cum aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum in majori. *D. Thomas*, 2, 2, q. 24.

CAPUT PRIMUM

De Caritate seu Amore relate ad Deum, ad nos et proximos, etiam inimicos.

889. **Caritas erga Deum.** Extat grave ac speciale præceptum caritatis erga Deum. Imo hoc est maximum et primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua: hoc est maximum et primum mandatum* (Matth. xii et xxii). « Præcipitur ergo nobis (ait Angelicus, 2, 2, q. 44, a. 5), ut tota nostra intentio feratur in Deum quod est *ex toto corde;* et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est *ex tota mente;* et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est *ex tota virtute,* id est fortitudine. »

Uno verbo, modus diligendi Deum est illum diligere quantum possumus; ideo caritas nostra oportet, ut sit *appretiative summa,* ita ut majoris faciamus Deum, quam nos ac cætera omnia, ei nempe super omnia ita adhærendo, ut *neque mors, neque vita, neque creatura alia possit nos separare a caritate Dei* (Rom. viii). Sane cum amabilitas sit mensura amoris, Deus qui summe amabilis est, est super omnia amandus. Non tamen requiritur caritas *summa intensive;* tum quia hæc non est semper in nostra

potestate; tum quia intensio non est nisi proprietas accidentalis caritatis (*S. Alph.*, l. II, n. 22; l. VI, n. 442) (1).

Obligatio. Caritas obligat per accidens, seu ratione alterius præcepti, v. g. si aliter superari nequeat gravis tentatio, vel sit de necessitate elicienda contritio perfecta; in ea enim includitur ipsa caritas.

Obligat vero per se: 1) Quando homo adeptus est *sufficientem cognitionem* Dei infinite boni, a quo omnia bona sua habet, et cui omnia debet; cum teneatur Deo ex filiali amore tota vita servire — 2) In *mortis articulo*, ut communiter ac probabilissime docent; nam gravissima negligentia et contemptu in Deum accusaretur homo, si non se converteret per amorem ad Deum, cui brevi sperat amore æterno sese conjungere — 3) *Sæpius* in vita; hac de re duplex propositio ab Innocentio XI damnata: 1ª *Probabile est ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.* 2ª *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Quoties autem in vita sit elicienda caritas, alii censent sub gravi eliciendam esse saltem semel in anno, sicut de fide et spe dictum est. Verum circa actum caritatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense; cum revera difficulter possit homo diu christiane vivere, atque omnia divina mandata servare, nisi dilectionem erga Deum foveat frequenter, et nutriat (*S. Alph.*, Ho. ap., *tr.* IV, n. 13).

Attamen opus non est, ut caritatis actus explicite fiant; satis est, si eliciantur in ordine ad implenda alia præcepta vel aliam virtutem exercendam, puta ad se confitendum, ad vincendam tentationem. Imo addit Croix, esse veros actus amoris omnia opera meritoria exercita ad finem placendi Deo, uti est eleemosyna, jejunium, etc.; quia rectus finis præsumitur in eis qui jam sciunt sic placere Deo, et excludunt finem pravum. Imo quoties in Dominica oratione corde proferuntur verba: *Sanctificeturnomen tuum, fiat voluntas tua,* actus perfectæ caritatis satis eliciuntur. Ideo fideles timorati anxii esse non debent quoad hujus præcepti satisfactionem (*S. Alph.*, l. II, n. 8).

890. **Effectus caritatis.** Caritas: 1) Hominem efficit justum juxta illud Apostoli: *Caritas operit multitudinem peccatorum* —

(1) Præcepto caritatis non satisfit per attritionem in susceptione sacramenti Pœnitentiæ; quia attritio non principaliter concipitur ex Dei amore, sed ex amore sui: ideo sunt diversa motiva.

2) Veram amicitiam constituit inter Deum et hominem juxta illud Christi: *Vos amici mei estis* — 3) Facit, ut nos in Deo maneamus et Deus in nobis juxta illud: *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo:* unde gaudium et pax multa; qui enim in Deo est, securus est — 4) Nos ad omnia valentes reddit; nam *fortis ut mors dilectio,* quæ ab aquis multis non potest extingui, nec flumina obruere. Amans volat, currit, liber est, et non tenetur; omnia suffert, omnia sustinet pro amato; sane probatio amoris exhibitio est operis (v. Kempis, *De mirabili effectu et probatione divini amoris).*

891. **Caritas erga se ipsum**. Homo debet se diligere, adeo ut peccet contra caritatem erga se ipsum, qui salutem suam spiritualem (vel etiam temporalem sine causa) negligeret. Naturæ vox est; *amor incipit a se ipso.* Imo amor quo quis se diligit, est fortior amore, quo diligit proximum; quia amor sui non importat tantummodo unionem, sed etiam unitatem *(D. Thomas,* 2, 2, q. 25).

Hic tamen amor debet esse ordinatus; nam lex naturalis hoc sibi vult, ut singula suum ordinem teneant. Qui ordo postulat ut sicut mens hominis ordinatur sub Deo, ita corpus sub anima ordinetur et inferiores vires sub ratione. Qui hunc ordinem invertit non amat se, sed se vituperat *(D. Thomas,* Quæst. disp. de verit. q. 11, a. 7) — Attamen peccata contra se ipsum vix accusari solent; cum vix distinguantur a transgressione aliorum præceptorum, quæ cum illis rationem habent.

Non est autem contra caritatem sibi mortem optare, si id fiat ex desiderio æternæ felicitatis; tunc caritas est ordinata, cum sit *mori lucrum.* Hinc Apostolus desiderium habebat *dissolvi et esse cum Christo* (Philipp. I). Si vero id fiat ad vitandam vitam nimis duram, vel ad vitandam infirmitatem, vel viri sævitiem, vel paupertatem, etc. negat Navarrus id licere; quia pusillanimitas est et deordinatio. Sed non improbabiliter affirmant alii, et recte si quis vitam experiatur morte amariorem ex illo Eccl. XXX: *Melior est mors quam vita amara.* Unde excusant fœminam, quæ sibi mortem optat ad vitandam gravem aut longam infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, vel alia similia mala *(S. Alph.,* l. II, n. 30; l. V, n. 22. *Scavini,* l. II, n. 942) (1).

(1) Pius IX Encycl. *Etsi* 21 nov. 1873 ob tot ærumnas, quibus catholica Ecclesia violenter afficitur, exclamare non dubitabat: *Modo res eo devenit, ut mors ipsa vitæ tot fluctibus exagitatæ præstare videatur; et elatis in cælum oculis exclamare cogamur interdum:* melius est nos mori, quam videre mala Sanctorum (I *Mach.* III).

892. **Caritas erga proximum** (1). Præceptum proximum diligendi et naturale est et supernaturale; quatenus *naturale* amorem naturalem importat; et sane ratio dictat, ut ipsum diligamus utpote nobis similem in natura. Quatenus *supernaturale* ipsum diligere debemus propter Deum. Christus enim habet: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (Jo. XV): porro Christus supernaturali amore dilexit nos et in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Adde: nos tenemur ex caritate diligere Deum, ergo eodem modo tenemur etiam proximum diligere, nam ex ipso Domino secundum præceptum simile est primo *(Matth.* XXII) — Non ergo proximum amat vero caritatis amore qui illum diligit tantum, quia benevolus, affabilis, etc.; hoc enim esset curare propriam delectationem. Vera caritas urget nos, ut bona proximi quæramus uti bona nostra juxta illud Scripturæ: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* unde alios amare debemus tum interno tum externo benevolentiæ amore: nemo enim est, qui hoc amore non se diligat. Attamen illud *sicut* non pro omnimoda æqualitate sumendum est, sed pro sola similitudine; norma est, non identitas (2).

Et 1) *Amore interno;* secus non esset amor, sed fictio amoris. Hinc Innocentius XI damnavit has propositiones: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

2) *Amore externo,* neque tantum verbo et lingua, sed *opere et veritate;* nam genuinum amorem opera probant. *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei*

(1) Nomine *proximi* intelliguntur omnes qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis, vel ea jam fruuntur. Unde veniunt angeli, beati, animæ purgantes et maxime homines viatores sive justi sive non, etiam infideles, etiam inimici. Isti enim a Deo vocantur sicut et nos *in societatem Filii ejus Christi Domini nostri* (I Cor. I). Ideo amandi sunt amore benevolentiæ tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres et cohæredes *(D. Thomas,* 2, 2, q. 25, a. 5 et seqq.).

Dixi: *Qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis;* hinc damnatos hoc amore diligere non possumus; esset enim contra Dei justitiam, qui cum istis benevolus in æternum non erit *(D. Thomas,* 2, 2, q. 25, a. 10).

(2) Similitudo qua proximum sicut nos ipsos diligere debemus se habet tripliciter ex d. Thoma: Primo quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio sancta. Secundo ex parte regulæ dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi justa. Tertio ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut bonum sibi ipsi,ut sic dilectio proximi sit vera; nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum; 2, 2, q. 44, a. 7.

manet in eo? (I Joan. III) (1). Quod si proximus non sit in necessitate, satis est, ait Angelicus, *ut homo habeat hoc in animi sui præparatione, ut benefaciat cuicumque si tempus adesset; aliquod tamen beneficium est, quod possumus omnibus impendere si non in speciali, saltem in generali, sicut cum oramus pro omnibus fidelibus et infidelibus* (2, 2, q. 31, a. 2). Et tunc sufficit ad satisfaciendum huic præcepto oratio quæ pro omnibus fit recitando Dominicam Orationem, in qua et internum et externum actum habes.

Cæterum ordinaria hujus præcepti regula est pro parte affirmativa, ut faciamus aliis quæ nobis fieri volumus: pro parte negativa, ut nemini faciamus quæ nolumus fieri nobis.

893. *Casus.* Moretus vir dives desiderans opes suas augere, deliberate exoptat, ut milites exteri iterum regionem suam invadant, ut exinde sua carius vendat — R. Peccat Muretus; cum id fieri non possit sine gravi proximorum et maxime pauperum damno; unde id deliberate intendere est velle opes modis illicitis augere, quod prohibetur decimo Decalogi præcepto. *Giribaldus.*

894. **Dilectio inimicorum.** De fide est, gravem adesse obligationem inimicos nostros vero affectu diligendi. Legitur in Evangelio: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Hinc Augustinus: *Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum*, imo et exemplum. Sane inimici sunt adhuc proximi nostri; et ab ipsa lege naturali habemus: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quis autem est qui odio ab inimico haberi velit? (2).

(1) Ad rem Angelicus: « Cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur. Ad hoc autem quod velimus et operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus necessitati subveniamus » (2, 2, q. 80).

(2) Apud Matthæum V legitur: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros* etc. Ergo lex antiqua permittebat inimici ultionem.

R. D. Thomas: Illud *odio habebis inimicum tuum* non est ex lege sumptum; sed additum prava interpretatione judæorum; quia ex eo quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant inimicos esse odiendos, cum proximi nostri non sint. Attamen hæc dilectio etiam in veteri lege præcipitur; Lev. XIX: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum;* Deut. XXXII: *Mea est ultio et ego retribuam;* Eccl. X: *Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ* etc. V. Signoriellus, *Philosophia moralis*, p. 2ª.

« Dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere plus præcipi quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta. Quæ fecit David in Saul et in Absalon; Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est; et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus et docuit et fecit dicens: *Pater ignosce illis, quod enim faciunt nesciunt.* » D. Hieronymus.

Hoc præceptum quatenus negativum obligat semper et pro semper, ita ut nunquam liceat odio prosequi inimicum. Quatenus affirmativum obligat ad positiva benevolentiæ signa inimico exhibenda, eique benefaciendum ratione illius necessitatis. Hæc importat divinum præceptum: *Diligite, benefacite, orate.*

895. Signa delectationis (ut notat Angelicus, 2, 2, q. 25, a. 8) alia sunt communia et alia specialia. *Communia* sunt quæ communiter ab omnibus ejusdem conditionis ad invicem exhibentur; seu quæ christiano a quovis christiano, concivi a concive, parenti a parente, pauperi a divite, superiori a subdito et vicissim præstari solent, uti sunt mutuæ resalutationes, communes orationes, eleemosynæ communes, etc. *Specialia* (seu amicabilia) sunt quæ exhibentur particulariter aliquibus personis ratione amicitiæ aut familiaritatis: tale est ad convivium invitare, conversationis causa hospitio recipere, et familiariter colloqui. Priora signa ex debito, alia ex liberalitate præstamus. Hinc:

Resolve: 1) *Communia* dilectionis signa inimicis nostris præbere debemus ex præcepto; ista enim negare idem fere est, ac vindicare injuriam. Hinc peccaret qui inimicum excluderet a responsione si ipse interroget, a resalutatione si salutet primo, a communi colloquio, a communi oratione, a communi eleemosyna, ab expositarum mercium emptione, etc. Hinc religiosus qui renueret per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico ab ipso invitato et rogato, non esset faciliter absolvendus. Excipe nisi rationabilis causa aliud suadeat, uti si inimicus signis communibus abusurus sit ad novam injuriam; vel si ex denegatione talium signorum speretur emendatio inimici. Item pater et mater aspectum occisoris proprii filii vitare possunt, non ex odio; sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem.

2) Signa *specialia* non debentur inimicis generatim: quia eorum omissio non est signum neque odii, neque vindictæ; cum enim hæc non ex debito sed ex liberalitate procedant, libere omitti possunt. Excipe si omissio sit scandalosa, vel si tu posses per aliquod delectionis signum sine gravi incommodo inimicos Deo et tibi reconciliare: imperat caritas (*S. Alph.,* l. II, n. 28).

3) Qui alium offendit quin sit offensus, debet prior per se media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis æquitas. Si offensio sit mutua et ferme æqualis, qui prior offendit, primus reconciliationem promoveat. Si sit inæqualis, præire debet qui gravius offendit; habita ratione circumstantiarum. — Sæpe

tamen ad veram reconciliationem nil melius conducit, quam mediatio amicorum.

4) Regulariter non tenemur primi inimicum salutare, si coram ipso transeamus: quia hæc omissio non est signum odii. Neque enim solemus salutare omnes. Excipe si aliter agendo scandalum sit oriturum, ut siquis complures sibi occurrentes salutet, excepto inimico, qui est in eorum societate. Item si offensor sit superior, cui ex sua qualitate talis honor jam suapte natura debetur; vel si sine magno incommodo possimus cum tali salutatione ab odio eum revocare; id suaderet caritas.

5) Tenemur inimico veniam petenti elargiri; nam hæc omissio esset aperta declaratio vindictæ et occasio scandali: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra,* ait Christus. Verum, docent communiter, nos ad id non teneri statim, illo temporis puncto, quo injuria illata est; quia id videtur res violenta et supra fragilitatem humanam. Unde poterit expectari tempus opportunum; sed semper remoto scandalo et odio deposito.

6) Si duo (v. g. duo juvenes collegialiter viventes, duo religiosi in monasterio) ante inimicitiam se salutabant et passim colloquebantur, sed post rixam nec se salutant nec colloquuntur, peccant, si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in communitate, prout ordinarie accidit: peccant vero mortaliter vel venialiter pro ratione scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, literas mutuo scribebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam et amica colloquia et epistolas; quia ex hac omissione non potest suspicari adesse odium; modo se habeant ad invicem, sicut ad cæteros confratres. Nimis enim grave esset retinere specialem amicitiam cum illis, qui amicitiæ defuerunt.

7) Quoad odii extirpationem, maxima cura adhibenda est; cum res ardua sit in praxi. Confessarius igitur pœnitenti ostendat quanta sit vis et meritum præcepti caritatis, eumque perducat ad ignoscendum ex corde, exemplo Christi et Sanctorum. Sæpe etiam est remedium efficax pro pœnitentia injungere pro inimicis orare.

8) Sunt aliqui, rudes præsertim, qui de odio se accusant, quin illud malum odium sit. Esset si quando de aliqua persona occurrit sermo, ipsi experiuntur quandam aversionem licet involuntariam: isti instruendi sunt, ne erronee peccent. Doceat eos confessarius verum odium non esse nisi in eo, qui inimico

deliberate vellet inferre malum, et de malis ipsi illatis ex animo gaudet, de bonis tristatur; quod ubi desit, motus illi erunt defectus naturæ, non peccata contra caritatem. Unde ipsos confortet, ut personæ illi communia caritatis officia et signa præstent, nil curantes contrarios motus; pro illis orent, defectus excusent, etc. *(Scavini,* l. II, nn. 943, etc.).

896. **Vindictam suscipere**. Si sermo est de vindicta auctoritate privata, eam non licet de inimico suscipere, dicente Domino (Rom. XII): *Mihi vindicta, et ego retribuam.*

Si vero sermo est de vindicta publica ac gravi, an eam quis sine livore vindictæ possit suo inimico optare et urgere, ut ipse a judice puniatur, affirmant Salmanticenses; id enim refertur ad bonum commune et justitiæ conservationem. Verum in praxi vix ac ne vix quidem id admittendum; quia illius amor erga justitiam est potius coloratus prætextus ad tegendam privatæ vindictæ cupiditatem. Bene tamen potest prosequi in conscientia coram judice satisfactionem injuriarum ac damnorum, et famæ redintegrationem *(S. Alph.,* Ho. ap., *tr.* VI, *n.* 17).

897. **Optare inimico malum**. Licet aliquando optare inimico malum temporaneum, vel quatenus illi bonum est; vel ob bonum alterius spirituale; vel ob bonum commune Regni aut Ecclesiæ. Sic licet mortem optare hæresiarchæ vel publicæ pacis perturbatori juxta illud Galat. V: *Utinam abscindantur qui vos conturbant.* Item licet tristari quod dignitates conferantur indignis; item egestatem, mortem alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, a vexationibus contra Dei Ecclesiam. Id enim est bonum spirituale præferre temporali, bonum commune bono privato *(S. Alph.,* l. II, n. 30; l. V, n. 21).

Admittunt etiam licitum esse patri optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis familiam dehonestandam; nam ait Angelicus in re simili (III Sent. d. 3): *Malum optatur non in quantum est malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius* (1).

(1) Præstat ut tres propositiones referantur ab Innocentio XI damnatæ: — 1ª) *Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum* — 2ª) *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas* — 3ª) *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias inde ab hæreditate consecutas.*

Quæ propositiones merito proscriptæ sunt, quia vitæ proximi indiscriminatim

898. Dices: *Non valeo hæc ab homine tali pati; gravem enim intulit injuriam et improperat mihi quæ nunquam cogitaveram; ab alio libenter patiar, non ab isto.* Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patentiæ ac caritatis non considerat, nec a quo coronanda est; veram caritatem non habet nec est verus patiens qui pati non vult, nisi quantum sibi visum est, et a quo sibi placuerit. Verus patiens non attendit a quo homine exerceatur. *Kempis.*

At (inquies) *quomodo diligi potest homo iniquissimus, qui nos perdere nititur? voluntas nostra ferri nequit nisi in bonum.*

R. Diligi potest, quomodo diligimus membrum vitiatum, quod acutis doloribus diu noctuque nos cruciat. Nempe distinguimus substantiam inter et vitium doloris causam: substantia est nobis cara ac pretiosa utpote pars nostri, quam sanam peroptamus; ideoque contra vitium eam infestans pugnamus, illudque propellere nitimur!

Retinens inimicitiam non peccat, recitando orationem Dominicam, in qua remittimus inimicis; quia oratio Dominica perficitur nomine Ecclesiæ. Imo neque si dicat in persona sua, non quidem quantum ad id quod agit; sed quantum ad id, ad quod optat pervenire. D. Thomas, *In* 3 *Sent. d.* 30.

Casus. Atalia recusat salutare Lædam suam vicinam, cum qua rixata est; ideo Momus confessarius inabsolutam remittit, ut de mortali ream, quamvis Atalia fateatur se non amplius odium habere.

Recte se gessit confessarius, si ex quo Atalia non reddat salutationem vicinæ quacum est rixata, oriatur aliquod scandalum, aut id æstimetur notabilis contemptus ejusdem vicinæ, spectatis circumstantiis loci, temporis, personarum, nec non consuetudine patriæ; quia tunc non reddere salutationem est revera lethale contra caritatem. Secus non; quia hæc signa omittere, absolute loquendo, est potius contra urbanitatem, quam contra caritatem. *Bonacina, Giribaldus.*

CAPUT SECUNDUM

De Ordine et Officiis Caritatis.

899. **Ordo Caritatis**. Hunc esse servandum docet Scriptura: *Ordinavit in me caritatem* (Cant. I); cum objecta caritatis diversa sint, ratio postulat, ut ea diversum ordinem habeant. Qui ordo in eo situs est, ut unicuique objecto diligibili suum convenientem locum assignemus, habita nempe ratione *bonorum, necessitatis*, necnon *personarum* (D. Thomas, 2. 2. *q.* 26; et *q.* 44, *a.* 8) (1).

I. Habenda est ratio *bonorum;* ita ut primum locum teneant *bona spiritualia,* nempe beatitudo æterna, et gratia ac

nostrum temporale bonum præferunt; quod est contra ordinem caritatis. Non tamen damnandus qui gauderet de effectu, v. g. de hæreditate obtenta ex morte alterius, modo non gaudeat de causa seu de morte ipsa; licet res sit periculosa (*S. Alph.*, l. v, n. 21 et supra n. 433).

(1) V. s. Alph. *Ho. ap.* I *tr.* IV, *n.* 14. Scavini, *l.* II, *n.* 867.

merita ad illam consequendam; in istorum enim comparatione totus mundus est nihil. Secundum *bona naturalia intrinseca,* ut vita, sanitas, integritas membrorum. Tertium *bona naturalia extrinseca,* ut fama et honor: quibus ultimo loco addendæ divitiæ ut inferioris ordinis; ex his maxime pendet vita nostra civilis. Item bonum commune præferendum bono privato.

II. Habenda est ratio *necessitatis* sive spiritualis sive temporalis. Quæ quidem alia est *extrema,* ut cum quis sine alterius auxilio se certe nequit liberare a periculo damnationis, a morte aut ab alio malo ferme æquali. Alia *gravis,* ut cum quis nisi adjuvetur difficillime effugere valet periculum animæ vel vitæ corporis, alteriusve gravis mali. Alia *communis* seu mediocris, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate: in hac versantur, in ordine spirituali, ordinarii peccatores, qui si vellent aliquem conatum adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine temporali ostiatim mendicantes, quibus vita pro eorum conditione non habetur ut nimis molesta.

III. Habenda est ratio *personarum;* nam diversorum dilectio mensuranda est secundum diversam rationem excellentiæ, dignitatis, necessitatis ac conjunctionis, quam personæ præseferunt. Hoc posito, en regulæ præcipuæ pro praxi ex communi.

900. Regula 1ª. In dilectione primatum jugiter obtinet Deus quem magis diligere debemus, quam nos et proximos nostros; Deo enim nihil præstantius excogitari potest. Post Deum sunt diligendi, qui propius ad Deum accedunt, et de illo magis participant, tum in ordine gratiæ, sic B. Virgo præferenda est omnibus Sanctis; tum in ordine naturæ, sic Angeli præferuntur hominibus; tum in ordine auctoritatis; sic superiores per se sunt præferendi privatis, et sibi invicem juxta gradum suum.

Regula 2.ª Quisque tenetur seipsum magis quam proximum diligere quoad bona ejusdem ordinis juxta illud: *Caritas bene ordinata incipit a semetipso.* Ideo tenemur magis diligere animam nostram quam animam alterius; ac propterea nunquam licebit neque leviter peccare, imo neque se directe et ex professo proximo peccandi periculo exponere pro salute spirituali proximi. Hinc damnata est ab Innocentio XI contraria propositio. — Sed licitum est peccandi periculo se indirecte exponere si proximus versetur in extrema necessitate spirituali; id est non intendendo peccati occasionem, sed proximi subventionem (debitis tamen adhibitis præsidiis). Esset si infans certo sit moriturus sine Baptismo, si tu non accedas; licet accedere cum probabili animæ tuæ periculo confidens, quod te Deus liberabit.

Item tenemur regulariter vitam nostram præferre vitæ proximi. Aliter non est jam diligere proximum sicut seipsum, sed plusquam se ipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit (1). Excipe nisi agatur de salvanda republica, vel vita personæ bono publico necessariæ.

Regula 3.ª Si proximus sit in extrema *necessitate spirituali*, ei succurrendum est etiam cum periculo vitæ nostræ, ut esset si peccator esset in periculo vitæ et nesciat actum contritionis elicere; nam vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. De hoc ss. Patres intelligunt illa verba: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam* (nempe vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hoc tamen accipe si spes moraliter certa sit proximum salvandi; si nemo adsit qui possit id præstare; si gravius malum inde non timeatur.

Si vero proximi necessitas sit *temporalis,* etsi vita proximi excellat omnibus divitiis, attamen neque in extrema necessitate pauperis tenetur dives magnam pecuniam erogare in sententia multorum; cum caritas non obliget cum magno incommodo etsi teneatur cum aliquo detrimento proprii status ex d. Thoma.

Regula 4.ª Si proximus sit in *gravi necessitate* etiam spirituali, nemo ei per se tenetur succurrere cum gravi incommodo; alter enim absolute potest a periculo se subtrahere. Dixi: *per se;* nam teneretur etiam cum periculo vitæ, si quis ad id obligetur vel ratione officii, uti sunt animarum Pastores; vel ratione delicti, uti esset si quis hæresim docuisset; vel si necessitas sit publica, quia solet semper esse conjuncta cum extrema necessitate aliquorum privatorum.

Si vero proximus versetur in *necessitate communi* spirituali vel temporali, est adjuvandus, quia id caritas urget; attamen sub levi, nam proximus facile potest se liberare.

Regula 5.ª Si comparatio demum instituatur inter diversas personas, in pari necessitate debemus extraneis præferre consanguineos, aut alia ratione conjunctos; quia, dicente Angelico, *caritas ordinem naturæ non mutat; sed perficit* (In 3, dist. 29, q. 7). Dictum est: *In pari necessitate:* nam cum obligatio ca-

(1) Dixi *regulariter;* utrum enim liceat privato vitam suam exponere pro vita alterius privati ex motivo virtutis christianæ, v. g. quia iste aptior est ad promovendam gloriam Dei, alii negant; quia tunc caritas non esset bene ordinata, et adhuc esset proximum diligere plusquam se ipsum in bono ejusdem generis. Sed affirmant communius cum Joanne Chrysostomo, qui etiam de vita corporali intelligit ea Scripturæ verba: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. xv); tunc ex Angelico non præfertur vita proximi vitæ nostræ; sed præfertur vitæ nostræ bonum virtutis.

ritatis non sit, nisi ratione necessitatis, patet illam magis obligare, ubi major adest necessitas. Inter conjunctos autem semper præferendi sunt conjunctiores habita ratione necessitatis et bonorum. Hinc in necessitate gravi: 1) Est præferenda uxor; quia est una caro cum viro, et liberorum principium — 2) Filii, qui sunt conjunctiores, cum de substantia parentum procedant — 3) Parentes, qui post dictos ad vitæ societatem et reipublicæ augmentum concurrunt — 4) Fratres, sorores, propinqui, domestici, concives atque commilitones.

Dixi: *In necessitate gravi;* nam si necessitas sit extrema, probabilius non bonum familiarum, sed vitæ attendendum est. Unde tunc omnibus sunt præferendi parentes propter principii eminentiam; et quidem pater præferendus est matri, utpote principium nobilius; dein veniunt conjux, filii, fratres, etc. D. Thomas, 2, 2, q. 26, a. 8 et seqq. *(S. Alph.,* l. II, nn. 25, 26, 27).

901. **Officia caritatis.** Lege caritatis tenemur non solum optare, ut proximus bene sit, sed etiam curare quantum in nobis est, ut semper bene se habeat; cum enim diligere eum teneamur uti nos ipsos, non sufficit eum amare affectu; sed effectu insuper amandus est, ut sic *diligamus opere et veritate.* Unde tot erunt caritatis officia in proximum, quot erunt ejusdem indigentiæ. Ex his *misericordia* enascitur, nempe *alienæ miseriæ efficax compassio* (D. Thomas, 2, 2, q. 31) (1).

CAPUT TERTIUM

De Eleemosyna et Correctione fraterna.

902. **Eleemosyna.** Est actus misericordiæ, quo proximi necessitati subvenimur. Eam definit Angelicus: *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Dicitur: *Propter Deum* ut sit actus virtutis theologicæ; nam si eleemosyna procedit non solum ex commiseratione proximi indigentis, sed

(1) Opera Misericordiæ magis vulgata, ad quæ cætera reducuntur, sunt septem spiritualia et septem corporalia *(d. Thomas, 2, 2, q. 32, a. 2).*

Corporalia sunt: visitare infirmos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, colligere hospites et sepelire mortuos. *Spiritualia* sunt: pro nostro posse consulere dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, remittere offendenti, ferre onerosos, orare tandem pro omnibus. Hinc versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

etiam ex imperio caritatis Dei, in justis tunc meritum habet æternæ vitæ (1).

903. **Principia**. Speciale ac strictum præceptum dandi eleemosynam habetur in Scripturis: *Eleemosynam pauperis ne defraudes* (Eccl. IV). *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere* (Matth. XXV). Ratio: lex caritatis obligat ad amandum proximum *sicut nos ipsos;* sed hoc nullo pacto evenire potest, si proximo indigenti non opitulamur in eo quo possumus (2). Hinc illud I Joan. III: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (V. d. Thomas, 2, 2, q. 32, a. 5).

Eleemosyna in statu gratiæ et cum debitis conditionibus est satisfactoria, impetratoria et meritoria juxta illud Tobiæ: *Eleemosyna... purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.*

904. *Ex quibus bonis* (quæres) *eleemosyna fieri debet?*

R. Triplicis generis sunt bona: 1) Alia sunt *necessaria vitæ,* sine quibus vita nostra conservari non potest, nec aliorum quorum cura nobis incumbit — 2) Alia sunt *necessaria statui,* sine quibus non potest aliquis convenienter et honeste vivere secundum conditionem sui status præsentis. Huc referuntur quæ juxta æstimationem prudentum necessaria sunt ad hospites recipiendos, ad famulos alendos, ad honestas donationes, ad convivia cum amicis de more, ad moderatam pro conditione pompam, etc. Qua tamen in re caute procedendum; nam *si inania quæramus* (ait d. Augustinus) *nihil sufficit* — Alia tandem sunt *superflua,* quæ scilicet non sunt necessaria neque ad conservationem decentiæ status (3). Quo posito:

(1) Generatim pauper seu indigens sumitur pro mendico; differt tamen; *mendicus* enim dicitur qui omnibus omnino bonis carens nihilque lucrans manuum labore, ostiatim victum quærit. *Pauper* vero, seu miserabilis, si *absolute* sumatur, est qui nulla vel pauca bona possidet, adeo ut debeat industriam aliquam exercere ut de die in diem vitam traducat. Si *relative,* ut pauper erit cujus bona non sufficiunt statui tuendo aut dignitati.

(2) Circa mendicitatem duo considerat Angelicus: *unum* ex parte ipsius actus mendicandi, qui habet quandam abjectionem adjunctam; illi enim in communi æstimatione videntur abjectissimi inter homines qui non tantum sunt pauperes, id est sibi insufficientes, sed etiam egentes, eo quod necesse habeant ab aliis victum accipere. Et secundum hoc, causa nempe humilitatis, religiosi laudabiliter mendicant. *Alio modo* potest considerari mendicitas ex parte ejus, quod quis mendicando acquirit, et sic homo ad mendicandum potest induci ex cupiditate vel habendi divitias vel vivendi otiose, et talis mendicitas est illicita; et talibus eleemosyna fieri non debet, ne avaritia aut pigritia foveantur *(Quodl.* l. 7, a. 18, q. 14 et 16).

(3) Ab Innocentio XI damnata est hæc propositio: *Vix in sæcularibus invenies etiam in regibus superflua statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.* Et a Pio IX Encycl. *Quanta cura* damnatur propositio: *Auferenda est civibus et Ecclesiæ facultas, qua eleemosynas christianæ caritatis causa, palam erogare valeant.*

Resolve: 1) Eleemosyna non est facienda ex bonis vitæ necessariis; nam ex lege naturæ quisque potest, imo ordinarie debet, suam suorumque vitam vitæ alienæ præferre. Excipe nisi pauper sit talis, a quo salus publica pendeat.

2) In indigentia extrema proximi caritas bene ordinata exigit, ut demus quantum sufficit ad illius temporalem vitam servandam etiam cum aliquo detrimento in nostro gradu. Utrum autem teneamur cum ipsius status nostri jactura pauperem levare in extremis, aliqui affirmant, quia semper præponderat vita proximi. Sed alii negant, tum quia majus detrimentum videtur divitem excidere a proprio statu, quam unum vel alterum pauperum deficere: tum maxime quia hic adest tantum præceptum caritatis, quæ non obligat per se cum gravi incommodo.

3) Tenemur eleemosynam facere ex bonis vitæ simul et statui nostro superfluis, quando proximus conjicitur in *gravem indigentiam,* si non sit qui subveniat: nempe quando illi imminet periculum gravis mali, ut infamiæ, dedecoris, aut a proprio statu juste acquisito decidendi. Sane in Scriptura frequenter damnantur homines ob neglecta opera misericordiæ: *Esurivi et non dedistis mihi manducare: sitivi et non dedistis mihi bibere.* Ad quid verba tam gravia, si referantur ad solam indigentiam extremam, quæ rara omnino est?

4) Gravis qüæstio instituitur de communi proximi necessitate, in qua non sine difficultate vivitur, vivitur tamen, uti sunt pauperes ostiatim mendicantes (etiam illi qui ex nuditate, morbo, etc. videntur ostendere extremæ necessitatis signa, quia fere semper ad movendos spectatores id agunt). Non pauci cum s. Antonino negant tunc sub gravi esse tribuenda superflua statui; nam communis pauperum miseria cum soleat esse levis et tolerabilis, non videtur gravis culpa eis auxilium non præbere. Sed ego adhæreo sententiæ communiori cum d. Thoma, quæ docet divites teneri sub gravi de superfluis statui mendicis eleemosynas dare, stante præcepto Evangelii: *Quod superest, date eleemosynam.* Non adest tamen obligatio dandi totum superfluum; hæc enim obligatio non est in solidum, ut uno deficiente, alter teneatur: sed unusquisque tenetur ex parte sua. Ideo communius docent satis esse erogare duo pro quolibet centenario superfluo, et etiam minus, si divitiæ multum excedant (*S. Alph.,* l. II, n. 32).

905. Generatim illi possunt et debent eleemosynam tribuere, qui bona possident, et eorum administratione potiuntur; non

ergo potest fieri eleemosyna de alienis; quia *Dominus odio habet rapinam in holocausto* (Is. LVIII). Id valet, licet proximus sit in extremis; nam si potuisses rem tuam elargiri, et alienam dedisti, teneris ad restitutionem *(S. Alph.,* l. II, n. 33). Vide *d. Thomas,* 2, 2, q. 32, a. 7.

Uxores de bonis communibus extra articulum necessitatis non possunt facere eleemosynas sine viri consensu saltem præsumpto: nam quoad dispositionem domus vir caput est mulieris. Item dic de filiisfamilias, nam quæ sunt filiifamilias, sunt patris.

Tutores autem possunt facere eleemosynas, quales facere deberent illi, quorum sunt bona administrata; cum vices eorum gerant. Sed moderate, cum veri domini non sint, et rationem reddere debeant de expensis.

Id non currit de *servis*, quibus nullum competit jus in bona dominorum, si excipiantur modicæ eleemosynæ panis et similium, quas permittit usus ac domini præsumptus consensus *(D. Thomas,* 2, 2, q. 32, a. 8).

906. **Resolutiones**: 1) Urget præceptum eleemosynæ independenter a pauperum petitione; non enim petitio, sed indigentia clamat. Id maxime pro pauperibus qui mendicare erubescunt, tenet (1).

2) Propinquioribus nobis prius danda est eleemosyna, cum id sit de ordine caritatis; sed discretionis ratio habenda est juxta differentiam conditionis ac necessitatis. Neque obstat si forsan mali sint, nisi forte eleemosyna abutantur; non enim ipsis datur in quantum peccatoribus, sed in quantum sunt homines indigentes *(D. Thomas,* 2, 2, q. 32, a. 9).

3) Per se ab eleemosyna non est excludendus alienigena (etsi prius succurrendi sint pauperes propriæ regionis), nisi statutum sit, ut unaquæque civitas suos alat mendicantes.

4) Modica eleemosyna quæ est in præcepto, non impedit honestum ascensum ad meliorem statum, et filiorum educationem; ideo hæc ratio divites non excusat ab eleemosyna. Sicut neque eos excusat bona intentio legatum pauperibus relinquendi post mortem; nam præceptum modo urget; ideo actu implendum est (2).

(1) In Diario, *Giornale delle leggi* an. 2°, p. 288 legitur: « La legge di pubblica sicurezza (art. 67) in relazione al disposto del Codice penale proibisce di *questuare* come equipollente di *mendicare*. Le collette che si fanno in chiesa o fuori per feste civili e religiose, nulla hanno di comune colla mendicità. » *La questua punibile nel senso della legge è la mendicità fittizia, colpevole, perchè è causa perenne di vessazioni non solo, ma anche di ozio e vagabondaggio.* Milano, Cassazione 1876.

Addit cl. Rivarolo: « È regola di buona accortezza lo annunziare sempre pubblicamente dal pergamo o dall'altare le questue tanto ordinarie che straordinarie che si fanno per oggetto di culto, onde togliere ogni ombra o sospetto di abuso al riguardo. » (V. *Scavini,* l. I, n. 618).

« Le oblazioni per ispese di culto dipendono dalla volontà degli oblatori, e sono veri donativi eventuali e proprie elemosine; per conseguenza esenti dalla tassa di ricchezza mobile » *(Cass. di Firenze,* 1° febbr. 1875).

(2) Idque ideo magis, cum tot in dies sint succrescentes necessitates, et paupertas hodie universalis, summa et urgens sit. Adde: qui dat dum vivit, dat quod adhuc

5) Sunt qui de facili ab eleemosyna tribuenda se liberant, quia sunt qui ex mera desidia vel socordia mendicare solent. Errant tamen; nisi enim hujus rei certa indicia habeamus, nostrum est egenti dare, non curiosius inquirere.

6) Sunt item qui eximuntur ab eleemosynæ præcepto, quia degunt in civitatibus ubi prohibetur publica eleemosynæ petitio, vel pauperum Hospitium habetur; sed frustra, semper pauperes habebimus nobiscum, non tantum illi qui ad januam se conferunt vel in viis sistunt ad petendam eleemosynam; sed etiam tum illi qui aliquam artem exercent et cum magna difficultate se et familiam sustentare possunt; tum maxime illi qui rubore afficiuntur, utpote de præstanti genere nati, ad eleemosynas aperte postulandas, quibus proinde industrie succurrendum est. Neque desunt alia media præcepto satisfaciendi, v. g. erogando pecuniam collectoribus in Ecclesia vel Parochis vel aliis curæ indigentium præpositis, vel ipsis pauperum Hospitiis (1).

907. **Correctio fraterna.** Est *admonitio, qua quis ex caritate proximum suum a peccato revocare conatur.*

Principia: Fraterna correctio præcepta est sub gravi, si agatur de mortali peccato in quod proximus est lapsurus, aut jam incidit, et non adhuc emendatus est. Adeo ut graviter peccat qui ex futili motivo omittit tunc corripere proximum. Lex enim naturæ est, quæ nos obligat ad subveniendum proximo indigenti. Et in Evangelio legitur: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* (S. Alph., *l.* II, *n.* 39).

908. Præceptum correctionis fraternæ obligat omnes; omnes enim homines commembra sunt, et Deus *mandavit illis unicuique de proximo suo* (Eccl. XVII). Ergo tenentur etiam peccatores; nam correctio vim suam primario repetit ex vi ipsius monitionis. Etiam inferiores, qui tamen nonnisi obsecrando corrigant juxta illud: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (I Tim. V). Neque ideo corripiens fit auctoritate superior, quia non corrigit ex auctoritate, sed ex caritate; caritas autem omnes amplectitur (2). Hinc filii tenentur, cum modestia

retinere potest, et videtur magis mereri; qui vero mortuus tribuit, tribuit quod amplius retinere nequit. Sed maxime, quia nonnulla gubernia parum curant pias fundationes neque ut sacras habent ac reverendas, sed sub fucato prætextu boni publici eas penitus subvertunt et absorbent. Per id tamen absit ut reprobemus legatorum piorum fundationes, cum caritatem perpetuent; mens nostra est, ne illarum intuitu præsentes negligamus impellentesque necessitates (v. *La povertà, ovvero un consiglio ai ricchi.* Crema, 1878. *Civ. catt.*, ser. 10ª, t. VII, pag. 191).

(1) Si tenemur privatorum necessitatibus subvenire, quanto magis publicis necessitatibus populorum et nationum, si gravis causa non obstat, et facultas adest! Hinc inventum *de non interventu* utpote nimis generale damnatur in Syllabo proposit. 52 (*Scavini*, l. II, n. 947; et l. IV, nn. 40, 41, ubi *de eleemosynæ dotibus ac regulis*, l. II, nn. 868, 946 *de hospitalitate* etc.).

(2) Audiatur Angelicus: *Correctio fraterna quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ ad quam caritatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur; sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corrigantur* (2, 2, q. 33, a. 2).

tamen et industrie, admonere parentes, si speretur fructus, cum advertunt eos retinere aliena, blasphemias loqui, præcepta Dei et Ecclesiæ negligere, curam salutis non curare, etc.

909. Hoc autem præceptum nos obligat ad reprehendendum si quid mali videmus, non vero ad inquirendum quid reprehendamus; alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum contra id quod dicitur Prov. XXIV: *Ne quæras impietatem in domo justi.* Munus indagandi non pertinet ad privatos, sed ad superiores *(S. Alph.,* l. II, n. 42) (1).

910. **Materia correptionis.** Non tantum culpa mortalis, sed etiam venialis potest esse materia correptionis : cum et ipsa sit verum animæ malum. Attamen peccata venialia satius est, ut corrigantur a superioribus (quod maxime urget ad sustinendam disciplinam in communitate); nam cum hæc sint nimis frequentia, nullus foret correctioni finis, si essent corrigenda, reddereturque correctio nimis molesta, cum periculo pacem et concordiam turbandi. Excipe nisi venialia proxime disponerent ad mortale peccatum *(S. Alph.,* l. II, n. 36).

911. *Conditiones.* Ad obligationem strictam hujus præcepti requiritur: 1) Ut certo constet de peccato proximi — 2) Ut non sit aliquis æque idoneus, qui correcturus credatur — 3) Ut correctio fieri possit absque gravi incommodo — 4) Ut fiat tempore opportuno, *ut scilicet fiat ubi debet, quando debet et secundum quod debet* (d. Thomas, 2, 2, q. 33, a. 2). Hinc aliquando permitti potest culpæ iteratio, ut delinquens in actu correctus securius resipiscat — 5) Ut sit spes emendationis: *Ubi auditus non est, non effundas sermonem* (Eccl. XXXII). Quod hodie maxime evenit in tanta peccantium pertinacia: nam *perversi difficile corriguntur* (Eccl. I).

Item est omittenda in dubio, an correctio sit nocitura, uti docent cum Antoine et Concina; quia dubius nonnisi imprudenter morali actioni manum admovet. Excipe nisi corrigendus sit in

(1) Tenentur ex officio superiores invigilare in subditos et inquirere eorum peccata: non tamen multum de aliquo in particulari, absque dubio positivo, aut ratione speciali. Neque tam facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus statim credere; quia sæpe sub specie boni communis seipsos quærunt.

In Communitatibus autem, in collegiis, seminariis, caute procedendum in hoc ad evitandas divisiones, discordias et odia. Et si agatur de maxima re (prius a confessario habito consilio), plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem uti patrem. Cæterum non possunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali sub gravi denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel allaturi sunt.

mortis discrimine; vel si omittendo correctionem alii in periculo sint perversionis, uti si non corrigendo hæretice prædicantem dubie emendaturum, periculum sit ne populus seducatur *(S. Alph.,* l. II, n. 38) (1).

912. **Correctionis ordo**. Ille ordo generatim servandus est in fraterna correctione, quem Christus præscripsit, nempe ut fiat privatim: *Corripe eum inter te, et ipsum solum.* Quod si non prosit, fiat coram testibus: *Adhibe duos vel tres testes.* Quod si adhuc effectus non obtineatur, peccator denuntietur Ecclesiæ, id est deferatur ad superiorem: *Dic Ecclesiæ.* Hic ordo obligat sub gravi; cum agatur de proximi famæ consulendo; neque ab eo potest liberare superior, quia est lex caritatis *(S. Alph.,* l. II, n. 41).

Attamen ab hoc ordine excipitur: 1) Si magis præstet prudenti superiori ut patri, quam aliis crimen innotescere, uti longe communius et probabilius dicunt. Magis enim obtineretur finis principalis: *et tunc,* ait Angelicus, *non dicit Ecclesiæ, quia non ei sicut Prælato; sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et emendam (*Quodl. 11, a. 3) — 2) Si crimen expediat publicari vel jam sit publicum: tunc ex Angelico, *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat; sed etiam aliis, in quorum notitiam* (crimen) *devenit, ut non scandalizentur* (2, 2, q. 33, a. 7) — 3) Si vergat in damnum communitatis, sine certa spe damnum illud impediendi per correctionem secretam. Item est si grave damnum esset alicui privato obventurum ex omissione relationis ad superiorem; nam bonum innocentis bono delinquentis præferendum est — 4) Si proximus cessit juri suo, ut privatim moneatur, sicuti in more est penes quosdam Regulares. Ita communius docent: *In arbitrio uniuscujusque est,* ait idem d. Thomas, *pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in damnum aliorum.*

913. **Resolutiones**: I. Episcopi, parochi, etc. tenentur cum magno incommodo si speretur fructus corrigere subditos; nam etiam ex justitia tenentur curare illorum bonum *(v. n. 276).*

(1) « Duplex est, ait Angelicus, correctio delinquentis. Una quidem pertinens ad prælatos quæ ordinatur ad bonum commune et habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur; tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas ut peccare desistat; tum etiam quia si corrigibilis sit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ et unius exemplo alii deterreantur....

» Alia vero est correctio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem sed simplicem admonitionem. Et ideo ubi probabiliter æstimatur quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum; quia ea quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis (2, 2, q. 33, a. 6). »

II. Privati ex Gury raro inter sese ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter conjuncti; quia raro omnes requisitæ conditiones reperiuntur. Rarius adhuc tenentur corrigere superiores propter ineptitudinem.

III. Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum ingenium est penitus ignotum; ob periculum, ne ipsi pejores fiant.

IV. Scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda; quia aut nimium defatigantur aut inepti sunt.

V. Sæpius correctio non prospere succedit, quia deficit in modo, ut si fiat cum ira, asperitate, animi impetu, coram aliis, etc. Quo fit ut frater exacerbetur magis. Hac de re indolem delinquentis, correctionis tempus, modum aptiorem et similia scrutari necesse est. Aliquando etiam *per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* (Eccl. VII). In omni casu correctio oportet, ut sit *reverentialis* erga superiores, *benigna* erga æquales, *paterna* erga inferiores.

Casus. Rosa famula scit Laviniam alteram famulam sui sociam impudice versari nocturnis horis cum Coldonio ejus amasio; nec tamen Berenicem dominam suam monet, ne illam exasperet et sociam infamet — R. Peccaminosum est silentium Rosæ; cum enim unicuique mandaverit Deus de proximo suo, lex caritatis nos obligat ad impediendum proximi damnum, si absque gravi nostro incommodo vel alterius illud possumus impedire, ut videtur posse de præsenti. Dominæ autem exasperatio tanta non erit, ut majus damnum sit timendum. Cæterum ordo caritatis vult, ut prius secreto famula admoneatur, si tamen aliud non obstat. *Giribaldus.*

CAPUT QUARTUM

De Vitiis quæ Caritati proxime opponuntur.

914. Omnia peccata mortalia opponuntur caritati theologicæ; nam ejusdem habitum in anima extinguunt. Sed directe pugnant adversus eam ex d. Thoma (2, 2, q. 34): *Odium, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum injustum, rixa, seditio, scandalum, cooperatio peccatis alienis* (de præcipuis disserendum).

915. **Odium.** Odium generatim sumptum: *Est actus mentis aliquod objectum aversantis.* Aliud dicitur *abominationis*, quo voluntas aliquid uti sibi vel aliis noxium aversatur. Aliud *inimicitiæ*, quo alteri malum volumus quatenus ejus est malum.

Principia: Odium Dei sive abominationis sive inimicitiæ est pes-

simum peccatum; *optimo opponitur pessimum* (ait Angelicus, 2, 2, q. 34, a. 2); *sed odium Dei opponitur dilectioni Dei in qua consistit optimum hominis; ergo odium Dei est pessimum peccatum hominis* — Odium vero proximi, si sit abominationis est culpabile casu, quo sine causa concipiatur. Erit vero laudabile si procedat ex amore rectitudinis juxta illud Prov. XXIX: *Abominantur justi virum impium.* Si vero odium proximi sit inimicitiæ erit mortale ex genere suo (nisi excuset inadvertentia vel levitas materiæ): cum directe contrarietur caritati.

Hac de re declaranda est in Confessione tum qualitas personæ quæ odio habita est, si hæc addat speciem, ut si sit pater; tum numerus personarum, quia tot malitiæ quot personæ; tum natura mali optati, an sit mutilatio, mors, infernus; nam mali optatio sumit speciem ab ipso damno intento. Excipe satis probabiliter, si diversa mala apprehendantur sub uno genere mali, nempe ut media ruinæ inimici, tunc sufficit dicere: *Exoptavi grave malum proximo:* quod ordinarie evenit *(S. Alph.,* l. II, n. 30; l. III, n. 131; l. V, nn. 50 et 83).

916. **Schisma**. Schisma definitur: *Voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ catholicæ.* Ecclesiæ autem unitas, ait Angelicus (2, 2, *q.* 39), in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, et in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput. Et ideo schismatici sunt qui ab Ecclesiæ membris se retrahunt in religionis cultu, oratione, sacramentis, etc.; sed maxime qui subesse renuunt romano Pontifici uti tali: *Inter duodecim* (ajebat d. Hieronymus, *adversus Jovinianum) unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio* (1). — Quare nunquam oblivioni detur illud effatum: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi Christus.* Ex quo patet schisma gravissimum esse peccatum cum separet hominem ab unitate Ecclesiæ *(Quoad pœnas,* vide n. 571). *Scavini,* l. II, n. 949 (2).

(1) Et in epistola ad Damasum Papam: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ idest Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est; si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo; ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est.* Sequamur ergo, amemus Pontificem, qui non moritur; creatus enim a Deo ut omnes generationes in viam salutis dirigat, vivit vitam sæculorum; regni ejus non erit finis, nisi in illa die, in quo Deus mundo dabit finem (v. *Civ. catt.,* Ser. 10ª, t. I: Dell'obbedienza dei Cattolici al Papa).

(2) Schismatici resipiscentes non excipiuntur, nisi publice, id est coram Pastore legitimo et testibus schisma ejurent, quando publice adhæserunt sectæ schisma-

917. **Rixa**. Est bellum quoddam privatum in quo contendentes ex ira se percutere nituntur. In aggressore habetur peccatum ex genere suo mortale, quia caritati essentialiter opponitur: et ab Apostolo (Gal. v) inter ea, quæ a cœlo excludunt, illud enumeratur. Attamen non raro veniale peccatum est ex parvitate materiæ, ut evenit inter puerulos (V. *d. Thomas*, 2, 2, q. 41) (1).

Qui tamen alterum occidit in rixa ad restitutionem non tenetur, etsi alium provocaverit; nam hic libere acceptando cessit juri suo, nisi tamen aliis teneatur obligationibus ergo tertios, ex dicendis t. II de duello. Idem probabilius est cum Alasia, si duobus rixantibus, ultro quis occurrat ad rixam impediendam, si casu occidatur; quia rixantes non fuerunt nisi simplex occasio (*S. Alph.*, l. III, n. 638).

Art. 1. — **De Scandalo.**

918. **Scandalum**. *Scandalum* ab Angelico definitur: *Dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.* Vocabulo *dicti* vel *facti* venit etiam omissio, quia *affirmatio et negatio ad idem genus referuntur.* Verbo autem *minus rectum* intelligitur quod vel in se malum est, ut si loquaris turpia cum adolescente; vel mali speciem habet, ut si justa de causa, sed coram eam ignorantibus, carnes comedas die vetito. Additur *præbens alteri occasionem,* non causam efficacem (*D. Thomas*, 2, 2, q. 43, a. 1).

Scandalum duplex distinguitur: *activum*, seu datum; *passivum*, seu acceptum.

919. **Scandalum activum**. Est ipsum dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ. Aliud est directum seu formale, aliud est indirectum seu interpretativum.

1) *Directum*, quando quis dicto suo vel facto minus recto expresse intendit proximum inducere ad peccatum; dicitur etiam *diabolicum*, si inductio sit primario directa ad alterius subver-

ticæ ab Ecclesia anathematizatæ. Si vero non fuerint publici sectatores schismatis proscripti (nec ideo principales) sufficit ut confessarium adeant (pro reconciliatione), veram contritionem profiteantur vitæ anteactæ, ac se obsecuturos auctoritati summi Pontificis et sui Episcopi spondeant. V. *Prælectiones Juris canonici habitæ in Semin. S. Sulpitii* (v. Scavini, de mala schismaticorum fine, l. IV, n. 566).

(1) Ad rixam revocatur *seditio*, attamen hæc omnino gravior est et speciale peccatum, quia est inter partes unius multitudinis inter se dissidentes, dum ira est paucorum ad paucos. *D. Thomas*, 2, 2, q. 42.

sionem — 2) *Indirectum*, quando licet expresse non intendatur proximum inducere ad peccatum; tamen nonnulla fiunt, ex quibus prævidetur, vel prævideri potest ac debet ex illa actione scandalum in proximo secuturum. Ut si domo teneas mulierem populo suspectam, esto absit peccandi periculum (1).

Ubi notandum, ad peccatum scandali non necessario requiri, ut de facto scandalum accipiatur; sed satis est, quod occasio data sit, ex qua sequi posse probabiliter existimemus; nam tunc quod non sequatur, per dantem non stat. Hoc autem colligitur non tantum ex circumstantiis personæ accipientis, sed etiam scandalum dantis. Quo sensu explicatur illud d. Bernardi: *Nugæ nugæ sunt in ore sæcularium, in ore sacerdotum blasphemiæ;* eo quod ab istis plus quam ab aliis requirant fideles ratione excellentiæ status *(S. Alph.,* l. II, n. 43).

920. Scandalum activum etiam indirectum est ex genere suo mortale; cum saltem caritatem semper lædat. Hinc Christus: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* D. Chrysostomus scandalosos vocat *advocatos diaboli.*

Quomodo ergo intelligitur illud Christi: necesse est, ut veniant scandala *(Matth.* XVIII)? — R. cum s. Thoma: 1) Illa verba intelligi non de necessitate absoluta, sed conditionali: quia necesse est, præscita vel prænuntiata a Deo evenire 2) Dicitur necesse est necessitate finis, eo quod utilia sint scandala ad hoc, ut qui probati sunt, manifesti fiant — 3) Id dicitur, quia attenta hominum malitia, fieri nequit, quin scandala eveniant aliquando; quæ ultima interpretatio cæteris præferenda est (2, 2, *q.* 43, *a.* 2).

921. **Resolve**. I. Gravis scandali rei sunt: 1) Qui libros edunt religioni aut bonis moribus contrarios; item qui hujusmodi libros vendunt, vel legendos præbent — 2) Qui condunt, spargunt, vel canunt immorales cantiunculas. Item qui scribunt, agunt vel approbant comœdias, in quibus religio vel matrimonii sanctitas vel virtus pessumdatur — 3) Artifices, pictores, sculptores; item *modistæ* et comarum concinnatores qui publice quosdam typos et imagines exponunt nuditatem immoderatam præseferentes — 4) Laborantes palam festis diebus, nulla interveniente vera necessitate ac licentia, etc. *Gousset.*

(1) Qua in re maxime delinquunt patres qui pravis eorum exemplis filiis suis offendicula ponunt, et a recto tramite retrahunt. « Piangiamo sulla giovine nostra generazione che è ben degna di pietà e di compianto; la madre di quel giovinetto prega, il padre non prega; la madre frequenta la chiesa, il padre non vi pone mai piede; essa si confessa, egli non mai; la madre con tenerezza parla di religione, il padre non ne parla che per dileggio. » *(Arrò-Carroccio).* V. Muzzarelli, *Delle Cause dei mali presenti,* p. 114.

II. Si mulier vultum fuco pingat, aut ornet se secundum decentiam status et morem patriæ, vel ut placeat viro suo, vel ut inveniat virum, scandalo non peccat; ornatus cohonestatur a fine: tunc si alii ruunt, potius est occasio accepta, quam data. *Et si quidem* (subdit Angelicus, 2, 2, q. 169, a. 2) *hac intentione se ornent ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.... Possent aliquæ a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.*

III. Mulieres nudatis brachiis, scapulis et pectore incedentes graviter peccarent, si primæ hunc morem alicubi introducerent: cum sine multorum peccatorum occasione esse nequeat. Ubi notandum nihil facessere quædam vela transparentia ad excusandum; cum hæc non minus, ne dicam fortius, passionem acuant. — Quod si nuditas tam immoderata non sit, et jam extaret alicubi consuetudo sic incedendi, puto cum s. Antonino esse exprobrandas, sed non illico damnandas de mortali tales mulieres; assuefactio enim, uti docet experientia, efficit ut viri ex tali visu minus moveantur ad concupiscentiam, cum minus phantasiam excitet. Non jam quod consuetudo jus constituat contra jus naturale; sed quia concupiscentiæ vim imminuit (1).

IV. Quod mulier utatur veste virili (aut e converso), est vitiosum; tum quia (ait d. Thomas loco cit.) cultus debet competere conditioni personæ; tum maxime quia hoc potest esse causa lasciviæ, vel scandali: quo sensu mortale est. Secluso tamen illo periculo et speciali prohibitione, erit veniale, si id fiat ex levitate; nullum autem peccatum, si ex necessitate fiat (*S. Alph.*, l. II, n. 53).

922. An scandalum sit peccatum contra caritatem, et simul contra virtutem, adversus quam inducitur proximus ad pec-

(1) Discrete tamen prudens confessarius sententia benigna utatur, ne indulgeat nimiæ mulierum licentiæ, quæ libidinem involvit; cum fœminæ piæ et religiosæ hoc modo incedere minime soleant. Et maxime, quia tales mulieres nuditatibus illis quærunt viros pravis sibi amoribus captivare: et principium nostrum est, in periculo peccati formalis, rigidiores opiniones esse tenendas.

Neque impudica nuditas mulieri permittenda est in ipsa sua domo; nam iis qui in ea sunt et qui eam ingrediuntur, incentivum peccandi præbet: *Oro te,* ait Tertullianus, *sive mater, sive soror, sive filia virgo... vela caput; si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patrem: omnes in te ætates periclitantur* (de viduis velandis). Vide Scavini, l. II, nn. 950 et seqq

candum, plures negant si agatur de scandalo indirecto; sed subscribo d. Thomæ sententiæ, quæ docet quod tam scandalo directo, quam indirecto peccatur et contra caritatem et etiam contra aliam virtutem. Contra caritatem, quia si nos ex caritate tenemur, cum possumus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. Contra virtutem vero, quia quælibet virtus cuivis prohibet, ne sit sive directe sive indirecte causa, aut occasio aliis eam lædendi (2, 2, q. 78, a. 4).

Hinc qui alium ad peccandum induxit sive directe sive indirecte, declarare debet in Confessione non solum peccatum scandali, quo caritatem læsit; sed etiam genus peccati, ad quod proximum induxit vel induci potuit, an nempe sit contra castitatem, vel aliam virtutem (1). Item numerum eorum quibus scandalum datum est; quia quot sunt personæ, tot sunt jura læsa. Item conditionem, si hæc qualitas addat novam speciem mortalem, uti si sint tui parochiani, qui a te scandalum passi sunt; quia tunc adest etiam grave peccatum contra proprium officium *(S. Alph.,* l. II, n. 45).

923. Non est peccatum scandali petere aliquid ab eo, qui illud quidem daturus est, sed nonnisi cum peccato, si res quæ petitur, non est ex se mala, et præstari potest etiam sine peccato (ut si quæratur mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, Sacramentum a sacerdote peccatore, etc.); cum adest justa et gravis causa petendi, petens excusatur. Quia id non est cooperari malæ alterius actioni; sed est illam permittere, idque, justa extante causa, fas est, ut docent communiter cum d. Thoma *(Suppl.* 3, p. q. 62, a. 3).

Si tamen justa deest causa (vel petatur res in se mala, v. g. si petatur actus impudicitiæ ab eo qui jam est ad illum paratus) petens peccat graviter non solum contra virtutem tali peccato contrariam, sed etiam contra caritatem; ipse enim hoc in casu cooperatur gravi alterius culpæ (2). — Item graviter peccat qui

(1) Cæterum qui suo pravo exemplo alium induxit ad furandum, non ipse ideo tenetur restituere quod alter furatus est; quia exemplum illud non est causa influxiva, sed tantum occasio mala, quæ non præstat ad furandum positivum influxum, qui quidem requiritur ad obligationem restitutionis.

(2) Unde probabiliter infertur cum Lugo, non opus esse in peccatis quæ habent complicem, explicare quisnam fuerit primus ad tentandum: quia tam inducens quam consentiens in peccato operis semper graviter peccat contra caritatem. Itaque inductio nihil aliud est quam circumstantia aggravans in eadem specie (S. Alph., *Ho. ap.*, tr. IV, n. 26; *Op. mor.*, l. II, n. 47).

aliquam sollicitat ad secum peccandum non ex pravo animo, sed ad experiendum, an illa sit casta; quia id est intrinsece malum, et per se inductivum ad peccatum; neque animus inducentis innotescit (ut supponitur) parti inductæ.

924. **Scandalum passivum.** Est ipsa ruina spiritualis seu peccatum, in quod proximus labitur propter factum nostrum.

Si factum nostrum sit de se aptum ad offendiculum proximo præbendum, scandalum dicitur *datum et acceptum.* Si vero non sit de se aptum, sed tamen proximus labatur, scandalum dicitur *non datum, sed acceptum:* et tunc si proximi lapsus eveniat ex ejus infirmitate vel ignorantia, est *scandalum pusillorum* seu *infirmorum.* Si vero proveniat ex mera peccantis malitia, vocatur scandalum *pharisaicum* ex insigni pharisæorum malitia, qui ex sanctissimis Christi dictis et factis occasionem peccandi inique sumebant *(S. Alph.,* l. II, n. 43).

925. **Resolve:** 1) Opera nostra si *indifferentia,* ad vitandum scandalum sive pusillorum sive pharisaicum omittenda sunt, si absque gravi incommodo omitti valeant; id caritas urget. Hinc illud Apostoli: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum* (I Cor. II). Hinc mulier si sciat aliquem ex ipsa occasionem sumere peccandi, tenetur si posset commode, ad ejus visum effugiendum aliam ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere. Hoc tamen tantum una vel altera vice, donec alter advertere possit, se fugi ab illa.

2) Opera nostra per se bona nullamque mali speciem præseferentia, etsi sint puri consilii, regulariter non tenemur omittere, nec differre ob *scandalum pharisaicum;* alioquin iniquis daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent, ut ait Angelicus *(In* 4, *dist.* 38, *q.* 2, *a.* 4). Unde cum Apostoli Christo dixissent: *Scis, quia pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* respondit Dominus: *Sinite illos, cæci sunt,* id est nullam habeatis rationem hujus scandali; quia oritur ex malitia eos excæcante.

3) Ad vitandum *pusillorum scandalum* opera puri consilii omitti vel potius differri deberent, donec tollatur scandali occasio. Quæ auferri potest rationem reddendo sic agendi: et si post redditam rationem scandalum durat, fit scandalum pharisaicum contemnendum. *Si post redditam rationem* (habet d. Thomas, 2, 2, q. 43, a. 7), *scandalum durat, jam videtur ex malitia esse.*

4) Opera præcepta ob *scandalum pharisaicum* omitti non

debent; ne detur occasio bona impediendi propter illorum malitiam. — Item neque ob scandalum pusillorum sunt omittenda opera præcepta de necessitate salutis, vel quæ sine peccato omitti nequeunt; quia quisque magis se, quam alium diligere debet in ordine ad salutem æternam. — Opera vero lege humana præcepta, an ad vitandum scandalum pusillorum sint omittenda, alii negant; quia leges humanæ non cessant obligare ob aliorum peccata. At probabilius affirmandum; quia præceptum de vitando scandalo, cum sit naturale præferendum est præcepto mere positivo. Sic mulier debet semel et iterum se abstinere a Sacro, licet de præcepto, si sciat sui se conspectu daturam esse alicui in particulari occasionem graviter peccandi, adeo ut ille scandalum ex infirmitate patiatur.

5) Ad vitandum scandalum *pharisaicum* non sunt dimittenda, seu non curanda bona temporalia; secus occasio malis daretur bona rapiendi, si nempe ea ideo nos repetere non possemus: quod etiam noceret bono communi. Propter scandalum vero *pusillorum* d. Thomas docet bona nostra temporalia vel esse dimittenda; cum melius sit anima proximi quam divitiæ multæ: vel potius per instructionem scandalum tollendum monendo, quod nobis licet bona nostra etiam in judicio tueri.

Sunt tamen qui negant bona nostra esse negligenda, si magni momenti: quia caritas non obligat cum gravi incommodo. Hinc non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas illum secus blasphematurum. Incommodum enim illud etsi leve in se, attamen sæpius occurrere potest; ideo fit grave in complexu *(S. Alph.,* l. II, n. 52*)*.

926. **Occasionem peccati permittere.** Licere aliquando occasionem peccandi proximo permittere seu non auferre, sententia affirmans cum d. Thoma videtur satis communis, si adsit causa: permissio enim per se non est inductio. Sic potest herus non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, cum eos ad furtum novit propensos, ut deprehensi puniantur et resipiscant. Ita licite custodes agrorum, vinearum, sylvarum se abscondunt, ut damnificantes capiant, et puniendo avertant ab aliis damnis. Ita vir uxorem suspectam habens potest se abscondere, et deprehendere in crimine. *Quandoque vir* (ait Angelicus, *Suppl.* 3 p. q. 62, a. 3) *uxorem suspectam habens, ei insidiatur, et eam potest cum testibus in crimine fornicationis deprehendere, et sic potest ad accusationem procedere.*

Imo satis probabiliter hanc occasionem filiis et servis licet

ponere, v. g. de industria collocare monetam supra pavimentum ad probandam eorum fidelitatem, si adsit causa; neque enim id per se est inducere ad peccandum *(S. Alph.,* l. II, n. 58) (1).

927. *Casus.* Jacobus parochus tres scit in parœcia esse sorores parentibus orbatas honestæ conditionis, pulcherimas, sed pauperimas. Videns eas in manifesto periculo seductionis quantum potest eleemosynis illis succurrit. Sed audit aliquos scandalizari et malignari de illo. R. *Laudandus parochus, etsi nonnulli in parœcia scandalizentur de eleemosynis quas tribuit. Attamen se gerat cum prudentia, et per alios illis succurrat, easque nonnisi in necessitate visitet et si fieri possit cum socio probatæ vitæ.* Episc. Bersani.

Caritas porro omnes urget maxime ecclesiasticos, ut non solum a malo, sed ab omni specie mali abstineant, a quo fideles scandalum sumere possunt, etsi in se malum non sit, eorum infirmitati compatiendo. Hinc Apostolus: *Peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis; quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* (I Corinth. VIII).

ART. 2. — De Cooperatione ad peccatum.

928. **Cooperatio.** Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. Prout caritati adversatur, definitur: *Participatio ad actionem pravam alterius.* Cooperatio mala dividitur præcipue in formalem et materialem (vid. *de Restit.).*

Formalis cooperatio evenit, vel quando quis voluntarie cooperatur in actu ipso criminoso, ut si alterum malo animo adjuvet ad furtum; vel quando concurrit in ipsam pravam proximi voluntatem, ut esset servare terga sicario, ut securius occidat; scribere literas amatorias vice concubinarii amasiæ, obscœnos libros et irreligiosos vendere. Hæc cooperatio est intrinsece mala; ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem timore permitti potest.

Cooperatio vero *materialis* evenit, cum actio est per se indifferens, et proximus potest etiam ea uti sine peccato; sed sua malitia abutitur ad peccandum, ut esset dare claves iis, qui eis utuntur ad furandum. Hæc cooperatio potest esse licita:

1) Si rem istam indifferentem non ponamus intentione mala; sed tantum quia externa vi, ac gravi necessitate coacti. Ut esset armarii claves dare expoliatori, qui alioquin vult portas exscindere; chartas, documenta et similia tradere ei, qui nobis

(1) Aliud est inducere, aliud præbere occasionem: illud est intrinsece malum, non hoc; alioquin nunquam liceret etiam ex causa justa petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli, etc. quod est contra commune. Unde s. Thomas hanc regulam dat: *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est* (2, 2, q. 73, a. 4).

fortior ea per apertam vim rapere contendit, vel alioquin pœnas aut mulctas infligere. Item solvere injustum tributum et taxam, cum publicanus paratus est illam violenter exigere: tunc enim hæc concedimus, non ideo ut gravi peccato alterius cooperemus, sed ut ipsi nos a majori et injusta vexatione liberemus. Ideo cooperatio nostra non est nisi materialis et coacta; neque peccat viator latroni marsupium præbenti ex gravi metu.

2) Si materialis nostra cooperatio non vergat, nec manifeste et ex proposito in contemptum legis Ecclesiæ extorta sit. Quo in casu nullomodo cooperatio nostra licita est; cum id sit intrinsece malum. Cæterum præstat, ut casu adveniente, superior interrogetur (v. n. 145).

3) Si materialis cooperatio non sit aliis petra scandali, quasi nempe putent nos ex animo ad actionem illam concurrere. Quousque scandalum non amovetur, cooperatio est graviter prohibita; amovetur autem, v. g. contra coactionem iniquam protestando, illam ægre exterius ferendo, ei quoad potest resistendo et alia similia plus minus externe agendo pro circumstantiarum varietate. Neque ideo sumus a nobis ipsis dissentientes, postea dando quod prius negavimus: negamus ac resistimus primo, ne videamur iniquiter agentibus lubenti animo connivere, et ita scandalum amovetur. Damus ultimo documenta, claves et alia hujusmodi; quia non possumus ullo modo retinere, quin incidamus in damna majora: protestando tamen si opus, reverenter quidem, sed cum evangelica libertate; nam *protestatio solet illæsum servare jus protestantis* (v. Scavini, *l.* IV, *n.* 345) (1).

4) Si adsit causa justa et proportionata cooperandi. Ad hoc autem judicandum ante omnia pro regula sit observare sensum Doctorum; quia cum totum hoc ferme pendeat a prudentum æstimatione, sententia illa erit probabilior, quæ communior. Est autem prudentum æstimatio, eo graviorem requiri causam ad cooperandum, vel quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; vel quo probabilius est, te non cooperante, alterum haud peccaturum; vel quo propius cooperatio peccatum attingit; vel quo minus habes juris ad tale opus; vel maxime quo magis peccatum cum justitia pugnat. Unde ut possimus cooperari damno proximi, requiritur, quod nos ipsi damnum grave timea-

(1) Protestatio quæ fieri debet coram agentibus gubernii usurpatoris ad jus nostrum saltem ex parte tuendum, potest etiam fieri oretenus; et semel ab initio emissa sufficit, si agatur de eadem re iisdemque actibus, et modo non videamur connivere; ex S. Pœnitentiaria an. 1855 et 1856 (v. *Scavini*, l. IV, n. 220).

mus ordinis superioris: v. g. si fur minatur tibi auferre bona tua, nisi tu coopereris ad surripienda bona alterius, non potes furto cooperari. Secus esset si non cooperando ad surripienda illa bona, tu subiturus esses vitæ aut famæ dispendium. Quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus permittere tibi illam cooperationem in suorum bonorum jacturam utpote ordinis inferioris.

929. **Resolutiones.** Quoad particulares cooperationes:

I. Quoad *famulos*. Contra plures mihi probabilius videtur licere famulo, sed tantum metu mortis (alii addunt etiam metu alterius gravissimi damni, nempe infamiæ; non tamen sola ratione famulatus, cum sit propior cooperatio) dominum comitari ad lupanar, sternere equum, scalam deferre, vi aperire januam, humeros hero subjicere, ut ascendat ad fornicandum, etc. Quia non ponit actionem intrinsece malam, cum hæc possit esse per se bona vel mala; attamen famulus tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat.

At non licet (in mea sententia) famulo domini dona meretrici deferre; cum hæc de se turpem amorem foveant. Attamen alii id permittunt ex gravissima causa; cum non credant id esse intrinsece malum (quod de famulis, valet etiam de uxore, filiis, etc. *(S. Alphonsus,* l. II, n. 63).

II. Quoad *mercatores*. Licet vendere aleas, gladios, fucos, vestes et ornamenta iis qui personati incedunt *(mascherati)*, etsi iis plurimi sint abusuri; quia hæc de se non ordinantur ad peccatum, nec malum præsumendum est. Si tamen de abusu alicujus certo constaret, et non vendendo mercator impediret peccatum, causa gravis, seu periculum notabilis damni requiritur ad res illas vendendas: ex qua ratione licet puellæ vendere ornatus illis certo abusuræ, vel judæo agnum, qui eo usurus est ad suum pascha. Non licet tamen vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. g. ad confectionem colorum, occisionem murium; quia maxima sequeretur humani generis pernicies, si id omnibus promiscue liceret.

III. Quoad *locatores*. In civitatibus, in quibus ad vitandum majus malum permittitur ut habitent usurarii et meretrices, licet ipsis domum locare, maxime si alii conductores desint: nisi meretrices graviter nocerent vicinis honestis; vel ob situm ansam majorem darent peccatis, aut locus sit prope ecclesiam. — Non licet privatis aurigis aut nautis vehere meretricem ad amasium pro sola mercede lucranda; ita recte Sanchez, Roncaglia contra Sporer et alios. Tantum excusarentur, si ipsi hoc agerent ad grave damnum vitandum: imo alii putant id nunquam licere, utpote intrinsece malum.

IV. Quoad *operarios*. Licet fabrisferrariis parare arma, etsi cognoscant aliquos (in genere) iis abusuros esse; quia secus commercium rueret. Item operariis falsa idola conficere, si hæc adhibeantur ad ornamentum platearum, ædificiorum, etc. Secus vero, si ad falsum cultum pagano sint tradenda.

Non licet pulsare organa, vel canere in ecclesia infidelium, si id sit in honorem idoli; quia sic idolo præstaretur obsequium. Idem est si id fieret in synagogis hebræorum, functionum tempore; esset enim vere et formaliter concurrere et participare in falso cultu, illum quasi alternatim usurpando una simul cum judæis: talis enim pulsatio est pars psalmodiæ, quæ ex sono et cantu conflatur, ut dicunt cum Gotti

et Fedeli. Item nefas est pulsare campanam ad annunciandam concionem hæreticorum, quum sit invitationis instar; id tamen cum causa, remoto scandalo alii permittunt. Licet theatra ædificare, ornare, etc., si ornamenta in se honesta sint; neque agitur de re per se mala. (S. Alphonsus, l. II, n. 59; *Homo apostol.*, tract. IV, n. 31. Bouvier, *De restitut.* ubi *de participante;* et *de actibus humanis.* Gury, *De virtutibus* ubi *de cooperatione.* Pavone, *La luce fra le tenebre,* dissert. XI. Ferraris, V.° *Famuli.* Gallo, *Suppetiæ Evangelii præconibus* etc. (Romæ, 1872. Scavini, l. II, n. 954).

930. Huc plurimi facit Instructio data 12 julii 1878 a Cardinali Vicario ad parochos almæ Urbis quam sancivit Pontifex M. Leo XIII, videlicet ad Romanos arcendos a perversionis periculo in tanta improborum hominum licentia: « Strictissime vetatur ingredi mera curiositate et scienter, aulas et templa protestantium *tempore collationum;* et graviter peccant omnes qui mera curiositate collationes protestantium auscultant et assistunt, quamvis materialiter, *cæremoniis acatholicis* (1). Et omnes *artifices* qui etiam sola lucri ratione cantant aut sonant in protestantium templis. Et *typographi* etiam secundarii ministri, qui ne a superioribus ejiciantur, literas colligunt ad excudendos hæreticorum libros; quinimmo si de hæreticorum libris agatur, quibus hæresis edocetur ac sustinetur, etiam *ministri typographi secundarii* majorem excommunicationem incurrunt specialiter Pontifici reservatam.

Neque a peccato mortali eximuntur *architecti, conductores, fabrorum magistri,* qui propriam conferunt operam et laborant ad extruendum aliquod protestantium templum. Quoad *structores* et alios operarios inferiores a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in religionis catholicæ contemptum (2). Ast parochi et confessarii sedulam navabunt operam, ut hujusmodi gentem moneant quatenus opus communiter habeatur uti indicium protestans falsæ religionis; et quatenus opus idem aliquod præferat quod directe significet aut catholici cultus reprobationem aut reprobati hæreticalis cultus approbationem; aut si constet eosdem ab hæreticis cogi aut vocari ad laborandum in religionis catholicæ contemptum; nullo autem in casu licitam esse intentionem cooperandi hæreticali cultui.

Tandem eo magis rei fiunt enormissimi peccati *patres* et *matres* qui vere crudeles in animas filiorum suorum eosdem mittunt ad scholas protestantium; et etiam deterius, si illos ire cogant. Res evidens est,

(1) Summus Pontifex Leo XIII ajebat ad Romanos 16 aug. 1878: « Utique scimus quod fidei nostræ inimici occasionem sumentes ab hodiernis gravissimis populorum necessitatibus, nil intentatum relinquunt, omni blanditia utuntur, vel etiam aurum profundunt, ut eorum scholas et ecclesias populosas habeant. Absit tamen ut vestræ conscientiæ ac religioni injuriam inferramus, et vos tantæ vilitatis capaces suspicemur, ut ob temporales utilitates æternam vestram ac filiorum vestrorum animam sacrificetis. Panis emptus tali pretio venenum est, quod animas enecat et perdit, et super familias maledictionem Dei evocat. Viriliter mementote Patrum vestrorum, qui in certamine positi fidem negandi, maluerunt opes non solum, sed ipsam vitam prodigere. Vestros igitur incendite animos, eorumque præclara exempla imitamini. »

(2) Et quidem plerumque abest scandalum, cum omnes sciant hos operarios inferiores operam suam conferre miseriæ causa, et quod alibi mercedem non inveniant. Hoc tamen Parochi et confessarii erit judicare.

parentes hujusmodi esse in illorum crimine reprobandos et detestandos, et omnibus modis possibilibus eorum emendationem curandam esse, et interdum tenendos esse longe a Sacramentis utpote incapaces et indigni, donec filios suos revocaverint ab hujusmodi scholis.

Filii quoque pro re in se considerata certo tales adeundo scholas gravis culpæ rei sunt; ast in casu veræ coactionis, confessarius ponderatis personæ ac facti circumstantiis, erga illos agat juxta regulas a probatis auctoribus pro casibus hujusmodi propositas. Satagant romani parochi, ut has præscriptiones servent in mente fidelium, et ut legant hanc Instructionem tempore Missæ parochialis vel alterius functionis frequentioris in diebus festis. »

Hic tandem etiam maxime faciunt novæ Leonis XIII literæ ad ipsum Eminentissimum Cardinalem Vicarium 25 martii 1879 quoad scholas, quæ Romæ in illo catholicitatis centro a protestantibus aperiuntur; cui malo opportune occurrit remedia suggerendo (1).

(1) *I cittadini* (ad rem hæreticus Leibnitius) *si fanno sui banchi della scuola.* Hinc non suspectus modernus auctor: *La scuola se non è un tempio, diventerà una tana, da cui usciranno gli uomini più nefasti alla società.* Et alius ejusdem furfuris: *A forza di moltiplicare le scuole obbligatorie ed atee, non temete voi di essere obbligati ad accrescere in proporzione i gendarmi ed i birri?* Hinc vel ipse Voltaire clamabat: *Ogni padre di famiglia è scongiurato di apparecchiare una posterità che conosca il Vangelo.* Et Rénan: *Tòrre il tuo nome, o Gesù, da questa terra, sarebbe abbattere il mondo dalle fondamenta.*

Quid (quæres) *si adolescentuli catholici communia gymnasia adire cogantur una cum acatholicis?* De mixtis gymnasiis multum disputatum fuit paucis ab hinc annis a *Congregatione de Propaganda fide*, quando Britanniæ gubernium hanc methodum in Hiberniam invexit. S. C. Concilii juxta sententiam Propagandæ monuit Episcopos, *ut præ oculis haberent remedia in hujusmodi casibus inculcari solita, videlicet, ut libri in scholis adhibiti ab omni vel minima suspicione contra fidei puritatem immunes forent, et præceptores præsertim de religione, morali, et historia catholici essent, et omni probitatis laude præfulgerent, ut pueri catholici gymnasia facultatum tantummodo inferiorum frequentarent, ut Episcopi et Parochi continua vigilantia scholas prosequerentur, et si fieri posset, darent operam ut suæ jurisdictioni subdantur: tandem ut Episcopi, collatis cum suis collegis consiliis nominatim in Synodis provincialibus, omni studio meliores conditiones consequi, et gymnasia mere catholica erigenda curarent.* V. Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, vol. II, pag. 553.

Aliæ scholæ *mixtæ* appellari solent, quando nempe utriusque sexus scholares sub una directrice instrui solent eodem loco et tempore. Si omnino separari nequeant, certe magna cautela opus est ac vigilantia, ut inter se mares cum fœminis familiariter non utantur, et mutuus illorum conspectus, quoad potest, evitetur. Quod item forsan dicendum de infantiæ asylis; nam satis est parva scintilla ad magnum incendium excitandum, et notum est quanta sit vel in ipsis puerulis ad malum proclivitas.

APPENDIX I.

De Veracitate, Mendacio, Amicitia, Amore platonico, Castitate, Virginitate, Pietate, Affabilitate, Prudentia, Fortitudine, Modestia, Temperantia.

931. **Veracitas**. Est conformitas locutionis cum mente hominis loquentis. Ad mutuam inter homines societatem veracitas prorsus est necessaria; societas enim consistere nequit, nisi homines sibi invicem credant. Quare Apostolus Eph. 4: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque proximo suo*. Veracitati opponitur mendacium.

932. **Mendacium**. Definitur: *Locutio* vel *significatio contra mentem*. Mendacium enim confici potest tum verbis, tum facto; si facto, *simulatio* dicitur proprio nomine. Mendacium dividitur in *jocosum* si ad solatium, in *officiosum* si ad utilitatem; in *perniciosum* si ad injustam damnificationem profertur (1).

Mendacium proprie dictum est intrinsece malum; tum quia rectæ rationi repugnat verbis uti contra eorum institutionem; tum quia secus ordo societatis qui mutuo hominum commercio utitur, subverteretur. Hinc Coloss. v: *Nolite mentiri invicem;* et ideo ob quodcunque bonum nequit dici mendacium; nam, ut ait d. Thomas (2, 2, q. 110, a. 3), non solum ex damno quod infert, sed ex suimet inordinatione illud cohonestari nequit; cum enim voces naturaliter sint signa intellectus, innaturale est quod aliquis voce significet id quod non habet in mente.

Si vero neque proximum neque Deum graviter lædat, neque grave scandalum pariat, veniale est, uti de mendacio jocoso et officioso tradit d. Augustinus *(In Ps.* v); tunc adest tantum inordinatio levis. Imo non raro mendacia jocosa carent omni culpa, uti si intentio jocandi, ac ridendi ita pateat, ut facillime percipi possit sive ex re quæ dicitur, sive ex tono vocis lepido, sive ex aliis circumstantis; tunc potius facetia est. Item æquivocationes, si non impediant quominus sensus loquentis cognosci queat, non sunt mendacia (v. n. 744).

933. **Amicitia**. Est amor mutuæ benevolentiæ et gratuitus fundatus super aliquam communicationem; ideo amicitia quæ fundatur in utile et delectabile deficit a ratione vera amicitiæ; in quantum trahitur ad amorem concupiscentiæ ex d. Thoma. *Discordia autem opinionum* potest adhuc stare cum amicitia vera; quæ enim caritati adversatur est discordia voluntatis, ut ait laudatus Angelicus (2, 2, q. 37), non opinionum; et inter sanctos plures habemus exempla; vide *Scavini*, l. I, n. 917.

Cum porro amicitia oriatur ex bonorum communicatione tot erunt amicitiæ species quot species bonorum, quæ inter amicos communicantur. Idcirco amicitiæ divisio erit in *veram* et *falsam*, in *temporalem*, *sensibilem* et *sensualem*, prout nempe bona quæ communicantur, vera vel falsa sunt, temporalia vel spiritualia, sensibilia vel sensualia.

Principia. *Amicitias sensuales* nec contrahere licet nec fovere; cum fundentur super peccato: et dicente s. Ambrosio, *non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus*. Amicitiæ sensuales reprobantur ab omnibus utpote inhonestæ, et vulgo *innamoramenti* appellantur, de quibus Salesius: *Io grido ad alta voce a chiunque è legato dentro le reti dell'innamoramento: tagliate, tron-*

(1) Ratio mendacii sumitur ex eo quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi: quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad essentiam mendacii sed est malum ipsi superadditum. Ex *d. Thoma*, 2, 2, *q.* 110, *a.* 3.

tate, rompete; non bisogna fermarsi a scucire queste sciocche amicizie, bisogna schiantarle; non bisogna snodare questi legami, bisogna romperli e tagliarli.

Amicitiæ sensibiles, quæ fundantur in bonis corporis sensibilibus, pulchritudine, benevolentia, voce, licet non aperte inhonestæ; sunt tamen valde imperfectæ et periculosæ, maxime si contingant inter personas diversi sexus, ideo rejiciendæ. A sensibilitate ad sensualitatem parva distantia; imo quotidiana experientia teste, una ad aliam ducit.

Amicitias *sanctas, spirituales, ad virtutem directas* omnibus (maxime iis qui in sæculo vivunt) perutiles pronuntiamus. En verba Salesii: *Quanto alle persone che vivono tra i mondani, e che abbracciano la vera virtù, è lor necessario l'unirsi le une colle altre mediante una santa e sacra amicizia, perchè col mezzo di questa si ajutano e si eccitano vicendevolmente al bene.* Nonne inter se junguntur hac præsertim ætate, filii tenebrarum ad malum? et cur non filii lucis ad bonum? Hic Eccl. VI: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma; amico fideli nulla comparatio.* Hinc laudandi publici catholicorum comitatus in quibus ipsi mutuo ad meliora jugiter excitantur: religiosæ peregrinationes ad Sanctuaria, centenariæ solemnitates, etc. *(De his plura apud* Scavini, *l.* I, *n.* 632 *l.* IV, *nn.* 283 *et seqq.*).

Amor platonicus. Amorem sensibilem profani honestum (seu *platonicum)* dicunt; sed absit ut affectioni illi mere animali vel nomen amoris donemus! exinde enim corda mollescere; phantasia vero et pruritus animales vehementer accendi solent, adeo ut serius aut citius nonnisi turpissimi lapsus timendi sint. Ad rem Kempis: *Non sis familiaris alicui mulieri... caritas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit* (Scavini, *l.* II, *n.* 796).

934. **Castitatis status.** Castitas *a castigando* dicta *virtus est quæ moderatur concupiscentiam circa venerea* (d. Thomas, 2, 2, *q.* 151). Castitatis autem status triplex est: *Conjugalis, vidualis, virginalis.*

Primus constanter abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio: quæ castitas a conjugibus servanda. Secundus post solutum matrimonium abstinet in posterum ab omni etiam licita voluptate, scilicet a novo matrimonio contrahendo: est de consilio ex Apostolo. Tertius ab omnibus tam licitis quam illicitis venereis delectationibus abstinet, carnisque integritatem servat.

935. **Virginitatis status.** Definitur: *Firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus venereis voluptatibus.* Dicitur *firma voluntas*, ut indicetur hic non definiri virginitatem materialem, quæ consistit in quadam carnis integritate; sed moralem, quæ in animo sita est et in ejus proposito. Ex quo patet differentia virginitatis a castitate; nam ista esse potest etiam in conjugatis et pœnitentibus: non autem illa. Et ideo propositum servandæ integritatis usque ad tempus nuptiarum non est virtus virginitatis, sed castitatis *(D. Thomas,* 2, 2, q. 152).

Principia I. Virginitatem esse rem bonam in se, licitam et laudabilem, tenent omnes catholici adversus Lutherum. Et merito: nam nihil sub consilio cadere potest in Scripturis, quod non sit in se bonum, licitum et laudabile; atque virginitas in Scripturis sub consilio cadit: *De virginibus præceptum Domini non habeo,* inquit Apostolus: *consilium autem do:* et postea: *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Idipsum probatur exemplo Christi, B. M. Virginis multorumque Sanctorum, qui virginitatem secuti sunt. Vel ipsæ barbaræ gentes virginitatem semper in honore habuerunt.

II. Virginitas melior est quam matrimonium: habet enim Apostolus: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit....; beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium; puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam;* et ratio suadet; nam bonum animæ est præferendum bono corporis *(d. Thomas,* 2, 2, q. 152, a. 4). Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit* (sess. XXIV, c. 10). Hunc errorem damnat etiam Pius IX Constit. *Multiplices.*

Loquimur tamen de cœlibatu religioso, id est voluntarie electo virtutis amore. Non autem de coacto, tanto minus de libidinoso qui nedum sit continentiæ professio, potius est illius jactus et profanatio, vera pestis societatis, ac naturæ humanæ dedecus (v. Signoriellus, *Philos. moralis*, p. 2ª).

Resolve: 1) Potest virgo ad servandam castitatem non quidem se ipsam directe occidere, sed se exponere certo mortis periculo, v. g. fugam periculosàm capessendo; cum sit in bonum virtutis, et aliunde non est certa mors, sed ejus tantum periculum; idque non improbabiliter videtur (*S. Alph.*, l. III, n. 367).

2) Si invasor minetur mulieri mortem, si copulæ non acquiescat, an ipsa debeat potius permitti se occidi, quam violari, sententia negativa speculative loquendo sua probabilitate carere non videtur; illa permissio est materialis tantum: illa passio est, non actio, si non consentiat. At contrarium in praxi suadendum saltem ob periculum consensus (*S. Alph.*, l. III, n. 368).

3) An autem mulier vi oppressa ad vitandos impudicos tactus alterius teneatur clamare, valde probabiliter negandum si adest periculum notabilis damni sive infamiæ sive nimiæ verecundiæ; modo absit periculum consensus proximum. Sicut nec tenetur illum occidere, etsi possit (*S. Alph.*, l. III, n. 430).

936. **Pietas.** Late sumpta idem sonat ac *vitæ bonitas et morum integritas*, ita ut ille *pius* dicatur, qui probitate et innocentia præstat: est etiam Spiritus Sancti donum, quo prompte movemur ad Dei cultum. Si vero pietas stricte accipiatur, ex d. Thoma, (2, 2, *q.* 101), est *virtus moralis qua bono animo afficimur in parentes, atque in patriam nostram*: in parentes, a quibus gignimur et gubernamur; in patriam, in qua nati sumus et educati (*patria* dicitur quasi *terra Patrum*). Ad parentes reducuntur *consanguinei*, *qui referuntur ad principia nostri esse*: ad patriam referuntur concives propter eorum cum ipsa conjunctionem.

Qui cultus justitiæ dictamine subjici debet; non enim raro evenit hac nostra ætate, quod debeat deplorari excessus. Quot sunt qui vitioso patriæ amore ducti aliorum jura pessumdant, bona usurpant, religionis præcepta contemnunt, conculcant: hoc merito Pius IX damnavit in *Syllabo* propos. 64. Si velimus ut patriæ amor ordinatus sit, nunquam a religione est separandus: *Pro aris et focis*, erat Romanorum effatus (v. *Civ. catt.*, serie 10ª, t. IV: *L'amor patrio dei cattolici).*

937. **Affabilitas.** Est *virtus, qua quis in omni vitæ consuetudine facilem se aliis exhibere, et iisdem, ut decet, obsequi studet. Homo,* inquit Angelicus, *tenetur ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat.* Hanc virtutem Hieronymus Nepotiano suo enixe commendans sic eam descripsit: *Virtus est lenis, blanda, tranquilla et omnium bonorum apta consortio; invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata.*

Duo opponuntur affabilitati, assentatio et asperitas. *Assentatio* est propria illorum, qui omnia ad alterius voluntatem sive vera sive falsa, sive bona sive mala faciunt et laudant: quod viro ingenuo et christiano indignum est. *Asperitas* est in iis, qui habitum habent perversum improbandi semper aliena facta et dicta. Hoc in quibusdam superbissimis cernere est, sæpe adolescentibus, qui omnium sunt derisores, detractores, susurrones; horum exitus nonnisi pessimus erit.

938. **Prudentia.** Ab Aristotele definitur: *Animi habitus vera cum ratione actiones dirigens in iis*, *quæ sunt homini bona vel mala.* Dicitur: 1) *Vera cum ratione*, ut a prudentia excludatur temeritas et præcipitatio — 2) *Actiones dirigens*, ut secernatur ab habitibus mere theoreticis; nam potest quis esse doctissimus, et eruditus artibus et disciplinis, quæ in mundo sunt, quin tamen item sit prudens — 3) *In iis quæ sunt homini bona vel mala*, ut indicetur prudentiæ objectum in cavendo a malo, et inquirendo bono consistere. Eximia ac necessaria virtus! neque enim opera nostra laudari possunt, nisi fiat electio eorum, quæ conveniunt ad finem. Hæc ex Angelico *adjuvat omnes virtutes et operatur in omnibus* (1, 2, q. 58). Et ab Augustino vocatur *rerum agendarum et fugiendarum scientia* (D. Thomas, 2, 2, *q.* 47, 48, 49, 50).

939. **Fortitudo.** Potest definiri *virtus cardinalis inclinans hominem ad omnia sustinenda pro consecutione boni necessarii.* Cum enim pleraque in humana vita occurrant, quæ hominem solent deterrere a recto tum rationis tum legis tramite, aliquo certe præsidio nobis est opus, quo adversus impetus hujuscemodi firmemur. Hoc præstat fortitudo: quæ ideo omnibus necessaria est; nam *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit; Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (v. d. Thomas, 2, 2, *q.* 123) — Est autem maxime necessaria militi ad strenue pugnandum: magistratibus ut valeant irrumpere iniquitates; ministris altaris, ut confortati in Domino et in potentia virtutis ejus evellant et destruant, plantent et ædificent, potenter potentibus obstando, si opus. Imo omnibus necessaria est ad vincendum inanem illum timorem *(respectum humanum)* qui nos contra nostram voluntatem ad male agendum trahit, ut pravorum arceamus dicteria. Hic nos vilissima malorum mancipia efficit; hic ad pessima quæque vel ipsos bonos conducit; hac de causa Petrus Magistrum et Dominum Jesum pejerando negavit; et Pilatus Auctorem vitæ ad mortem turpissimam damnavit. En mala bestia omnia devorans, a qua omnes, sed maxime juvenes summo studio ac statim cavere debent (v. Martinengo, *La gran bestia svelata ai giovani:* item *La coda della gran bestia).*

940. Audiendus in sua litera pastorali ad populam Perusinum 1876 Emin. Card. episc. Pecci, qui nunc Leo XIII in cathedra Petri gloriosissime sedit: *Noi vorremmo in voi, o diletti, quel coraggio cristiano, quella santa fierezza che conduce alla aperta e nobile confessione della Cattolica Fede. Fa pena di vedere che in quella che i nemici nostri non vergognano di dare pubblicamente il loro nome a sêtte riprovate, e si acconciano a seguirne i comandi non giustificati nè giustificabili, i figli della Chiesa si peritano dal canto loro di schierarsi apertamente ai suoi fianchi e militare sotto le sue bandiere. Cattolici pusillanimi gemono forse in secreto delle persecuzioni, dei progressi della incredulità, ma in pubblico sono timidi amici del vero, anzi si sforzano di comparire conniventi, non negando talvolta un sorriso a volgari lazzi, facendo buon viso a gazzette corrompitrici e menando buoni propositi insensati.... Una bontà negativa, fiacca, casalinga, amante al di fuori d'impossibili conciliazioni, non è più il caso de' nostri giorni, quando gli avversarj scendono in piazza per rapirci tutto.... Nè qui si tratta di jattanze o di provocazioni, come bene avvisate voi stessi, ma di quella calma e civile manifestazione del sentimento cristiano, che è un sacro diritto in faccia agli altri, e un debito in faccia a Gesù Cristo, il quale confesserà davanti al suo Padre Celeste chi lo avrà prima confessato davanti agli uomini.*

941. **Modestia.** Sic dicta a *modo servando*, definitur: *Virtus quæ exteriores hominis actiones et corporis ornatum ita moderatur, ut nullius offendat aspectum.* Modestiæ fundamentum in humilitate situm est, sive in illo animi sensu, quem sic expressit Apostolus: *Quod habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hinc a quibusdam definitur etiam: *humilitas ad praxim reducta* seu *humilitas practica.* Habet modestia insigne quoddam decus præsertim in adolescentibus, quibus et præclaram penes superiores existimationem et stabilem penes condiscipulos auctoritatem, et incredibilem amorem in omni cœtu conciliat. Quare Apostolus hanc virtutem alte commendans inquiebat: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

In quatuor præsertim modestia est collocanda: *in oculis*, *in verbis, in risu, in incessu.* Modestia ecclesiasticis est maxime necessaria, quos Apostolus vult *ornatos et modestos* (I Tim. III). Nil ergo mirum, si d. Ambrosius duos repulit clericos, qui externum præseferebant petulans et inordinatum nimis; judicium probavit eventus (Lib. I de Officiis, c. 18). *D. Thomas*, 2, 2, q. 160 et 169.

942. **Temperantia.** Proprie virtus est cardinalis quæ juxta rationis dictamen moderat affectum usumque gustus et tactus voluptatum (d. Thomas, 2, 2, q. 141 et 170). Sumitur etiam ut virtus generalis, quæ omnes actus nostros dirigit ac tuetur. Huc porro præter modestiam revocantur præcipue *mansuetudo* quæ iram

coercet; *clementia*, quæ coercet vindictam ne ultra debitos fines exeat (v. *d. Thomas*, 2, 2, q. 157); *humilitas*, quæ firmat voluntatem, ne inordinate se extollat; *studiositas*, quæ affectum discendi ad rectam rationem temperat; *eutropelia*, quæ in recreationibus modum servat honestum; *ornatus* et *simplicitas*, quæ externum corporis cultum ad honestatis regulas ac decorem regunt ac tuentur. *Verecundia*, timor nempe turpitudinis a qua removet; *gratitudo*, quæ conducit ad beneficiorum memoriam retinendam eaque remuneranda; *liberalitas*, quæ ordinem docet in largitionibus; *comitas* et *urbanitas*, quæ animum facit suavibus moribus expolitum (*Scavini*, l. II, nn. 721 et seqq. ubi plura).

APPENDIX II

De propositionibus a S. Sede damnatis.

943. Aliquando propositiones damnantur *singillatim*, si sua cuique specialis inuratur censura; aliquando vero damnantur *in globo*, quando nempe omnes in genere reprobantur (v. *Scavini*, l. II, nn. 896, 959; Viva, *Damnatæ Theses*).

Propositiones damnatas ab Apostolica Sede ab anno 1418 ad annum 1870 novas per extensum, antiquas summatim adnotamus cum eas passim referant auctores.

944. *In Concilio generali Constantiensi sess.* XLV *anno* 1418 *damnati fuerunt* 45 *articuli Joannis Wicleffi.*

In eodem Concilio damnati fuerunt 30 *articuli Joannis Hus.*

---

945. *A Sixto IV anno* 1470 *novem propositiones damnatæ fuerunt Magistri Petri Oxomensis.* Damnantur uti scandalosæ et hæreticæ.

946. Errores 41 Martini Lutheri damnati sunt a Leone X sub excommunicatione latæ sententiæ Bulla *Exurge Domine,* 16 maji 1520.

947. Propositiones 79 Michaelis Baji damnatæ sunt a s. Pio V Bulla *Ex omnibus* 1 oct 1567; a Gregorio XIII Bulla *Provisionis* 29 jan. 1579; et ab Urbano VIII *In Eminenti* 6 martii 1641 sub excommunicatione latæ sententiæ.

---

948. *Propositio, qua asseritur æqualitas sanctorum Petri e Pauli, damnata ab Innocentio X, decreto Congregationis generalis Sanctæ romanæ et universalis Inquisitionis.* Editus est 29 *jan. anno* 1647.

Sanctissimus, relata unanimi theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura et auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositionem hanc:

S. Petrus et s. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt, vel *sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti,* vel *sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex qui in unum divinissime coaluerunt,* vel *sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides qui unicum caput constituunt,* ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter s. Petrum et s. Paulum sine subordinatione et subjectione s. Pauli ad s. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit.

---

949. *Propositiones* 5 *Cornelii Jansenii, ex ejus libro cui titulus* Augustinus *excerptæ, damnatæ ab Innocentio X, Constitutione* Cum occasione 31 *maji* 1653; *ab Alexandro VII, tum Con-*

stitutione Ad sanctam B. Petri 16 *oct.* 1665; *tum Constitutione* Regiminis apostolici 15 *febr.* 1664 *in qua* formularium *edidit; denique a Clemente XI, Constitutione* Vineam Domini 16 *julii* 1705.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Declarata et damnata uti* temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda et hæretica.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Declarata et damnata uti* hæretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Declarata et damnata uti* hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Declarata et damnata uti* falsa et hæretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Declarata et damnata uti* falsa, temeraria, scandalosa, et (intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit) impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.

Notandum. Jansenistæ duce Arnaldo ultro concessere quinque supra notatas propositiones jure merito damnari, tamen docuerunt eas in libro Jansenii de facto non inveniri, neque in sensu quo eas Pontifex intelligit, illarum patrocinium Jansenium suscepisse; ideo adesse quidem obligationem se submittendi *quoad jus*, non *quoad factum*, in quo Pontifex errare potuit. Tunc Alexander VII formularium dedit subscribendum a vero catholico.

Formularium Alexandri VII: « Ego N. Constitutioni apostolicæ Innocentii X, » datæ die 31 maji 1653, et Constitutioni Alexandri VII, datæ die 16 octobris 1665 » summorum Pontificum me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii » libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, » prout illas per dictas Constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo » rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

Sed quid jansenistæ versipelles semper et falsi? Quemdam conscientiæ casum conficientes, statuerunt ac fassi sunt revera illas propositiones habendas esse uti damnatas in omni sensu, quo illas Ecclesia damnavit; attamen licitum esse servare *silentium obsequiosum* circa factum, an scilicet proscriptæ quinque propositiones revera inveniantur in libro Jansenii (quod est exterius tacere, interius non consentire). Sed et hoc effugium damnavit Bulla *Vineam Domini* Clemens XII (v. Bergier, Dizionario, V.° *Giansenio).*

---

950. *Propositiones* 45 *damnatæ* fuerunt *sub excommunicatione latæ sententiæ ab Alexandro VII decretis Congregationis generalis Sanctæ romanæ et universalis Inquisitionis,* Sanctissimus Dominus noster 24 *sept.* 1665, *et* 18 *martii* 1666. Omnes damnatæ et prohibitæ ut minimum tanquam scandalosæ.

---

951. *Propositiones* 65 *damnatæ* fuerunt *sub excommunicatione latæ sententiæ ab Innocentio XI, decreto Congregationis generalis Sanctæ romanæ et universalis Inquisitionis,* Sanctis-

simus Dominus noster 2 *martii* 1679. Omnes damnatæ et prohibitæ sicut jacent ut minimum tanquam scandalosæ, et in praxi perniciosæ.

952. *Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI, an.* 1682.

Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

---

953. *Revocari huc potest decretum Clementis VIII,* 26 *maji* 1594.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Et quoad sacramentum Pœnitentiæ sub eodem Clemente VIII, 19 *julii* 1602 *proscripta est sequens Propositio, sub excommunicatione latæ sententiæ.*

Licet per literas seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

---

954. *Propositiones* 68 *Michaelis de Molinos damnatæ sunt ab Innocentio XI, Constitutione* Cœlestis Pastor 20 *nov.* 1687. Damnatæ tanquam hæreticæ, suspectæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, christianæ disciplinæ relaxativæ et eversivæ, et seditiosæ respective.

---

955. *Propositiones* 2 *damnatæ ab Alexandro VIII, decreto* Sanctissimus Dominus noster 24 *aug.* 1690.

1. HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORTALIS. *Declarata et damnata uti* hæretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea. *Illam effinxerat pro suo libito Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.*

---

956. *Propositiones* 31 *damnatæ fuerunt ab Alexandro VIII decreto* Sanctissimus Dominus noster 7 *dec.* 1690. Damnatæ et prohibitæ tanquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ et hæreticæ respective.

957. *Propositiones 23 super amore erga Deum purissimo damnatæ habentur ab Innocentio XII, Brevi* Cum alias 12 *martii* 1699. *Damnatæ et reprobatæ* tanquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, ac etiam respective erroneæ.

---

958. *Propositiones* 101 *Paschasii Quesnelli; damnatæ sunt a Clemente XI Constitutione* Unigenitus 8 *sept.* 1713. *Declaratæ et damnatæ* tanquam falsæ, captiosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, perniciosæ, temerariæ, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosæ, neque in Ecclesiam solum sed etiam in potestates sæculi contumeliosæ, seditiosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneæ, hæresi proximæ, pluries damnatæ, ac demum hæreticæ, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

---

959. *Propositiones 5 de duello, damnatæ sub excommunicatione latæ sententiæ a Benedicto XIV, Constitutione* Detestabilem 10 *nov.* 1752 (1).

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnatæ ac prohibitæ tanquam falsæ, scandalosæ ac perniciosæ.

---

960. *Propositiones 85 Synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI, Constitutione* Auctorem Fidei *etc.* 28 *augusti* 1794.

(1) Idem Pontifex damnat sub eadem censura qui defendunt tanquam licitam praxim inquirendi nomen complicis a pœnitente (v. *dicenda t.* II, *n.* 725).

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA
(*Ex decret. de grat.* § 1).

1. Propositio, quæ asserit, *postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem, et quæ sunt basis Fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi:* Hæretica.

DE POTESTATE COMUNITANTI ECCLESIÆ ATTRIBUTA UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR (*Episc. convoc.*).

2. Propositio, quæ statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: Hæretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA (*Decr. de Fide* § 2).

3. Insuper, quæ statuit, *romanum Pontificem esse caput ministeriale;*

Sic explicita, ut romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat; qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ Caput, pollet in universa Ecclesia: Hæretica.

DE POTESTATE ECCLESIÆ QUOAD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM (*Decr. de Fide* §§ 13 et 14).

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis;*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda: Hæretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendent a persuasione;

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi;*

Ex Benedictio XIV, Brevi *Ad assiduas* 1755, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis Poloniæ inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.

JURA EPISCOPIS PRÆTER FAS ATTRIBUTA (*Decr. de Ord.* § 25).

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifces et Concilia generalia pro universa Ecclesia; schismatica, ad minus erronea.

7. Item in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem:* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium;*

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent: — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item quod et sibi persuasum esse ait, *jura Episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari nec impediri posse, et, ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ;*

In eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superioris potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ: — inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

JUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINÆ *(Epist. convoc.).*

9. Doctrina, quæ statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum;*

Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi arianæ a Calvino innovatæ.

Ex Epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex Orat. ad Synod. § 8, *ex sess.* III.

10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices Fidei, et simul innuitur judicium in causis Fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto; — falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.

Orat. ad Synod. § 8.

11. Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, *ut decreta aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a Synodo diœcesana;* — falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.

CALUMNIÆ ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI AB ALIQUOT SÆCULIS EMANATAS *(de Fide* § 12).

12. Assertiones Synodi complexive acceptæ circa decisiones in materia Fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati Fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia; — falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX *(Orat. ad Syn.* § 2).

13. Propositio relata inter acta Synodi, quæ innuit Clementem IX, pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti; — falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando; — temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et hæresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIÆ *(Append.* n. 28).

15. Doctrina, quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate; hæretica.

DE STATU INNOCENTIÆ
(de Grat. §§ 4, 7, *de Sacram. in gen.* § 1, *de Pœnit.* § 4.)

16. Doctrina Synodi de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam.

Quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium; — falsa, alias damnata in Bajo et Quesnellio, erronea, favens hæresi pelagianæ.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS
(de Bapt. § 2).

17. Propositio his verbis enuntiata: *edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis;*

Quatenus soli nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio;

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURÆ
(de Grat. § 10).

18. Doctrina Synodi enuntians, *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat;* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum;* ac primum

ut in statu naturæ *homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis;*

Doctrina, ut jacet, captiosa: atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur se se potuisse movere; suspecta, favens hæresi semipelagianæ.

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE *(ibid.)*.

19. Item, quæ subjungit, hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit:* superadditque, *legem si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris:*

Qua parte generaliter innuit, hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est;*

Ex s. Cæsario serm. 73, in append. s. Aug. serm. 273, edit. maurin.

Ex s. August. de Nat. et Grat. cap. 43. De Grat. et lib. Arb. cap. 16. Enarr. in psal. LVI, n. 1. Falsa scandalosa, impia, in Bajo damnata.

20. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis;*

Ex Concil. Araus. II, can. 3. Propositio ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi semipelagianæ.

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE *(de Grat.* § 11).

21. Propositio, quæ asserit, *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat, ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei.*

Quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creat in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi, ea gratia qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. VI, cap. 5); nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur; — falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA *(de Fide* § 1).

22. Propositio, quæ innuit, Fidem *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam* esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines fideles nominantur et sunt;

Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ, *ut prævenit voluntatem sic prævenit et Fidem;*

Ex s. August. de dono Persev. cap. 16, num. 41. Suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

DE DUPLICI AMORE *(de Grat.* § 8).

23. Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et caritatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere;

Quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati;

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Bajo damnatum art. 40 § 12.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum « remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiæ imaginis; »

Ex s. August. de Spir. et Lit. cap. 28.

Perinde ac si « inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et » dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur, non daretur dilectio humana li- » cita, quæ non reprehenditur; »

Ex s. August. serm. 349 de Carit., edit. maurin.; falsa, alias damnata.

DE TIMORE SERVILI *(de Pœnit.* § 3).

25. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet « dumtaxat non posse » dici malum, si saltem pertingit ad cohibendum malum; »

Quasi timor ipse gehennæ, quam Fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ: — falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, *opus esse*, juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, « ut intret timor » primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas. »

Ex s. August. in epist. Jo. cap. 4, tract. 9, num. 4, 5. In Jo. evang. tract. 41, num. 10. Enarr. in psal. CXXVII, num. 7. Serm. 157 de verbis Apostoli num. 13. Serm. 161 de verbis Apostoli num. 8. Serm. 349 de Caritate num. 7.

DE PŒNA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI *(de Bapt.* § 3).

26. Doctrina, quæ velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferiorem quem limbi puerorum nomine fideles passim designant, in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod, qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpæ et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur pelagiani;

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADJUNCTA CONDITIONE *(de Bapt.* § 12*)*.

27. Deliberatio Synodi, qua, prætextu adhæsionis ad antiquos canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione; — temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

DE PARTICIPATIONE VICTIMÆ IN SACRIFICIO MISSÆ *(de Euch.* § 6*)*.

28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit: « Victimæ participationem esse » partem sacrificio essentialem; *subjungit*, non tamen se damnare ut illicitas Missas » illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti parti- » cipant, licet minus perfecte, de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo; »

Quatenus insinuat, ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio quod peragatur sive nullo adstante sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de Victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet;

Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA *(de Euch.* § 2*)*.

29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens Fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur duobus his tantum propositis, 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere Transubstantiationis seu conversionis totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam velut articulum Fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni Fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtraitur tum articuli ad Fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica; — perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma Transubstantiationis, favens hæreticis.

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII *(de Euch.* § 8*)*.

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur « credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio » aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro » ipsis, dein continuo subjicit: Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacer- » dotis applicare fructus Sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut » magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, » et secundum mensuram quæ ipsi placet; unde et consequenter traducit velut » falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant » sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea » percipiant; »

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis

ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum;

Sess. XXIII, cap. 1 de Reform. Benedictus XIV, Constit. *Cum semper oblatas* § 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO *(de Euch. § 5)*.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere: — temeraria, perantiquo pio multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.

Ibid.

32. Item, præscriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ floresve apponantur; — temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

Ibid. § 6.

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, « revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo: »

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet; — temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

DE ORDINE PŒNITENTIÆ *(de Pœnit. § 7)*.

34. Declaratio Synodi, qua, postquam præmisit ordinem Pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se « in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt; »

Quasi per ordinem, quo, sine peracto canonicæ Pœnitentiæ cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta; — temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

De Pœnit. § 10, n. 4.

35. Propositio his verbis concepta: « Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen Pœnitentiæ, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet præcedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis; »

Quatenus innuit, pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem: — falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

DE PRÆVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS PŒNITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM *(de Grat.* § 15).

36. Doctrina Synodi, qua, postquam præmisit, « quando habebuntur signa non » æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari » dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sa» cramentis, *subdit,* supposititias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec ef» ficaces esse solere nec durabiles; *consequenter* pastorem animarum debere insi» stere signis non æquivocis caritatis dominantis antequam admittat suos pœnitentes » ad Sacramenta; *quæ signa, ut deinde tradit* (§ 17), pastor deducere poterit ex » stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis; *quem insuper* fervorem » caritatis *perhibet* (de Pœnit. § 10) *velut dispositionem quæ* debet præcedere » absolutionem; »

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur; — falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI *(de Pœnit.* § 10, n. 6).

37. Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, « post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quis» que judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii » sive jure quodam personali, » propterea quod « aliter confusio induceretur et » perturbatio; »

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo « conve» niens esse, ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super » subditos; » sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; — falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid. § 11.

38. Item doctrina, qua, postquam Synodus professa est « se non posse non » admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis quæ » (ut ait) « ad Pœ» nitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum pec» catum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, » *subjungit*, « per » timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam articulo mortis, ma» gnum frænum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus » illud timent; » Contraria can. 13 Concilii Nicæni I, decretali Innocentii I ad Exuperium Tolos., tum et decretali Cœlestini I ad Episcopos Viennen. et Narbonen. provinciæ, redolens pravitatem quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE *(de Pœnit.* § 12).

39. Declaratio Synodi in peccatorum venialium Confessione, quam optare se (ait) non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi Confessiones; — temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria.

DE INDULGENTIIS *(de Pœnit.* § 12).

40. Propositio asserens « indulgentiam secundum suam præcisam notionem » aliud non esse, quam remissionem partis ejus pœnitentiæ quæ per canones sta- » tuta erat peccanti; »

Quasi indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam; — falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.

41. Item, in eo quod subditur, « scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse » thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni » absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis me- » ritorum; »

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum; — falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulis 17 Lutheri damnata. *Ibid.*

42. Item, in eo quod superaddit, « luctuosius adhuc esse quod chimærica ista » applicatio transferri volita sit in defunctos; » — falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri. *Ibid.*

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.; — temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim totæ Ecclesiæ frequentatam contumeliosa. *Ibid.*

DE RESERVATIONE CASUUM *(de Pœnit.* § 19).

44. Propositio Synodi asserens, « reservationem casuum nunc temporis aliud » non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu » vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem; » — falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva. *Ibid.*

45. Item, de spe quam ostendit fore « ut reformato Rituali et ordine Pœnitenti » nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes; »

Prout, attenta generalitate verborum, innuit, per reformationem Ritualis et ordinis Pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. XIV, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare; — propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

DE CENSURIS *(de Pœnit.* §§ 20, 22).

46. Propositio asserens, « effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat » esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ec- » clesiæ : »

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans; ex s. August. epist. 250, *Auxilio Episcopo*. Tract. 50 in Jo. num. 12. Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§ 21, 23.

47. Item, quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu; — falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

§ 22.

48. Item, quæ pronuntiat « inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc » sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis » incidere potuisset; » — falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

§ 24.

49. Item, quæ damnat ut nullas et invalidas « suspensiones ex informata con- » scientia; » — falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.

50. Item, in eo quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. XIV, c. 1 de Reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ; jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva. *Ibid.*

DE ORDINE *(de Ord.* § 4).

51. Doctrina Synodi, quæ perhibet, in promovendis ad Ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, « ut si quis clericorum » distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad Ordines sacros » ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium, etiamsi » inferiores Ordines non suscepisset; neque tunc talis ordinatio dicebatur per sal- » tum, ut postea dictum est. »

§ 5.

52. Item quæ innuit non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcedonensi; *subjungens* (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§ 7.

53. Item, quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, *ut ait* (§ 3), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta.

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt;

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit:

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent;

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam injuriosa.

§ 13.

54. Item, quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ,* et generatim quodcunque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, qui secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur; — falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

§ 14.

55. Item, quæ vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutili cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio) ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, veluti Acolythi, etc., ut olim, *inquit*, fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur ut « minorum ordinum functiones » per eos tantum præstentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt » (Concil. prov. IV Mediol.); idque ad mentem Tridentini (sess. XXIII, c. 17), « ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ » juxta sacros canones revocentur, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur. »

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

§ 18.

56. Doctrina, quæ statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem;

Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.

Ibid. § 22.

57. Præscriptio Synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcunque dispensationem, ut plusquam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; item, in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse; — pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini; sess. VII, c. 5, et sess. XXIV, c. 17.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO
(Libell. memorial. circa sponsalia § 2).

58. Propositio, quæ statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ; — falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum *sanctionum* profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

De Matrim. §§ 7, 11, 12.

59. Doctrina Synodi asserens, « ad supremam civilem potestatem dumtaxat « originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, » quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia: *quod* jus originarium *præ-* » *terea dicitur cum* jure dispensandi essentialiter connexum; *subjungens,* supposito » assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedi- » menta dirimentia ipsum contractum Matrimonii; »

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; — Canonum 3, 4, 9, 12, sess. XXIV, Concilii Tridentini eversiva, hæretica.

Cit. libell. memorial. circa sponsalia § 10.

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut « e numero impedimentorum » tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quo- » rum origo reperitur in collectione Justiniani; *tum ut* restringat impedimentum » affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita conjunctione prove- » nientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem » et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ; »

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis; — libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

DE OFFICIIS, EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI *(de Fide* § 3).

61. Propositio, quæ asserit, « adorare directe humanitatem Christi, magis vero » aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ; »

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur;

Ex Concil. CP. V gen. can. 9. — Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.

De Orat. § 10.

62. Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata; falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.

De Orat. § 10 *et append. n.* 32.

63. Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a Divinitate adorari non posse cultu latriæ;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro; — captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

DE ORDINE PRÆSCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS *(de Orat.* § 14 *et append.* n. 34).

64. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat « quamcunque efficaciam, » quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum; »

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo; — falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

De Pœnit. § 10.

65. Propositio enuntians, « irregularem strepitum novarum institutionum, quæ » dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis » actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis » fulgura; » — temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

DE MODO JUNGENDÆ VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIÆ IN PRECIBUS PUBLICIS.

66. Propositio asserens, « fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi « populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ec- » clesiæ; »

Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ; — falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ *(ex nota in fine decr. de Grat.)*

67. Doctrina perhibens, a lectione sacrarum Scripturarum « nonnisi veram im- » potentiam excusare; » *subjungens,* ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis; — falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS *(de Orat. § 29).*

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta; eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis Religionis principiis referta in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegant; — falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.

DE SACRIS IMAGINIBUS *(de Orat. § 17).*

69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis;

Propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ;

Ex brevi *Sollicitudini nostræ* Benedicti XIV, anni 1745.

70. Item, doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere; — temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosa, quo « ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult. » Ex s. August. epist. 78, clero, senioribus et universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis.

71. Item, quæ vetat ne imagines præsertim beatæ Virginis ullis titulis distinguantur, præterquam denominationibus quæ sint analogæ mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat; — temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi beatæ præsertim Virgini debitæ injuriosa.

72. Item, quæ velut abusum, extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines; — temeraria, frequentato in Ecclesia et fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE FESTIS *(Libell. memorial. pro Fest. reform. § 3).*

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earundem solemnitatum originem duxisse; — falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. § 8.

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro jure quod persuasum sibi esse *ait*, Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnunc id præceptum; tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis;

Quatenus adstruit, Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis, aut inductum Missæ audiendæ præceptum abrogare; — propositio falsa, juris Conciliorum generalium et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

DE JURAMENTIS *(Libell. memor. pro jur. reform.* § 5).

75. Doctrina, quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini præceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut « ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatum fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus; *insuper* continuatam » Patrum seriem demonstrare, juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse ; » indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ *feudalis* (ut ait) normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque, adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali; — falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS *(de Coll. eccl.* § 1).

76. Insectatio, qua Synodus scholasticam exagitat, velut eam, « quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum; »

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt; — falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.

77. Item, in eo quod subdit, « mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua » factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ » simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret » primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis; » *Ibid.*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis; — propositio falsa, temeraria, erronea.

§ 4.

78. Præscriptio Synodi de ordine rerum tranctandarum in collationibus, qua, posteaquam præmisit, « in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad » fidem et ad essentiam Religionis ab eo quod est proprium disciplinæ, *subjungit,* » in hac ipsa *(disciplina)* distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum; »

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam; quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum; — falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac spiritui Dei, quo ipsa regitur injuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIENAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS USQUE ADHUC AGITATAS *(Orat. ad Syn.* § 2).

79. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit; — falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS PRO REFORMATIONE REGULARIUM *(Libell. memorial. pro reform. Regul.* § 9).

80. Regula I, quæ statuit universe et indiscriminatim, « Statum regularem aut » monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitæ » pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin » ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis; » — falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio vetusto probato Ecclesiæ mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria. « Quasi monachi, quos morum » gravitas et vitæ ac Fidei institutio sancta commendat, » non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ *clericorum officiis aggregentur.*

Ex s. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

81. Item, in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset; — scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, « Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre » perturbationem et confusionem; *item in eo quod præmittit* (§ 4), regularium fun» datores, *qui post monastica instituta prodierunt,* ordines superaddentes ordinibus, » reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam » magis magisque dilatare; »

Intellecta de ordinibus et institutis a sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat; — falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.

83. Regula III, qua, postquam præmisit, « parvum corpus degens intra civilem » societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit, in Statu, » semper esse periculosum, » subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite, consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias; — falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA AB ALLATIS REGULIS ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA PRO REFORMATIONE REGULARIUM (§ 10).

84. Art. I. « De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda » præ cæteris regula sancti Benedicti, tum ob sui præstantiam, tum ob præclara » illius ordinis merita; sic tamen, ut, in his quæ forte occurrent temporum con» ditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat » ad explorandum, quid addere quid detrahere conveniat; »

II. « Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxe» rint: nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus vel » duo, initiandi tanquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici lai» corum ordine remanentibus; »

III. « Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque » extra mœnia civitatis in locis abditioribus collocandum; »

IV. « Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate » servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam (si » cui libuerit) literarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus » prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem; pro plus auctæ sunt » psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore » imminutus fervor est, sanctitasque regularium; »

V. « Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministe- » riis addictos; inæqualitas istæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac di- » scordias, et a communitatibus regularium spiritum caritatis expulit; »

VI. « Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant ve- » teres monachi, qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum exti- » terunt; vota castitatis, paupertatis et obedientiæ non admittentur instar com- » munis et stabilis regulæ: si quis ea vota aut omnia aliqua facere voluerit, » consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut » perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea reno- » vandi sub iisdem conditionibus; »

VII. « Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, pro- » gressum in pietate, ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere semper » accepto contubernalium consilio. »

VIII. « Regulares ordinum qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc mo- » nasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctifi- » cationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula » num. II statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, » adeo ut non plus quam una aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, sa- » tisque cæteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare. »

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM (§ 11).

« Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda, moniales solidis » exercitationibus, speciatim labori, addicendæ; a carnali spiritualitate, qua ple- » ræque distinentur, avocandæ; expendendum utrum quod ad ipsas attinet, satius » foret monasterium in civitate relinqui. »

Systema vigentis atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum etiam generalium tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO
(Lib. memor. pro conv. Conc. nation. § 1).

85. Propositio enuntians, qualemcunque cognitionem ecclesiasticæ historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat, convocationem Concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiæ ad Fidem et mores spectantes in Ecclesia quacunque subortæ per nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant; quasi inerrantia in Fidei et morum quæstionibus nationali Concilio competeret: — schismatica, hæretica.

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus christifidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, prædicare præsumant, contra quam in hac nostra Constitutione declaratur: ita ut quicumque illas vel earum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto absque alia declaratione subjaceat. Cæterum, per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus: cum præsertim in eo complures deprehensæ fuerint propositiones et doctrinæ sive illis quæ supra damnatæ sunt affines, sive quæ communis ac probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in romanos Pontifices et apostolicam Sedem animum præseferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio § 2 decreti de Fide si non pravo animo, imprudentius certe Synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum, posteaquam rite præmisit Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianæ doctrinæ institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam Fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum: quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlis et e nube delapsa, tum formula Baptismi a Christo præscripta, tum et præclara illa confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset quod, edoctus ab Augustino, Angelicus præceptor (1, p. q. 34, art. 2, ad 3) vicissim ipse docuit, « in nomine Verbi eamdem proprietatem importari quæ » in nomine Filii, » dicente nimirum Augustino *(de Trinit.*, lib. VII, cap. 2): « Eo » dicitur Verbum, quo Filius. »

Neque silentio prætereunda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682 ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de Fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et, quæ sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de Synodo, quam prædecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quam dignam Synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaret errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem, quæ acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, prædecessor noster venerabilis Innocentius XI, per literas in forma Brevis die 11 apr. anni 1682, post autem expressius Alexander VIII, Constitutione *Inter multiplices*, die 4 augusti anni 1690, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam, ac præsertim (post edita prædecessorum nostrorum decreta) huic apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso decreto de Fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI

judicium detulerunt, tum et alios duodecim a Cardinali de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultrajectensi Concilio vanum vetusque commentum exsuscitare temereque his verbis jactare in vulgum, nempe universæ Europæ notissimum esse, eos articulos Romæ severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertæ commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis quæ in nostræ supremæ Inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparent nullum super iis prolatum fuisse judicium.

Hisce propterea de causis, librum hunc ipsum, cui titulus: *Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoja dell' anno MDCCLXXXVI, in Pistoja, per Atto Bracali, stampatore vescovile con approvazione*, sive præmisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque et quocumque idiomate, quavis editione aut versione hactenus impressum aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore præsentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in ejus sive ejus doctrinæ defensionem tam scripto quam typis forsan jam editos seu (quod Deus avertat) edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus et singulis christifidelibus, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendæ, prohibemus pariter et interdicimus, etc. (v. Gerdil, *Opera*, t. IV: Guasco, *Dizionario Ricciano ed Ante-Ricciano;* Torricelli, *Dissertazioni*, t. VIII; Anfossi, *Difesa della bolla* Auctorem fidei *etc.).*

---

961. *Syllabus* complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in Allocutionibus concistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis Literis Papæ Pii IX (8 *dec.* 1864).

§ 1. — Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii anno 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscunque generis veritatum assequi possit ac debeat. Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; Epist. Encycl. *Singulari quidem,* 17 martii 1856; Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat. Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846; Alloc. *Maxima,* 9 junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio, non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni. Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846; Alloc. *Maxima*, 9 junii 1862.

VII. Prophetiæ et miracula, in sacris Literis exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa, ipseque Jesus Christus est mythica fictio. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846; Alloc. *Maxima,* 9 junii 1862.

§ 2. — Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, iccirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt. Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ: et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862; Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati. Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862; Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

XII. Apostolicæ Sedis romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt. Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt. Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 31 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione. Epist. ad archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

NB. Cum rationalismi systemate cohærent per maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 junii 1847; et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 aprilis 1860.

§ 3. — Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851; Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt. Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846: Alloc. *Ubi primum*, 17 decembris 1847; Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854; Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est. Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849.

§ 4. — Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 dec. 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur mœrore*, 10 augusti 1863.

§ 5. — Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat. Alloc. *Singulari quadam*, 9 dec. 1854; Alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860; Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu. Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 sept. 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem. Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

XXII. Obligatio, quo catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt. Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

XXV. Præter potestatem Episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi. Alloc. *Nunquam*, 15 decembris 1856; Encycl. *Incredibili*, 17 sept. 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiæ ministri romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi. Alloc. *Maxima quidem*. 9 junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas Literas promulgare. Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ. Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante apostolica Sede. Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; Alloc. *Nunquam*, 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis nobisque*, 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere Theologicarum rerum doctrinam. Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 dec. 1863.

XXXIV. Doctrinam comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa Ecclesia, doctrina est, quæ medio ævo prævaluit. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum a Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest. Lit. apost. *Ad Apostolicæ,* 22 aug. 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ. Alloc. *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860; Alloc. *Jamdudum,* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisionis Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

§ 6. — Errores de Societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicæ Status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

XL. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur. Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846; Alloc. *Quibus quantisque,* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati, vel ab infedeli imperante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *Exequatur;* sed etiam jus *Appellationis*, quam nuncupant *ab Abusu*. Lit. apost. *Ad Apostolicæ,* 22 aug. 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalet. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata)* super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante. Alloc. *In Concistoriali*, 1 nov. 1850; Alloc. *Multi*, 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. Alloc. *In Concistoriali,* 1 nov. 1850; Alloc. *Maxima*, 9 junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicunque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu, aut approbatione magistrorum. Alloc. *In Concistoriali,* 1 novembris 1850; Alloc. *Quibus luctuosissimis,* 5 septembris 1851.

XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate moderatrice, vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætati opinionum amussim. Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat natu-

ralium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet. Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 julii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas Literas accipiant. Alloc. *Nunquam fore,* 15 dec. 1856.

LI. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem. Lit. apost. *Multiplices inter,* 10 junii 1851; Alloc. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant. Alloc. *Nunquam fore,* 15 dec. 1856.

LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent, imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et Beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare. Alloc. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852; Alloc. *Probe memineritis*, 22 januarii 1855; Alloc. *Cum sæpe,* 26 julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ. Lit. apost. *Multiplices inter,* 10 junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus est. Alloc. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852.

§ 7. — Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges et naturæ jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862; Epist. Encycl. *Quanto conficiamur,* 10 augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est, nisi numeri et materialium virium summa. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert. Alloc. *Jamdudum cernimus,* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium, quod vocant *de non interventu*. Alloc. *Novos et ante,* 28 sept. 1860.

LXIII. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; Alloc. *Quisque vestrum*, 2 oct. 1847; Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849; Lit. apost. *Cum catholica*, 26 martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur. Alloc. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849.

§ 8. — Errores de Matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum erexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabili, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851; Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonia dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio; sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXXII. Bonifacium VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus assuerit. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851; Lettera di Pio IX al re di Sardegna, 9 sept. 1852; Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civilem pertinent. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851; Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; posterior in Lit. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

§ 9. — Errores de civili Romani Pontificis Principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii. Lit. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

NB. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite repro-

bantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debent, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849; *Si semper antea,* 20 maji 1850; in Lit. apost. *Cum catholicæ Ecclesiæ*, 26 martii 1860; in Alloc. *Novos*, 28 sept. 1860; *Jamdudum,* 18 martii 1861; *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

§ 10. — **Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.**

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscunque cultibus exclusis. Alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. Alloc. *Acerbissimum,* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam. Alloc. *Nunquam fore,* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. Alloc. *Jamdudum cernimus,* 18 martii 1861.

Vide Berlinghieri, *Le ottanta eresie del nostro secolo condannate dalla S. Romana Chiesa quali si leggono nel Sillabo messe all'intelligenza di tutti;* Firenze, 1876. Falconi, *Il Sillabo pontificio, ossia Confutazione degli errori da esso condannati;* Roma. Doupanloup, *La Convenzione del* 15 *settembre e l' Enciclica dell'* 8 *dicembre* 1864, par. 2a. *Il babáo, o lo spauracchio dei liberali dato in mano al popolo;* Savona, 1879. Item Viccari, Dechiara, Sordi, Keller, Arnaldi, Moglia, etc.

---

962. *Propositiones a Pio IX damnatæ in Encyclica.* Quanta cura, 8 *dec.* 1864.

1) Optima societatis publicæ ratio civilisque progressus omnino requiret, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habitu ad religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2) Optima est conditio societatis in qua ab Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3) Libertas conscientiæ et cultum est proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recta constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.

4) Voluntas populi, publica quam dicunt opinione vel alia ratione manifestata, constituit supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata eo ipso quod consummata sunt, vim juris habent.

5) Auferenda est civibus et Ecclesiæ facultas qua eleemosynas christianæ caritatis causa palam erogare valeant.

6) De medio tollenda est lex qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur.

7) Societas domestica, seu familia totam suæ existentiæ rationem a jure dum-

taxat civili mutuatur; proindeque ex lege tantum civili dimanant ac pendent jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandæ.

8) Clerus utpote vero utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicus, ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio est amovendus.

9) Ecclesiæ leges non obligant in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate.

10) Acta et Decreta RR. Pontificum ad religionem et ecclesiam spectantia indigent sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis.

11) Constitutiones apostolicæ quibus damnantur clandestinæ societates sive in eis exigatur sive non, juramentum de secreto servando earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habent vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio.

12) Excommunicationes a Tridentino et Pontificibus latæ in eos qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, nituntur confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum.

13) Ecclesia nihil debet decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium.

14) Ecclesiæ jus non competit violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi.

15) Conforme est sacræ Theologiæ jurisque publici principiis bonorum proprietatem quæ ab ecclesiis et familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

16) Ecclesiastica potestas non est jure divino distincta et independens a potestate civili, neque ejusmodi distinctio et independentia servari potest quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.

17) Illis apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, potest assensus et obedientia detrectari absque peccato et absque ulla catholicæ professionis jactura.

---

963. *Errores contra fidem per* 130 *canones dogmaticos a Generali Concilio Tridentino damnati.*

I. *De peccato originali* (sess. v).

1. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque, per offensam prevaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam ante illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli: totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

2. Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit; cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

3. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remeatum asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio, aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Ba-

ptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit: quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, unde illa vox: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Et illa: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.*

4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit, propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut eis in regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

5. Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram, et propriam peccati rationem habet; sed illum dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit: *in renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum; qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, et sentit: quæ cum ad agonem relicta sit nocere non consentientibus, et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari quod vere, et proprie renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

II. *De Justificatione* (sess. VI).

1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.

2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, et difficulter possit, anathema sit.

3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.

5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

6. Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

7. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.

8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.

9. Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperatur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.

10. Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quem nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.

11. Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

12. Si quis dixerit, fidem justificatam nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.

13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, et dispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.

14. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod se absolvi, justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum: et hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici, anathema sit.

15. Si quis dixerit, hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.

16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, et infallibile certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit.

17. Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.

18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

19. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

20. Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum quasi vero Evangelium sit nuda, et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.

21. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.

22. Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.

23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.

24. Si quis, dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.

25. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit,

aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.

26. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, et spectare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverit, anathema sit.

27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio, quamtumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

28. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, anathema sit.

29. Si quis dixerit eum, qui post Baptismum lapsus est non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino, et ejus Apostolis edocta hucusque professa est, servavit et docuit, anathema sit.

30. Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

32. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.

33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de justificatione a sancta Synodo hoc præsenti Decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari, anathema sit.

III. *De Sacramentis in genere* (sess. VI).

1. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam-unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.

2. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cærimoniæ sunt aliæ et alii ritus externi, anathema sit.

3. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

4. Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

5. Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

6. Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

7. Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.

8. Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequandam sufficere, anathema sit.

9. Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile unde ea iterari non possunt, anathema sit.

10. Si quis dixerit christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

11. Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

12. Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.

13. Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministro pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

IV. *De Baptismo* (sess. VI).

1. Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.

2. Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

3. Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam, anathema sit.

4. Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

5. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.

6. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere quantumcunque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

7. Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.

8. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.

9. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo, anathema sit.

10. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, et fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

11. Si quis dixerit, verum, et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.

12. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

13. Si quis dixerit parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, quum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

14. Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, quum adoleverint interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine dum baptizarentur polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia

interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipicant, anathema sit.

V. *De Confirmatione* (sess. VII).

1. Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

2. Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacræ Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

3. Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.

VI. *De Eucaristiæ sacramento* (sess. XIII).

1. Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus, et Sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, et vini, una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; manentibus dumtaxat speciebus panis et vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.

3. Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.

4. Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.

5. Si quis dixerit, vel præcipuum fructuum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem, et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.

8. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter, anathema sit.

9. Si quis negaverit omnes, et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

10. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti, seipsum communicare, anathema sit.

11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel

pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

VII. *De Pœnitentia* (sess. XIV)

1. Si quis dixerit, in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

2. Si quis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.

4. Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

5. Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum, illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium, anathema sit.

6. Si qnis negaverit, Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.

7. Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino, confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

8. Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christifideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno; et ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ: anathema sit.

9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit; anathema sit.

10. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere, aut, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christifidelibus esse dictum: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo:* et, *Quæcunque solveritis super terram, erunt*

soluta et in cœlo: et, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* et, *Quorum retinueritis, retenta sunt;* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit: secreta vero per spontaneam confusionem, anathema sit.

11. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.

12. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

13. Si quis dixerit, pro peccatis, quo ad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

14. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

15. Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute Clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.

VIII. *De Extrema-Unctione* (sess. XIV).

1. Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

2. Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

3. Si quis dixerit, Extremæ-Unctionis ritum, et usum quem observat sancta Romana Ecclesia repugnare sententiæ beati Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

4. Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

IX. *De Communione sub utraque specie et parvulorum* (sess. XXI).

1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit.

2. Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

3. Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur, anathema sit.

4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem; anathema sit.

X. *De Sacrificio Missæ* (sess. XXII).

1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

2. Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, et non ordinasse, uti ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum, anathema sit.

3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis pro peccati pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ sacrificium; aut illi per hoc derogari, anathema sit.

5. Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinendum, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.

6. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere: ideoque abrogandum esse, anathema sit.

7. Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.

8. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

9. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

XI. *De sacramento Ordinis* (sess. XXIII).

1. Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

2. Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores; per quos, velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.

3. Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum, anathema sit.

4. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipe Spiritum Sanctum;* aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

5. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione, utitur non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis cæremonias, anathema sit.

6. Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, Ministris, anathema sit.

7. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit.

8. Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

XII. *De sacramento Matrimonii* (sess. XXIV).

1. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.

2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.

3. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.

4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

5. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.

6. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

8. Si quis dixerit. Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

9. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum: anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.

10. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.

11. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

12. Si quis dixerit, causas matrimoniales, non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit. »

Hic duo adde ex eodem Concilio:

» 1. Si quis docere, prædicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, non esse necessario præmittendam Confessionem sacramentalem ad sumendam Communionem ab eo quem conscientia peccati mortalis gravat si se contritum existimet, eo ipso excommunicatus existat (*sess.* XIII *de Euch.* c. 11).

2. Dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui vera ac rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse (*sess.* XXIV *de ref. Matrim.* c. 1). » V. *Scavini*, l. IV, n. 85: *Brevis Synopsis Tridentini.*

964. *Errores contra fidem in Vaticano Concilio damnati.*

Vaticanum Concilium. Quatuor in eo habitæ fuerunt sessiones: in prima Pius Pp. IX Allocutione *Quod votis omnibus* Concilium 8 dec. 1869 aperuit. In secunda sessione habita 9 jan. 1870 ab omnibus Patribus emissa fuit Fidei professio fide juxta formulam a Pio IV præscriptam.

In sessione tertia 24 apr. edita fuit prima Constitutio Dogmatica *Dei Filius* de fide catholica; et plures editi canones, nempe:

I. *De Deo rerum omnium Creatore:*

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit.

2. Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit, anathema sit.

3. Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, anathema sit.

4. Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales e divina substantia emanasse; Aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; Aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem, anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum resque omnes quæ in ea continentur et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; Aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum; Aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit.

II. *De Revelatione:*

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum Nostrum per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit.

2. Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quæ naturalem superat, divinitus evehi non posse; sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit.

4. Si quis S. Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illa sancta Tridentina Synodus recensuit pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.

III. *De Fide:*

1. Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, anathema sit.

2. Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, anathema sit.

3. Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes etiam in S. Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certe cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari, anathema sit.

5. Si quis dixerit assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam quæ per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, anathema sit.

6. Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu snspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint, anathema sit.

IV. *De Fide et Ratione*:

1. Si quis dixerit in revelatione divina nulla vere et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit.

2. Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint, anathema sit.

3. Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, anathema sit.

Tandem in sessione quarta publicata fuit Constitutio dogmatica: *Pastor æternus* 18 julii 1870 de Primatu et *infallibili magisterio* Romani Pontificis; et editi fuerunt sequentes canones:

1. « Si quis dixerit beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile Caput; vel eundem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino N. J. C. directe et immediate accepisse, anathema sit.

2. Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, anathema sit. »

3. Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit. »

4. « . . . . Nos traditioni a Fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris Nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem cum ex Cathedra loquitur, id est cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea *infallibilitate* pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam sua in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi R. Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere (quod Deus avertat) præsumpserit, anathema sit. » (V. Denaro, *I canoni del Concilio Vaticano accuratamente tradotti e spiegati*. Berardinelli, *Questioni politiche importanti*. Itemque Card. Manning, *L'istoria vera del Concilio Vaticano*. Card. Parocchi, *Commentarius in sacrosanctum œcumenicum Concilium Vaticanum*. Item Patriarcha Ballerini, et Episcopus Ferrè).

965. Nota 1. « Da questa definizione risulta: 1) Che il Papa non è infallibile in quanto egli è uomo, andando perciò soggetto alle umane infermità al pari degli altri uomini. 2) Non è infallibile come monarca; egli sarà più o meno oculato o provvido secondo che avrà maggiore o minore attitudine al governo; e potrà quindi

cadere in que' mancamenti ed errori in cui cadono gli altri monarchi. 3) Non è infallibile neppur come scrittore e dottore privato; gli scritti di lui in qualunque materia non hanno altra autorità che quella che hanno tutti gli altri scrittori, a seconda delle ragioni, che adducono, delle autorità che allegano, ecc.

» Ma il Papa godrà il privilegio dell'infallibilità personale solo nel caso in cui come Pontefice e Dottore di tutti i Cristiani ammaestra la Chiesa di cose che appartengono alla *fede* o *costumi*. Allora egli parla come suol dirsi *ex cathedra*, cioè qual maestro universale; allora egli entra in tutti i privilegi del suo officio, e quindi gode quell'assistenza che gli fu promessa da G. C. » *Le 80 eresie del nostro secolo condannate dalla S. Romana Chiesa* (1).

Nota II. De *opportunitate* hujus definitionis v. Scavini l. I, n. 313. Ad rem nostram nuper quidem ajebat de secta anglicana: « Quando i cattolici che da 18 secoli avevan riconosciuto il Papa come dottore *infallibile*, appresero che questo riconoscimento era un dogma, non ne furono punto maravigliati; il dogma era digià nel loro cuore come nella loro ragione; essi ne furono consolati. Nel dominio dei misteri e del soprannaturale la fede non può fortificarsi che colla fede. La definizione dei dogmi è dunque per la Chiesa cattolica una legge d'una eterna opportunità. » *(Emp. popol.* 1876, n. 335). V. Card. Manning, *Tradizione della Chiesa intorno la infallibilità del R. Pontefice.* Liberatore, *Spicilegio*, t. I.

Et Pius IX ad Germaniæ Episcopum contra nonnullos sacerdotes qui hanc definitionem ultro acceptantes, attamen adhuc uti inopportunam traducebant, pronuntiat: « Ma è più assurdo ancora accettare la definizione e persistere, ciononostante, a tenerla per *inopportuna*. Ed invero, le vicissitudini dell'epoca nostra, gli errori antichi che si fanno rivivere in copia grande e gli errori nuovi che l'inferno vomita tutti i giorni per abbattere la Chiesa, la libertà che venne tolta al Vicario di Gesù Cristo, la facoltà rapita ai vescovi non solo di radunarsi ma anche d'insegnare; tutto ciò attesta con quanta opportunità la divina Provvidenza abbia permesso che la definizione dell'infallibilità pontificia fosse proclamata, allora appunto quando la regola retta e sicura delle credenze e della condotta stava per trovarsi priva di ogni altro sostegno, in mezzo a multiformi difficoltà. Ma anche messe in disparte simili considerazioni, basterà sempre il sapersi che le definizioni dei Concilj ecumenici sono infallibili per ciò solo che provengono dalla sapienza e dal consiglio dello Spirito Santo, per ritenere assurda la supposizione che lo Spirito Santo insegni per certo delle cose vere, ma ch'egli possa anche insegnarle inopportunamente. » *(Univers.)*

APPENDIX III.

965. Propositiones de philosophia emendatæ a S. Congregatione Indicis.

1. « Haud posse nos in cognitionem cujusvis externæ metaphysicæ veritatis venire (nempe quæ respiciat ea quæ sub sensus nostros non cadunt) absque alterius instructione, ac in ultima analysi absque divina revelatione. *Porro hæc doctrina admitti nequit, quia sicut veritates internæ et mathematicæ cognosci possunt ope ratiocinii, ut ipsemet auctor fatetur, ita saltem possibile est veritates externas assequi, quotiescunque cum internis connectuntur, aut cum ipsæ internæ consistere nequeant non supposita aliqua veritate externa.*

(1) Il primitivo suo titolo: *De Romani Pontificis Infallibilitate*, fu cambiato in questo *De Romani Pontificis Infallibili Magisterio*. Questa modificazione non venne fatta unicamente in vista di una maggiore esattezza: ma ancora affinchè il titolo medesimo del decreto escludesse a primo aspetto la finzione di una infallibilità *personale* » (Manning, *L'istoria vera del Concilio Vaticano*, n. V).

2. » Veritates externas metaphysicas demonstrari proprie non posse. *Jamvero veritates externæ quandoque cum internis necessario copulantur, tanquam effectu cum causa, et ideo per hanc connexionem demonstrari possunt eo genere argumenti quod* a posteriori *vocatur, cujus certitudo non minor illa est quæ per demonstrationem* a priori *obtinetur.*

3. » Dei existentiam minime demonstrari posse; Deum existere demonstrari posse negamus. *Quæ importuna doctrina ultro fluit ex opinionibus jam indicatis ipsius auctoris.*

4. » Probationes existentiæ Dei reduci ad quandam fidem, aut fundari in hac fide, qua nos tam videmus quam credimus, seu naturaliter persuasum nobis est, ideam hanc esse fidelem, id quod evidentia mere interna cernere non possumus. *Quæ verba significare videntur potius credi quam demonstrari Dei existentiam; quod quidem a vero omnino distat.*

5. » Auctor omnes probationes veritatum externarum metaphysicarum reducit ad sensum communem. *Quæ doctrina admitti nequit, eo quod aliquæ veritates externæ demonstrantur* a posteriori *per veritates internas, absque ulla relatione ad sensum communem. Ita habentes conscientiam nostræ existentiæ directe inferimus existere causam, quæ nobis existentiam contulerit; seu ab una veritate interna deducimus aliam veritatem externam absque interventu sensus communis.* S. C. Indicis die 3 junii anno 1843. »

---

966. *Theses S. Congregationis Indicis a Pio IX approbatæ* 15 junii 1855.

1. « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissentio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, quum ambæ ad uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo Optimo Maximo oriantur; atque ita sibi mutuam opem ferant *(Encycl. Pii Pp. IX*, 9 nov. 1846).

2. » Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione; proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit.

3. » Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.

4. » Methodus, qua usi sunt d. Thomas, d. Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverit. » *(Acta S. Sedis*, t. III.)

APPENDIX IV

967. Propositio Ontologistarum, quam Congregatio S. Officii 18 sept. 1861 tuto tradi non posse decrevit.

Naturalis est homini cognitio Dei directa et immediata. Hæc propositio opponitur catholicæ veritati, qua credimus visionem Dei intuitivam qua Beati perfruuntur, esse supernaturalem. Quid enim sibi vult cognitio immediata alicujus rei? cognitio immediata distinguitur a cognitione mediata in eo quod cognitio immediata ea est, per quam res cognoscitur et videtur in se ipsa; mediata

vero ea est, per quam res cognoscitur et videtur in alio, seu in alio medio. Porro immediata Dei visio naturaliter repugnat cuicumque intellectui creato, et multo magis homini in statu viæ: *Nos*, ait Angelicus, *aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus; naturalis ratio non cognoscit Deum, nisi ex creaturis.*

Confirmatur a Concilio generali Viennense 1300 damnante Beguardos qui dicebant: *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum.* Quo præmisso sic argumentandum videtur: Certe *lumine gloriæ* non amplius indiget humanus intellectus ut ad Dei visionem perveniat, si visio Dei est ipsi naturalis. Imo ontologismus viam sternit rationalismo, pantheismo, eccletticismo: hisce porro aliisque rationibus permoti, ut a Vaticano Concilio hic perniciosus error qui late vagatur et quo incauti sæpe decipiuntur, solemniter damnaretur, postulatum ediderunt Eminentissimi Cardinales Riario Sforza Arch. Neapolitanus et Joachim Pecci Episcopus Perusinus, nunc summa omnium gratulatione et plausu in sublimem Principis Apostolorum Cathedram evectus (v. Episc. Martin, *Omnium Concilii Vaticani quæ ad doctrinam et disciplinam pertinent, documentorum collectio;* Pederbornæ, 1873).

Sed hic notanda sunt omnes propositiones quæ *ontologismum* tuentur:

« I. *Prop.* Immediata Dei cognitio habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit; siquidem est ipsum lumen intellectuale.

II. *Prop.* Esse illud quod in omnibus sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.

III. *Prop.* Universalia a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur.

IV. *Prop.* Congenita Dei, tanquam entis simpliciter, notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habemus.

V. *Prop.* Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur.

VI. *Prop.* Res creatæ sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

VII. *Prop.* Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura, homine v. g., creaturam producit. »

A S. Romana et Universali Congregatione postulatum est, utrum dictæ propositiones tuto tradi possint; die 18 sept. 1861 responsum fuit: *Negative.* Vid. *Institutiones philosophiæ speculativæ ad mentem s. Thomæ Aquinatis, auctore J. M. Cornoldi, in latinum versæ ab Excell. et Rev.° Dominico Agostini Venetiarum Patriarcha;* Bononiæ, 1878.

APPENDIX V.

968. Horrifico Pestis et Choleræ morbo grassante, cura et industria.

Morborum indoles ac natura. Per *epidemiam* intelligimus morbum qui in multos simultanee irrumpit, sed non facile per contactum diffunditur. Per *contagium* vero intelligimus morbum qui facile in pluribus diffunditur sive per contactum vel corporum morbo laborantium vel indumentorum, aliarumque rerum quibus infecti usi sunt, sive per inspiratum corruptum aerem a morbo laborantibus expiratum quasi venenum quod diffunditur. *Pestis* autem *(peste bubbonica, febbre gialla,* etc.) est morbus qui non solum perniciosiores proprietates complectitur tum

epidemiæ tum contagii, sed etiam fere omnes qui ea laborant ad interitum ducit. *Cholera* ab Asia transfretavit in Europam anno 1829; communius opinantur, illum contagiosum esse, sed de facili evadere contagiosum-epidemicum.

« Quello che si è osservato, e di cui non può aversi più alcun dubbio si è che le malattie epidemiche e contagiose (huc revocari possunt *il tifo petecchiale, il vajuolo nero, lo scorbuto, la difterite)* se non s' ingenerano o per effetto di sucidume in cui si tengono le città, le abitazioni e le persone stesse che le abitano; o per l' inedia od uso di cattivo cibo, come accade in occasione di carestia; o di troppo intenso calore, come in certe stagioni estive; o di esalazioni putride e infette; o di corruttela di costumi; o di corrompimento dell' aria racchiusa in piccolo spazio e dove sono molte persone a dimorarvi, siccome accade nelle carceri, ospedali, quartieri di soldati, navi, ecc.; queste tali cagioni, dico se non sono sufficienti per sè sole a produrre il germe contagioso od epidemico, servono però mirabilmente a predisporre gli individui ad incorrere nei mali di cui parliamo, ed a fomentare e far accrescere di forza ciascuno di questi rendendoli di più viemmaggiormente comunicabili e diffusivi. » *Antonacci.*

Morborum causa auferenda. *Non est malum in civitate quod non fecerit Dominus*, legitur apud Amos prophetam: malum, nempe physicum (seu pœnæ); malum enim morale (seu peccatum) a Deo esse nequit: *non volens Deus iniquitatem tu es* (Psal. v). Ad rem Angelicus: *Dicendum quod malum culpæ non est a Deo sicut ab auctore, sed est a nobis ipsis in quantum a Deo recedimus; malum autem pœnæ est quidem a Deo auctore in quantum habet rationem boni, prout scilicet est justum, secundum quod juste nobis pœna infligitur: licet hoc primordialiter ex merito nostri peccati contingat* (2, 2, q. 16, a. 1). Hinc illud Prov. xv: *Miseros facit populos peccatum.* Vel ipse Machiavelli ajebat: « Quando l'astuzia e malignità umana è venuta dove la può venire, convien di necessità che il mondo si purghi per uno dei tre modi, o per peste, o per fame o per un' innondazione di acque; acciocchè gli uomini essendo divenuti pochi e battuti vivano più comodamente, e diventino migliori » *(Discorsi su Tito Livio*, l. II).

Sunt qui ad hæc mala vitanda, mutant cœlum; verum animum debent mutare, non aerem: *Quid fugis patriam?* (ad rem d. Augustinus, *Enarr.* II *in Joann.), tua potius peccata fuge;* hæc enim sunt quæ iram Dei provocant; Deus autem adest ubique peccatorum vindex et ultor. Parochi esse debet populum suum enixe ad pœnitentiam hortari; item ad festorum dierum, ad Dei et Ecclesiæ præceptorum observantiam, ob quorum violationem ira Dei descendit in gentes; a luxuria, ab ebrietate, a blasphemiis fideles suos avertere curet. Illos verbo Dei pascat, at brevi sermone, ut caveat ab omni occasione contagii quæ in frequenti populi concursu timeri potest (v. s. Alphonsus, *Discorsi da farsi in occasione di flagelli).* Ne imitemur Aza regem Judæ, merito morte punitum, *quia nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est* (II Paralip. XVI). Utique etiam medicus corporis vocandus est et naturalia ipsa medicamina sumenda sunt juxta illud Eccli. XXXVIII: *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Sed ne ponamus prius quod est posterius; ante omnia enim oportet ut convertamur ad Dominum, sortes enim nostræ in manu Dei sunt; et ita tranquillo animo ac fidenter illis obtemperabimus quibus dedit sententiam salutis Altissmus. *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum* (iterum Ecclesiasticus); *sed ora Dominum et ipse curabit te;... et ab omni delicto munda cor tuum* (en quod est prius);... *et da locum medico* (en quod addit posterius). Absit ergo ut eos probemus qui medicum et medicinam despiciunt; ambo a Deo sunt. Oportet unum facere, nempe reddere nobis Deum propitium, et aliud non omittere, nempe medicos vocare illorum præscriptionibus patienter nos submittendo.

Cautelæ adhibendæ. Non putamus alienum esse a nostro instituto, si præcipua indicemus quæ artis salutaris periti ad populi instructionem præscribunt, impendente vel grassante cholera (quod valet item de alio morbo contagioso et

epidemico): ex Opusc. *Modo sicuro per scansare o per lo meno incontrare senza danno ed anzi con vantaggio il cholera-morbus;* Torino, 1854.

1) « *Tranquillità di spirito e coraggio.* Nulla avvi che maggiormente disponga al cholera quanto un'eccessiva paura del morbo stesso, o quanto tutti gli altri patemi d'animo debilitanti.

2) » *Purità dell' aria e pulitezza della persona.* L'aria delle abitazioni deve essere sovente rinnovata, e debbonsi evitare tutte le cagioni capaci di renderla meno pura; quindi si aprino a convenienti intervalli le finestre e le porte, procurando però di non esporre le persone a troppo vive correnti d'aria; si tengano puliti i cessi, i cortili, i piani delle scale stesse, le camere, gli anditi e i pavimenti; si allontanino dalle case le sozzure, i letamai, ecc.; non si dorma in più persone nella medesima camera se ristretta e non ben aereata: non si abitino case umide o recentemente costrutte; non si dorma in istalle ove sianvi più animali, e si procuri che quelle in cui si passano alcune ore del giorno o della notte, siano aereate e pulite e non contengano letame accumulato o putrescente. — La pulitezza della persona è pure sommamente necessaria: perciò le biancherie personali e da letto siano frequentemente rinnovate; gli abiti poi sieno tenuti netti e puliti.

3) » *Qualità de' cibi.* Gli sconcerti della digestione predispongono assai al cholera. Si possono usare alimenti tanto animali che vegetali; ma è necessario che essi siano sempre di buona qualità, e presi in quantità non mai eccessiva. Fra gli alimenti ciascuno scelga quelli che la propria esperienza gli dimostrò essergli di più facile digestione e più salubri. Importa astenersi dalle frutta immature, dai funghi, da cibi crudi e flatulenti, dagli oleosi, dalle pasticcerie, dalle carni di majale, principalmente se salate. Si faccia uso moderato del vino, giacchè l'abuso di questo liquore è una delle cause più frequenti, in seguito alle quali si sviluppa il cholera.

4) » *Modo di vestirsi.* Le vicissitudini atmosferiche di caldo, freddo ed umido sono pure da annoverarsi fra le cagioni che favoriscono lo sviluppo del cholera; a scansare gli effetti di tali vicissitudini servono principalmente le vesti di lana sulla nuda pelle; e le vestimenta in copia sufficiente e proporzionata alle condizioni dell'atmosfera, procurando di tener sempre asciutte e calde le estremità inferiori con calze o almeno scappini di lana.

5) » *Conoscere i sintomi del cholera e modo di opporsi.* In occasione del cholera è necessario che chi sentesi molestato da indigestione si ponga tosto in dieta più o meno severa, ed è bene che consulti un medico. Ciò è tanto più urgente quando a' segni di semplice indigestione se ne associano altri fra quelli che più specialmente sogliono precedere od accompagnare il cholera. Egli è pertanto utile che questi siano da tutti conosciuti: i primi segni sono, improvvisa spossatezza in tutto il corpo con vertigini, dolore di capo, oppressione di respiro e stringimento doloroso allo stomaco, nausee, vomiti, dolori di ventre con rumori intestinali, diarrea. A questi succedono immediatamente un freddo in tutto il corpo, ma più particolarmente alle estremità, dolori spasmodici alle braccia ed alle gambe, granchj *(granfo)* alle mani ed ai piedi. Al comparir di questi segni si domandi tosto il soccorso d'un medico; e mentre se ne aspetta la venuta, il malato sia posto in un letto ben caldo, sia avviluppato con coperte di lana, gli si impongano cataplasmi fatti con farina di semi di lino *(linosa)* o meliga o simili, con senapa sulla fontana dello stomaco e sul ventre, avvertendo di non lasciarli più di 15 a 20 minuti nello stesso sito prima di traslocarli in altra parte, e piccol serviziale di decotto di riso e di malva o simili, con teste di papavero. Si faccia uso di infusioni calde aromatiche come sono i fiori di tiglio, la camomilla, la salvia, la melissa, la menta, il tè, la veronica, il ginepro *(absinthium alpinum);* gli si facciano fregagioni con pannilini ben caldi sulle braccia ed alle mani, sulle gambe e ai piedi. Questi mezzi adoperati con sollecitudine, ma senza spaventare menomamente il malato, bastano alcune volte a far cessare quei primi segni, e ad impedire un maggiore sviluppo della malattia.

6) » *I malati di cholera.* Siano tenuti in camere spaziose capaci almeno di quattordici metri cubi d' aria per ogni malato. Si eviti all' infermo il disturbo di persone inutili nella sua camera e intorno al suo letto. Si procuri che l'aria vi sia continuamente rinnovata, senza però esporre il malato all' azione del freddo, o a quella d'una viva corrente d'aria. A rinnovare l'aria in una camera, serve principalmente un fuoco fiammante di tanto in tanto acceso sotto ad un camino nella stanza stessa. I suffumigi che si sogliono fare con sostanze aromatiche sono inutili, e non fanno che mascherare l'odore che sentesi nelle camere dei malati. I vapori che svolgonsi da un'ampolla piena d'aceto e posta sul fuoco servono alcun poco a disinfettare; il miglior disinfettante oltre la rinnovazione dell'aria, consiste nei vapori di cloro svolti nella camera stessa del malato, mediante il cloruro di calce bagnato con acqua ed acido solforico, purchè vengano usati con moderazione per non offendere la respirazione. — Sia il malato tenuto colla massima nettezza, e le biancherie che servirono ad esso, siano tosto immerse in una soluzione di cloruro di calce, e poi ben lavate e messe a bucato. La soluzione di cloruro di calce può servire a lavare i malati quando occorre di ripulirli da sozzure; ed a lavare la faccia e le mani delle persone che debbono assistere i malati. I vasi che servirono ai malati di cholera per riceverne le materie evacuate siano sempre lavati con questa soluzione. Lo stesso dicasi del pavimento delle camere dei malati, e di tutto ciò che essendo soggetto d'infezione, è suscettibile d'essere lavato colla medesima. La più debole soluzione di cloruro di calce è quella, che si prepara con un' oncia di cloruro in nove libbre d'acqua; la soluzione concentrata è preparata con un'oncia di cloruro in una libbra d'acqua; la soluzione concentratissima si forma con un'oncia di cloruro in mezza libbra d' acqua. Queste varie soluzioni si ottengono mettendo il cloruro e l'acqua in un vaso di vetro o di porcellana che si agita ben bene, e lasciando di poi riposare la mistura finchè la parte non solubile cada al fondo del vaso; allora si travasa l' acqua, la quale è limpida, e si conserva in altri vasi chiusi, in luogo fresco ed oscuro per servirsene all' uopo. In generale, la più debole soluzione basta per tutti gli usi suddetti; la soluzione concentrata è utile per lavare i vasi che servirono a ricevere le materie evacuate dai malati di cholera; la soluzione concentratissima può servire a lavare i pavimenti e le pareti delle camere nelle quali stettero per più giorni malati di cholera. » V. *La peste.* Ricordi medico-igienico-morali per un confratello del P. Cristoforo de' Promessi Sposi. *Napoli*, 1879.

Capellani, Vice-Parochi, Sacerdotes tempore pestis. Etsi isti non teneantur ex justitia residere et administrare, sicut Parochi, attamen probrosum, si ipsi fugerent, vel Sacramenta ministrare renuerent; caritas urget omnes. Et Episcopus hosce, sicut et omnes beneficiatos potest obligare (etsi non sint in cura animarum), ut tempore pestis, contagii, vel epidemiæ resideant; quia tunc maxime urget ratio. Imo et cæteros ecclesiasticos adstringere potest, si necessitas impellat; sane eo in casu jam ipsi obligantur residere ratione caritatis; porro quando necessitas sit vel non sit impellens, maxime est Episcopi judicare. Quanquam vix ac ne vix quidem potest dici tempore pestis non adesse veram necessitatem; in tanta enim multitudine (merito ait Layman) moraliter certum est multos adesse qui in peccatis versantes, suæ æternæ saluti prospicere non poterunt, ob ignorantiam eliciendi actum contritionis perfectæ (S. Alph., *Opusc. mor.*, l. II, n. 27; et *Homo apost.*, tr. IV, n. 14).

Q. 1. *Quid speciatim observandum in cura peste infectorum?*

R. Præstat hac de re præ oculis habere quæ sapienter præscripsit s. Carolus in Concilio provinciali V. Quæ contraxit in suo *Epitome* cl. Corius; en præcipua:

1) Adveniente peste, Parochus et quilibet confessarius suam conscientiam purificet Pœnitentiæ sacramento, et se offerat Deo paratum etiam mori uti bonus miles Christi, ut suo muneri satisfaciat. Suos autem parochianos moneat, ut ipsi quoque, absque mora sua, peccata confiteantur et Eucharistia se reficiant; eosdemque certos reddat se semper prompte iturum ad excipiendas infirmorum Confessiones, ideoque libere et quacunque hora illum accersant.

2) Nisi magnum obstet impedimentum, quotidie Missam celebret, et quasi pro Viatico se communicet. Suam Parochiam jugiter postmodum perlustret inquirendo si qui sua spirituali ope indigeant; vel si sint pauperes quibus necessaria desint corporis alimenta, vel pueri parentibus orbati, etc.

3) Sæviente peste, curet Parochus sibi providere de uno vel pluribus piis capellanis, qui ipsum adjuvent in administratione Sacramentorum, et maxime in audiendis Confessionibus infirmorum vel ad eorum fenestras vel in januis domorum, vel etiam quatenus ibi adduci non possint, domos ingrediendo non tantum ad Viaticum præbendum post Confessionem, sed etiam ad Extremam — Unctionem eis ministrandam, maxime, si infirmus non potuisset confiteri vel sumere Eucharistiam: hæc est enim severa Parochi obligatio juxta illud: *Pastor bonus animam suam pro ovibus posuit.*

4) Deferat Parochus Eucharistiam cum luminibus ad domus infirmorum, sed eas non ingrediantur deferentes lumina; et sacerdos secum habebit acetum quo statim data infirmo Communione, digitos suos purificet. Infantes recenter natos sollicite baptizet vel in Ecclesia si ipsi ad eam deferri possunt, vel in ipsis domibus.

5) Omni diligentia custodiat Parochus sub clavi sacras vestes quibus utetur vel in Missa vel in administratione Sacramentorum, ac etiam ampullas et sudariola, ne ab aliis adhibeantur; et ubi opus fuerit ingredi domos peste infectorum, præter usum aceti et aliorum odoramentorum, juvabit præmittere suffitus juxta peritorum instructiones. Quod si ipsos infectos tetigerit vel manu vel digitis, eosdem expurget vel super prunis accensis vel super flamma candelæ accensæ.

6) Postrema industria Parochorum et confessariorum erit constans repudiatio cujuscunque rei temporalis a cujus contactu, lucri causa, mors inopinate evenire potest: ut patet exemplo cujusdam famuli, qui candelam subtraxit furtim a funere cujusdam divitis qui peste decesserat, illico morbum contraxit et supremum diem explevit. De Parochi residentia tempore pestis et choleræ plura Lib. I, n. 442.

Q. 2. *Quomodo ministranda Sacramenta peste infectis?*

Plura habet Muratori hac de re, in Libro *Del governo della peste;* et maxime Benedictus XIV, *De Synodis diœc.*, l. XIII, c. 19. En præcipua:

1) Quoad *Baptismum* hæc serventur ex d. Carolo: infans nuper natus peste laborans aut eo nomine suspectus, quia a matre pestifero morbo affecta ortus est, quamprimum ob instantis morbis periculum a sacerdote peste laborantium curam gerente, subito rite baptizabitur, aliis omissis cæremoniis: postea si superstes erit, et liber ab omni suspicione, Parocho offeretur ut suppleat cæremonias.

2) Quoad *Pœnitentiam* ex dictis de *sacramento Pœnitentiæ* licet absolvere pœnitentem peste laborantem, etiam non expleta integra Confessione, si confessarius probabiliter vereatur, ne et ipse pestem contrahat vel ex nimio fœtore vel ex diuturna mora cum ægroto. Monet d. Carolus, in Concilio Mediol. V, ut Confessionem audiens aliquantulum e lecto distet; item etiam ut in locum apertum aut ad fenestram, aut ad ostium sub porticu (si fieri possit) moretur, ut supra jam notavimus.

3) Quoad *Viaticum*, responsum fuit Vicario apostolico Juliæ-Cæsareæ, quod si sacerdos deprehendisset alienos et abhorrentes a ministratione manibus peragenda, modus ipse statueret, audito prudentum consilio, et præ oculis habito decore in tanti Sacramenti administratione servando. Plures plura proponunt; sed omnium forsan melius Cajetanus tradit, quod sacerdos deponat sacram Particulam in loco apto, v. g. in patena vel alio vase mundo ut nitido cochleari, et protendat ægroto, qui ore admoto, illam sumat.

4) Quoad *Extremam-Unctionem,* ad evitandum contagionis periculum, sufficit inungere organum illius sensus qui patentior se offert inunctioni, cum integra forma. Potest autem unctio peragi, abhibita oblunga virga, cujus extremæ parti alligatus sit firmiterque adhæreat gossipii pugillus sacro imbutus Oleo. *In ejusmodi casibus* (ad rem Stapf, § 283) *pius animarum pastor equidem justas cautelas adhibebit, quibus periculum contagionis evitare solet; ast intrepidus et Deo*

firmissime innixus nihil eorum omittet quæ ad muneris pastoralis spectant, memor illius quod Princeps pastorum de semetipso professus est: ego sum pastor bonus, pastor dat animam suam pro ovibus suis.... *Hæc ipsa mentis fiducia, qua pulsa omni meticulositate Deo firmissime inhæret, etiam periculum contagionis præ omnibus remediis maxime arcere consuevit.*

En tessera, qua nos ab heterodoxis pastoribus maxime discriminamur atque dignoscimur. Ad rem cl. Orsini in Lib. *I fiori del Cielo*, c. 7: « I Vescovi cattolici d'Inghilterra vendevano perfino il loro unico cavallo per darne poi il denaro ai poveri; i Vescovi protestanti per confessione dei protestanti stessi, muojono *vergognosamente ricchi*, e si allontanano con una edificante prudenza, allorchè il contagio fa strage del loro gregge. » De ipso Luthero Audin in ejus vita narrat: « La peste era a Vittemberga e gli amici del dottore lo scongiuravano ad imitarli ed a fuggire: *Fuggire?* disse frà Martino, *no! Per un monaco, il mondo non finirà; sono al mio posto; vi rimango per obbedienza, sino a tanto che l' obbedienza m'imponga il dovere di allontanarmene: non già ch'io abbia nessun timore della morte, chè non sono l'apostolo Paolo: ma il Signore mi libererà dalla paura.* Ecco il linguaggio di un prete cattolico. Allorchè Lutero ne avrà spogliato l'abito, non parlerà più in tal guisa; se la peste infierisce di nuovo nel suo gregge, egli respingerà le anime che verranno a ricoverarsi presso la tavola della Comunione contro l' Angelo della morte: *Basta bene*, egli dirà, *che esse ricevano pubblicamente quattro volte all'anno il Corpo di Gesù: la Chiesa non è poi una schiava: amministrare il Sacramento a chiunque si avvicinasse alla sacra Mensa, principalmente in tempo di peste, sarebbe un peso troppo grave pei ministri.* Qualche anno dopo la peste si traforava in Ginevra, le case, e gli alberghi riboccavano d' infermi; e i ministri riformati si recavano al Consiglio supremo dicendo: *Magnifici signori, dispensateci dall' assistere agli infetti, poichè non ce ne sentiamo l'animo.* Questi ministri erano Calvino, Enoch e Cop. » (V. *Scavini*, l. IV, n. 51.)

APPENDIX VI.

Pagella Casuum S. Pœnitentiariæ.

969. Duplicem cum cl. Episc. Berengo subjicimus S. Pœnitentiariæ Pagellam, eam quæ Italiæ Episcopis (ad triennium), et eam quæ (ad biennium) Confessariis concedi solet, ut uno veluti intuitu conspiciatur concessionum diversitas. Quædam enim sunt in pagella Episcoporum quæ non leguntur in illa quæ tribuitur confessariis, eaque sunt quæ ratione muneris Episcopis tantum conceduntur; et quædam sunt quæ in alia non leguntur, quia ea Episcopi jam a jure habent. Extra Italiam tamen Episcopi et latiores facultates obtinent et pro longiori tempore.

Quæ conceduntur Episcopis.	**Quæ Confessariis.**
« Vobis Rev. in Christo Patri N. infrascriptas communicamus facultates ad triennium duraturas, quibus non obstante Constit. *Apostolicæ Sedis* pro foro conscientiæ per Vos sive per Vestrum Vicarium in spiritualibus Generalem dummodo sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, extra sacramentalem Confessionem pro grege Vobis commisso, et infra fines vestræ Diœcesis tantum, atque de speciali in unoquoque casu exprimenda Sedi ap.	« Tibi dilecto in Christo Confessario ab Ordinario loci ad excipiendas utriusque sexus sacramentales Confessiones legitime approbato, infrascriptas concedimus facultates, quibus, non obstante Constitutione *Apostolicæ Sedis*, pro foro conscientiæ et in sacramentali Confessione auctoritate Apostolica uti valeas et non aliter; ita tamen, ne debeas illas cuilibet manifestare, nisi necessitas aut utilitas exegerit.

Quæ Episcopis concessa.

auctoritate Vobis delegata, uti valeatis, easque Canonico Pœnitentiario nec non Vicariis foraneis pro foro pariter conscientiæ ac in actu sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam habitualiter si Vobis placuerit; aliis vero confessariis cum ad Vos sive ad prædictum Vicarium generalem in casibus particularibus pœnitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis; nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a Vobis specialiter subdelegandis per tempus arbitrio Vestro statuendum illas communicare judicabitis.

I. Absolvendi ab excommunicatione ob *manus violentas* injectas in clericos aut presbyteros vel in regulares, dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio, seu lethale volnus aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint, injunctis injungendis, et præsertim ut parti læsæ competenter satisfiat (*De hac censura* v. t. I, n. 596).

II. Absolvendi a censuris contra *duellantes* inflictis in casibus dumtaxat ad forum Ordinarii non deductis, injuncta gravi pœnitentia salutari et aliis injunctis quæ fuerint de jure injungenda (v. de hac censura *t.* I, *n.* 598).

III. Absolvendi quoscunque pœnitentes sive viros sive mulieres (exceptis hæreticis publicis sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis incursis *ob hæreses* tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem et catholicæ fidei abjurationem private admissas, sortilegia, ac maleficia hæreticalia etiam cum sociis patrata necnon ob dæmonis invocationem cum pacto donandi animam eique præstitam idololatriam ac superstitiones hæreticales exercitas, ac demum ob quæcunque insinuata falsa dogmata incursis; postquam tamen pœnitens complices si quos habeat, denuntiaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum et meliori modo quo fieri poterit; et postquam in singulis casibus coram absol-

Quæ Confessariis.

I. Absolvendi ab excomunicatione ob *manus violentas* injectas in clericos aut presbyteros sive sæculares sive regulares in casibus tamen non deductis nec de facili ad forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit secuta mors vel mutilatio, seu lethale vulnus aut ossium fractio, et injuncta congrua pœnitentia salutari cum obligatione caute et competenter satisfaciendi parti læsæ.

II. Absolvendi a censuris contra *duellantes* inflictis, dummodo casus ad forum Ordinarii non fuerint deducti; injuncta gravi pœnitentia salutari, et aliis injunctis quæ fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque pœnitentes sive viros sive mulieres (exceptis hæreticis publicis sive publice dogmatizantibus), a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis incursis *ob hæreses* tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem et catholicæ fidei abjurationem private admissas, sortilegia et maleficia hæreticalia etiam cum sociis patrata, nec non ob dæmonis invocationem cum pacto donandi animam eique præstitam idololatriam ac superstitiones hæreticales exercitas, ac demum ob quæcunque insinuata falsa dogmata, incursis postquam tamen pœnitens complices si quos in premissis habeat, Ordinario loci vel S. Inquisitionis ministro in locis in quibus viget S. Inquisitionis auctoritas, prout de jure, denuntiaverit; et quatenus agatur de locis in quibus non viget S. Inquisitionis auctoritas, aut ob justas causas nequeat

Quæ Episcopis concessa.

vente hæreses secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto dæmone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstisiosis, ad omnia comburenda seu destruenda, injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas coram quibus hæreses manifestavit, et reparanda illata scandala (v. *t.* I, *nn.* 534 etc.).

IV. Absolvendi a censuris incursis ob *violationem clausuræ Regularium* utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem etiam effectu non secuto, et dummodo casus non fuerint ad forum Ordinarii deducti cum congrua pœnitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et pœnis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausuræ virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi pœnitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad ecclesiam et conventum seu cœnobium dictorum religiosorum, durante occasione peccandi (v. *t.* I, *n.* 310).

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem *librorum prohibitorum* incursis, injuncta congrua pœnitentia salutari, necnon firma obligatione tradendi prout de jure sive per se sive per alium absque ulla mora, et quantum fieri potest, ante absolutionem, libros prohibitos si quos pœnitens in sua potestate retinet (v. *t.* I, *nn.* 566, 866).

VI. Absolvendi a casu Sedi apostolicæ reservato ob *accepta munera* a regularibus utriusque sexus; injuncta pœnitentia salutari, et quando agitur de muneribus quæ non excedant valorem decem scutorum, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda et caute eroganda cum primum poterit, in beneficium Religionis cui facienda esset restitutio, dummodo tamen non constet quod illi fuerint de bonis propriis religionis:

Quæ Confessariis.

ante absolutionem denuntiare, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum et meliori modo quo judicio tuo fieri poterit, coram Ordinario loci; et postquam in singulis casibus hæreses coram te secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto dæmone initum expresse revocaverit; tradita tibi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda; injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se prudenti judicio tuo retractandi apud personas coram quibus hæreses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris incursis ob *violationem clausuræ Regularium* utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto et dummodo casus non fuerint ad forum Ordinarii deducti cum congrua pœnitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et pœnis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausuræ virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi pœnitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam et conventum seu cœnobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem *librorum prohibitorum* incursis, injuncta congrua pœnitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi Ordinario loci aut cui de jure sive per se sive per alium absque ulla mora, et quantum fieri potest ante absolutionem libros prohibitos si quos pœnitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi apostolicæ reservato ob *accepta munera* a Regularibus utriusque sexus; injuncta pœnitentia salutari, et quando agitur de muneribus quæ non excedant valorem decem scutorum, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda et caute eroganda cum primum poterit, in beneficium religionis cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illi fuerint de bonis propriis religionis. Qua-

Quæ Episcopis concessa.

quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de præsenti adimplere nequeant, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis judicio præfiniendam, alias sub reincidentia (v. *t.* II, *n.* 712).

VII. Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis *massonicis* aut *carbonariis,* aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem præstiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quæ retineant in manus absolventis tradant ad Ordinarium episcopum caute transmittenda, aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentalis Confessionis, necnon absolvendi eos qui ejusmodi sectarum duces ac magistros occultos denuntiare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari pœnitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis vel aliis ad quos spectat, prout de jure denuntiandi (v. *t* I, *n.* 600).

VIII. Absolvendi Religiosos cujuscunque Ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos vel specialiter deputatos) non solum a præmissis; sed etiam a casibus et censuris *in sua Religione reservatis*, dummodo religiosi legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem extra proprium Ordinem (v. *t.* I, *n.* 301).

Nota. *Commutatio votorum, exceptis quinque votis Sedi Apostolicæ reservatis et quæ sunt de jure tertii, est de facultate ordinaria Episcopi* (t. I, nn. 717 et seqq.).

IX. Dispensandi ad *petendum debitum conjugale* cum transgressione voti castitis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerint, hujusmodi pœnitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito seu uxori respective supervixerit (v. *t.* I, *n.* 729).

Quæ Confessariis.

tenus vero accepta vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione quam si de præsenti adimplere nequeant, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis judicio præfiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis *massonicis* aut *carbonariis* aliisque similibus nomen dederunt aut favorem præstiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abjurent; libros, manuscripta ac signa sectam respicientia si quæ retineant in tuas manus tradant Ordinario quam primum caute trasmittenda, aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent comburenda, injuncta pro modo culparum gravi pœnitentia salutari, cum frequentia sacramentalis Confessionis. Nec non absolvendi eos qui ejusmodi sectarum duces ac magistros occultos denuntiare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari pœnitentia, et firma obligatione sub reincidentia eos Ordinario loci vel aliis, ad quos spectat prout de jure, denuntiandi.

VIII. Absolvendi religiosos cujuscunque Ordinis (dummodo legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem extra proprium Ordinem), nec non Moniales (dummodo tamen pro ipsis fueris ab Ordinario approbatus vel deputatus) non solum a præmissis, sed etiam a casibus et censuris *in sua religione reservatis.*

IX. Commutandi, consideratis causis, omnia vota simplicia in alia pœnitentiæ seu pietatis opera; exceptis quinque votis Sedi apostolicæ reservatis, scilicet castitatis et religionis, ac trium peregrinationum, nempe ad Ss. Apostolorum Limina, ad S. Jacobum in Compostellis et ad Jerusalem; nec non votis pœnalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper voto non ludendi, ac votis in quibus agitur de præjudicio vel de jure tertii *(v. t.* I, *nn.* 715 *et seqq.)*

Quæ Episcopis concessa.

X. Dispensandi cum *incestuoso* seu incestuosa ad petendum debitum conjugale cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris seu respective mariti, remota occasione peccandi; et injuncta gravi pœnitentia salutari, et Confessione sacramentali, semel quoque mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum *(t.* II, *n.* 1052).

XI. Dispensandi super *occulto impedimento* primi, necnon primi et secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto et quatenus agatur de copula cum suæ putatæ uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatæ uxoris nativitatem et non aliter; monito pœnitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius pœnitentis delictum nusquam detegatur; et quatenus hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas, remota occasione peccandi; atque injuncta pœnitentia salutari et Confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item dispensandi super dicto occulto impedimento affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usquedum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat: remota semper occasione peccandi et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat; injuncto in quolibet casu pœnitentia salutari *(t.* II, *nn.* 1005, 1006).

Quæ Confessariis.

X. Dispensandi ad *petendum debitum conjugale* cum transgressione voti castitatis qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi pœnitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito seu uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum *incestuoso* seu incestuosa ad petendum debitum conjugale cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris seu respective mariti, remota occasione peccandi, et injuncta gravi pœnitentia salutari et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XII. Dispensandi super occulto impedimento primi necnon primi et secundi ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto; ita tamen ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum ma-

Quæ Episcopis concessa.

XII. Dispensandi super occulto *criminis impedimento*, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto, monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione; ac injuncta gravi pœnitentia salutari et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum (vide *t.* II, *n.* 969).

Nota. *Dispensatio super quacunque irregularitate ex delicto occulto jure ordinario competit Episcopis: excepta irregularitate ex homicidio voluntario ex* c. Liceat *(t.* II, *n.* 859).

XIII. Dispensandi super impedimento tertii seu tertii et quarti, vel quarti simplicis gradus, sive graduum *consanguinitatis vel affinitatis*, super quo vel quibus obtenta fuerit dispensatio ab Apost. Sede, et in Literis hujusmodi dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quæ tamen occulta remaneat.

Ac etiam dispensandi seu revalidandi ejusmodi literas irritas ac nullas redditas ex incestu sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de matrimonio contrahendo sive jam contracto, monitis in matrimonio contracto, putatis conjugibus de necessitate mutui consensus secreta renovatione; injuncta in singulis casibus congrua pœnitentia salutari ».

Quæ Confessariis.

tre desponsatæ, nativitas desponsatæ copulam ipsam antecedat; monito pœnitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur; et quatenus hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas, remota occasione peccandi; atque injuncta pœnitentia salutari et Confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIII. Dispensandi super *impedimento occulto* criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus, ac injuncta gravi pœnitentia salutari, et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIV. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat cum sacerdotibus vel in sacris Ordinibus constitutis tam sæcularibus quam regularibus; dummodo tamen ipsi regulares habeant, ut supra, legitimam licentiam peragendi Confessionem extra Ordinem.

Volumus autem ut supradictis facultatibus uti valeas tantummodo per biennium a data præsentium computandum, et abstineas absolvere a casibus reservatis locorum Ordinariis, nisi facultatem ab eis obtinueris » (v. *Scavini*, l. IV, n. 533).

970. *Notandum.* Episcopi Italiæ ad tempus obtinere solent a S. Sede alias facultates pro bono diœcesis: uti est v. g. *ad annum* facultas pro juramento suppletorio; pro revaliditione dispensationis si erratum sit in nomine aut cognomine; vel ob incestum reticitum aut reiteratum; pro laridi permissione in diebus vetitis, quibusdam exceptis; et absolvendi usurpatores bonorum Ecclesiæ, eaque retinendi sub datis limitationibus. — Ad *triennium* facultas concedendi *alibi* pro Missarum celebratione, reducendi Missas si nondum reductæ sint et eas condonandi non impletas. Delegandi Vicarium generalem, Canonicos Cathedralis, Parochos aliosque in ecclesiastica dignitate constitutos ad benedicendas Campanas, aqua ab Episcopo benedicta et juxta Pontificale. Item tribuendi ecclesiasticis licentiam libros prohibitos legendi; etiam laicis; ac medicis ac pharmacopolis libros legendi propriæ artis. Indulgendi parochis ut Missas pro populo applicent juxta intentionem Episcopi, ut eleemosyna cedat in subsidium clericorum qui militiæ sæculari subjiciuntur. — Ad *quinquennium* datur Episcopis facultas subdelegandi pro paramentorum benedictione Vicarium generalem, Canonicos Cathedralis, parochos, Vicarios foraneos aliosque sacerdotes suæ diœcesis in aliqua dignitate constitutos. — Ad *septennium* tribuitur facultas designandi unum altare privilegiatum in quolibet Parochiali et Collegiata ecclesia etc.; item indulgentiam plenariam concedendi tempore missionum etc., etc.

Hæc omnia commemorata sunt, ut Vicarii foranei, parochi cœterique Confessarii, casu adveniente, sciant cui recurrendum, et quomodo se gerere debeant.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX

TRACTATUS TERTIUS

De Obligationibus specialibus certorum Statuum et Officiorum.

TRACTATUS QUARTUS

De Peccatis et Censuris.

TRACTATUS QUINTUS

De Virtute Religionis.

TRACTATUS SEXTUS

De Virtutibus Theologicis.

APPENDICES

ERRATA					CORRIGE
Pag.	11	linea	53	tardiloquium	tardiloquum
»	12	»	38	curricul	curriculo
»	25	»	20	quæ	qua
»	*ib*	»	40	abripiunt	abripiuntur
»	*ib*	»	42	designant	designantur
»	185	»	8	me	ne
»	398	»	52	bona tantum	bona
»	476	»	56	bonedicendo	benedicendo
»	545	»	7	tum quia	quia
»	558	»	7	delectationis	dilectionis
»	553	»	26	quod	quod appetitus noster reguleretur secundum Deum, quod est *ex tota anima;* et quod



BX 1758 S33 1880 t.1

Scavini, Petrus
Theologia moralis universa
Editio nova locupletissima

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 12 25 11 007 6